omaggio dell'Autore

INSTITUTIONES
IURIS ECCLESIASTICI PUBLICI

QUAS IUXTA METHODUM CARD. TARQUINI

TRADEBAT IN SCHOLA INSTITUTIONUM CANONICARUM

P. MARIANUS DE LUCA S. I.

NUNC TEXTUS DECRETALIUM PROFESSOR

IN

UNIVERSITATE GREGORIANA

VOL. II.



LIBRARIA PONTIFICIA
FRIDERICI PUSTET
ROMAE — RATISBONAE — NEO-EBORACI

1901.

5992

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionesiur0002pmar

LIBER SECUNDUS SEU PARS SECUNDA

DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE

PROPRIETÀ LETTERARIA

282 — Senis, ex officina S. Bernardini 1901 — 282

DISSERTATIO QUARTA

DE FALSIS SYSTEMATIS CONTRA ECCLESIAE CHRISTI CONSTITUTIONEM ET DE POTESTATE R. PONTIFICIS

PRAENOTANDA

N. 1.

1. Constitutio cuiuslibet societatis duo praesertim complectitur; potestatem quae quantaque illi competat, et subiectum eiusdem potestatis seu personas in quibus dicta potestas iure residet. Cum autem ius publicum Ecclesiasticum constitutionem Ecclesiae exhibere debeat iuxta datam definitionem « *systema legum quibus Ecclesiae constitutio definitur*, » patet quod duplici universali disputatione nostra contineatur controversia; altera de potestate quae Ecclesiae ad finem suum consequendum sit attributa, altera de personis, in quibus talis potestas resideat.

Nos vero primam controversiam longe lateque expendentes iam persolvimus. Nam pro ratione finis Ecclesiae distincta duplici potestate *ordinis* et *iurisdictionis* de hac solum in iure publico agendum diximus: 2) tria insuper indicata sunt fondamenta; sc. positivam X^{i} institutoris voluntatem, societatis perfectae naturam, peculiares conventiones. Porro 3) ratione polemica contra Regalistas naturam spectavimus potestatis, quae cuilibet perfectae societati tum generatim tum speciatim in sua triplici functione, legifera iudiciaria coactiva, tum in suos tum in extraneos competat. Deinde 4) aggredientes in specie quaestionem de Eccl. Xi, eam a) societatem esse perfectam ostendimus, tum ex sui natura tum ex positiva X^{i} vol.e, tum b) eam absolute *supremam* esse respectu caeterarum societatum probavimus generatim, tum speciatim relate ad societates civiles Catholicorum, Haereticorum et Infidelium. — Tandem 5) consideravimus etiam *extraordinariam* Ecclesiae potestatem quatenus publicis *conventionibus* seu *concordatis* determinatur. In singulis porro ex his partibus recensitis non modo generalia principia eorumdem nexum, legitimas consecutiones expendimus, sed multiplicis generis applicationes exhibuimus, prout temporis brevitas plus minusve diffuse patiebatur. Nil ergo praetermissum est quod maioris esset momenti.

Prop. Generalis regula unde tota exerenda est doctrina de legitimo potestatis subiecto qui nempe ii sint, in quibus ecclesiastica potestas iure residet, et quanta in singulis resideat, voluntas Christi est sive mediata sive immediata.

Decl. et prob. prop. Legitimum subiectum ii intelliguntur, in quibus ecclesiastica potestas iure residet, et quanta in singulis resideat: *immediatam* i. e. si hos praefectos sive praefecturas in Eccl. sua voluisset Xus Dominus.. *mediata* h. e. quos praefectos voluit quoque esse in Ecclesia mediante voluntate eorum priorum, quos auctos constituit facultate sibi adiicendi in Ecclesiae administratione alios praefectos, cum id maxime crescente in diem fidelium numero illa exigere videretur, quo facilius exerceretur.

Hucusque effecimus Ecclesiae competere potestatem legiferam, iudiciariam coactivam: ast in quonam et quotuplici resideat subiecto ex ipsis rerum naturis non habetur, sed subiectum in quo residere debet politica potestas aliquo facto determinatur.

Hoc autem factum non est necessario multitudinis consensus, sed ut plurimum est ius aliquod praeexistens. In concreto factum seu titulus in societate ipsa naturali civili est 1. potestas paterna cum dominio territoriali coniuncta, 2. est titulus magisterï praesertim religiosi atque ex militari imperio: 3. ex iusto bello: 4. quandoque titulus est multitudinis consensus a) cum careat principe, vel eum amiserit, si quis aggrediatur gubernationem politicam, ipsa multitudine postea tacente, atque adeo consentiente: b) aut si eum eligat.

In societatibus vero positivae institutionis, ex facto et auctoritate Instituto-ris determinatur subiectum.

Hisce positis dico 1. In genere ad constitutionem alicuius societatis maxime pertinet definire subiectum potestatis socialis. Et prob. a) a priori: quia inutilis est potestas nisi adsit subiectum legitimum a quo illa ita in actum deducatur ut societatis finis obtineri queat; b) a posteriori: haec scil. unica cura est in omnium societatum politicarum institutionibus ita ut quaeri possit cur in hac tantum parte toti sint qui condunt alicuius societatis constitutionem: et Respond. quia prior pars ex ipsa natura descendit adeoque non est determinanda.

Quo autem ex fonte petenda est legitima determinatio subiecti potestatis ecclesiasticae, ambigendum non est: liquet enim a Christo Dno.

Marsilius Patavinus (cui plus minus adhaesit Richer) repetit a natura Societatis in genere adeoque, aiunt, a coetu omnium sociorum. Sed perperam a) quia Ecclesia est societas supernaturalis: b) quia ne natura quidem societatis in genere exigit ut a coetu omnium sociorum sed a causa efficiente societatis est repetenda eiusmodi determinatio legitima. Ergo a Christo Dno. sive mediate sive immediate. Hinc merito Tarq. ait « Cum enim Ecclesia sit societas non arbitrio hominum coacta, sed Christi voluntate instituta, manifestum est ab eo esse repetendam eiusdem ordinationem et constitutionem: adeoque cognoscendum ab eo ipso esse, quinam in ea imperare, et quatenus possint, quive parere debent. Cumque idem ipse potuerit quod reapse fecit, facultatem alicui conferre alios etiam praefectos in Ecclesiae administratione, adiiciendi per quos nempe facilius adaucto fidelium numero, illa exerceatur; hinc sane monuimus eam Christi voluntatem non modo *immediatam*, verum etiam *mediatam* esse posse.

Nota. In qualibet societate duplex constitutivum seu constituens ius distingui solet, primarium nempe et secundarium. Ad illud spectat determinatio constructurae, quam appellant, societatis, determinatio formae regiminis, ordinatio partium quae praecipuae atque integrantes audiunt corporis socialis: ad istud pertinet in actum exserere quae illo primario iure iam sunt constituta, explicatio organorum, quae dicuntur secundaria atque tandem iurium acquisitorum ordinatio. In concreto Constitutio fundamentalis Eccl. e. g. ius primarium eius constituens exhiberet: haec autem intelligi debet Constitutio quoad finem media, organismum, distributionem potestatis, et coordinationem subiectorum eiusdem. Iamvero quoad haec etiam suprema potestas Ecclesiae nihil potest immutare, quia determinata iam sunt ab ipso Christo Dno., determinatus est finis, nempe cultus religiosus et sanctificatio animarum ad salutem aeternam comparandam: determinata sunt media scil. tum sacramenta, tum potestas dirigens ad finem, cooperationem atque virtuosam vitam: determinatus est organismus huius societatis, constans scil. ex laicis, qui parere debent, atque ex Clericis, qui praeessent: determinatae sunt potestates scil. ordinis et iurisdictionis ut infra patebit. Sed haec immutabilia sunt.

Antequam ulterius procedatur duplex obiectio diluenda est, quarum a) altera *dices* « in societatibus Ius primarium fundatoris transferri solet in successorem. Ergo Rom. Pontifices illa mutare possunt iura constitutiva societatis, quae ex iure fundatoris seu Christi Dni instituta sunt. »

Resp. Dist. si fuudatori morte aut alia de causa submoto a potestate regendi vel ipsa societas vel alius rector legitimus succedit *Conc.* si neutrum adest, vel alterutrum desit. *Nego.* Porro in Ecclesia nemo Christo succedit, quia ipse est de quo ad Hebraeos 7, 24 dicitur « *Hic eo quod manet in aeternum sempiternum habet sacerdotium* » *Regnabit in domo Iacob in aeternum et regni eius non erit finis* Luc. 1, 32, 33 ». Romanus vero Pontifex Christi non successor est, sed vicarius. Petri utique dicitur successor in iure Primatus sed hoc officium reducitur ad potestatem pascendi Ecclesiam *iam fundatam*: *pasce oves meas.* Ecclesia utique indiget capite etiam visibili, sed hoc est subordinatum Supremo Capiti invisibili, quod continuat licet invisibiliter regere Ecclesiam suam, atque adeo dixit « *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Vnde recte a Concilio Trid. Christus Dnus appellatur adhuc Supremus Ecclesiae conditor, legislator, gubernator.

b) Altera *obiectio* contra regulam modo a nobis statutam facit quod scil. determinatio subiecti ex sola Christi Dni voluntate descendit. Ast supra potestas Ecclesiae desumpta est *quoque* ex natura societatis et non ex voluntate sola Christi Dni.

Resp. Ex demonstratis in 1 lib. Ecclesiae potestatis consequitur si Christus Ecclesiam suam instituit societatem perfectam eo ipso competere Ecclesiae iura et potestatem, quae competunt cuilibet societati perfectae: ast quonam determinato modo ea exerceantur? ex voluntate et institutione Christi omnino dependet.

DIVISIO TOTIUS PRAESENTIS TRACTATIONIS

Cum supra dictum sit totam hanc de subiecto potestatis doctrinam pendere a voluntate Christi determinantis formam regiminis, expendentes Christi Dni

voluntatem deprehendimus certe 1. quid Christus noluerit seu quaenam sint falsa systemata circa Eccl. constitutionem, quibus dignoscitur *quid Ecclesia non sit*: 2. Quid Christus Dnus voluerit positive seu qualis sit vera Ecclesiae constitutio tum quoad Caput visibile, tum quoad totum corpus simul, seu qualis quoad hanc partem sit vera Ecclesiae Constitutio. Iamvero in praesenti dissertatione exponendum nobis est, seu impugnanda praecipua saltem systemata; tum dictorum systematum evertendum erit fundamentum vel unam ex visibili Ecclesiae capite doctrinam demonstrando: qua posita ceu ex praeiacto fundamento totum utriusque potestatis in variis subiectis residentis exurgens aedificium facilius explicabimus. At ne Tarquinii ordinem, quem servandum ab initio nobis proposuimus perturbaremus summarium quaestionis *quid qualis sit vera Ecclesiae constitutio,* dumtaxat indicabimus explicaturi in dissertatione V singula ac praecipua dictae quaestionis capita, scilicet inquisituri quid Christus Dnus voluerit *positive* in ordine ad duplicem Hierarchiam.

Summarium quoad praecipua capita.

de vera totius ecclesiae constitutione

N. 2.

Brevem conspectum iuxta Tarq. et summa veluti capita exponimus, ne alterutrum ex his duobus vitiis incurramus ut vel manca sit, ea omissa, ecclesiastici iuris doctrina, suoque fundamento destituta, vel eadem crambes, si plenius exponi velit, heic recoquatur, quae iam in Theologia apposita est. Ast ut auditoribus laicis consulamus heic ita totum simul systema, quo Christus Ecclesiam suam ordinavit, singularumque partium cohaesionem uno veluti obtutu comprehendendam exhibemus singulis suam partibus unam vel alteram rationem atque explicationem infra daturi. Ad hanc porro synopsim vel summa capita exponenda et breviter probanda, tum ex S. S. Scripturis, tum ex tota T. T. Doctrina, ea quae certa sunt aut pro paucis quaestionibus quae sunt sanioris TTh. partis derivabimus.

N. 3.

Summarium autem quaestionum praecipuarum hoc est :

I. Statuitur magna et adaequata Corporis Ecclesiae divisio in Clericos et laicos.

II. Ex natura finis Eccl. Clericis commissi duplex eorum deducitur potestas ordinis et iurisdictionis.

III. Generalia traduntur principia de potestate ordinis.

IV. Recensentur huius potestatis subiecta.

V. Item generalia traduntur principia de potestate iurisdictionis, et articulatim iuxta quatuor capita litt. a, b, c, d, respondentia tum subiecta eius tum quanta et quo nexu inter subiecta respondeat sua cuique potestas.

VI. Recensentur ea quae ex voluntate Christi *mediata* Ecclesia potest tum circa potestatem iurisdictionis.

VII. Innuitur tandem extraordinaria atque personalis Apostolorum potestas ab initio Ecclesiae.

VIII. De Magisterii potestate seu de magisterio infallibili Ecclesiae.

IX. De potestate Ecclesiae in Conciliis.

DE PRAECIPUIS SYSTEMATIS CONTRA IPSAM ECCLESIAE CONSTITUTIONEM; QUORUM SYSTEMATUM FUNDAMENTA CONVELLUNTUR VEL PER UNAM DE ECCLESIAE (*Tarq. Lib. II. n. 12-22*) CAPITE VISIBILI DOCTRINAM.

N. 4. « *Quae de eiusmodi systematis dicenda sunt, duas in partes distribuimus in quarum altera eadem exponemus, in altera brevi quadam ratione dicta systemata refutabimus* » scil. expositione doctrinae de Capite visibili.

§. 1. EXPONUNTUR PRAEDICTA SYSTEMATA.

Antequam breviter evolvamus schema verae Constitutionis Ecclesiae scil. *quid et qualis ea sit*, ex contrariorum ratione illud magis magisque illustrare debemus: Nempe *quid non sit*. Hoc autem fiet recensitis illis praecipuis systematis ac refutatis, quae a vera Ecclesiae Constitutione discesserunt. Quinque prae coeteris seliguntur a Tarq. systemata falsa circa Ecclesiae Constitutionem quorum 1. est Marsilii de Menandrino vulgo Patavini, 2. Protestantium; 3. Richerianum; 4. Febronianum, 5. quibus addendae *libertates* gallicanae. Et merito: nam systema Marsilii paradigma veluti est quod cetera sequuntur, spectatis fundamentis ac principiis generalioribus, estque veluti aliorum origo atque radia... Systemata varia Protestantium Marsilianum, evolutis magis consectariis, amplificarunt. Utrumque expolivit Richer, quo, uti et duobus prioribus Febronius profecit.

N. 5.

N. 5. « *Marsilium Menandrinum, quem Patavinum dicunt omnium patriarcham quippe quem coeteri plus minus excripserunt, facile dixeris. Hic Ludovico Bavaro ablanditus, qui saeculo XIV Romanos Pontifices oppugnabat, ecclesiasticam constitutionem pervertit libro edito, quem inscripsit Defensorium pacis; quo in libro haec docuit.*

I. Summam potestatem esse in toto coetu fidelium, idque iure ipso naturae, societatibus omnibus communi.

II. Hanc potestatem translatam deinceps fuisse in principes si essent fideles, sin infideles in Episcopos, non sine tamen subiectione, tum populo, ipsi tum Principibus.

III. Propriam Ecclesiae potestatem non esse in cogendo, sed in monendo tantum, in concionando aliisque huius generis.

A. Systema Marsilii Patavini.

Summar. 1. Notiones historicae. — 2. Conspectus operis a) extat in sylloge Goldasti dicta « Monarchia S. Romani Imperi et b) constat tribus partibus, quarum prima exhibet principia iuris socialis, secunda applicationem ad Ecclesiae Constitutionem, tertia conclusiones.

3. refutatur data opera ab Alberto Pighio.

4. Nexus logicus systematis et scopus proximus atque ultimus indicatur.

5. Estque veluti radix sequentium etiam modernorum. Eiusdem

6. tandem damnationes a Ioanne XXII factae exhibentur.

I. Ad *notiones historicas* quod attinet cf. Fritz in Art. Marsilii Patavini in lexico (Kirhen-lexicon) Ecclesiastico edit. Wezeri et Welte.

Marsilius scripsit cum maxime ab Imperatore germanico Ludovico Bavaro adversus Romanum Pont. Ioan. XXII et Romanam Ecclesiam bellum inferretur. Cf. Reynald. Annal. eccl. ad 1327, n. 27 seqq.

De indole Marsilii operis haec habet Albertus Pighius « Fuit homo aristotelicus magis, quam christianus, atque ex illius magis quam Christi institutis novam ecclesiasticae Hierarchiae formam conatus effingere, quamvis sacras literas, et SS. PP. sententias, sed suo more intellectas sine fide et modo congerat, veritatique confidentissime obiiciat, ubique seipsum victorem pronuntians : sed ante victoriam tam amarus, tam virulentus in Romanos Pontifices ut merito dubitares ; nisi tempora disiungerent, hic ne a Lutero, an Lutherus ab isto suam didicerit Rhetoricam, uam uterque alterum in hac parte conatur vincere » *Eccl. Hier. l 5. c. 1.* — Quae verissime a Pighio dicta reperit quisquis fastidiosissimum eius opus legat apud Goldastum : ibi quisque videre poterit quam putida sint sophismata cum incredibili iactantia proposita, et graeculi instar, non veritatis sed contentionis cupidus, quam praepostera ratione adhibeat aristotelica placita ad suam impiam, atque perabsurdam doctrinam. Notatur in ipso despectus maximus ecclesiastici ordinis, sectarum Waldensium atque generatim Neo-Manichaeorum procedens de grege foetido.

II. *Conspectus operis.* Goldastus protestanticae sectae ad phraenesim addictus, Marsilii opus, cum aliis contra Romanum Pontificem scriptis, una in sylloge, cui titulus « Monarchia S. Romani Imperii, servavit in tom. 2. pag. 154 seqq., post alium tractatum eiusdem Marsilii, de translatione Imperii.

Titulus per se solum explicat opus « *Adversus usurpatam Romani Pont. iurisdictionem, Marsilii de Menandrino Patavini de re imperatoria et pontificia liber, qui defensor pacis inscribitur, tribus partibus, quae ipse dictiones appellat, sectus ad invictissimum et constantissimum Imperatorem Caesarem Ludovicum Bavaricum a tribus Romanis Pontificibus indigna perpessum circa annum Dni 1342 conscriptus.* »

Porro in dictione 1.a ad fastidium usque tradit, quae ad ius sociale spectant ut ostendat sacerdotium partem esse socialis Constitutionis atque adeo supremae politicae potestati subiectum. In 2.a dictione virus suae haereseos totum patefacit : in 3.a quae est brevissima post brevem epilogum 42 propositionibus dicta colligit.

Iamvero in 2.a dictione haec plane haeretica habentur.

1. Generatim Ecclesiae negatur quaelibet coactiva potestas.

2. Dicitur status sacerdotalis esse debere non dominatus sed paupertatis.

3. Sacerdotes non differre essentialiter ab Episcopis.

4. Apostolos omnes aequales fuisse, et Epos in omnibus aeque esse successores Apostolorum.

5. Electionem Eporum iure proprio ad plebem fidelium pertinere.

6. Usurpasse Romanos Pontifices malis artibus suam potestatem.

7. Concilium generale convocandum esse a Principe et ad illud etiam laicos advocandos.

8. Primatum Rom. Pontificis ortum habuisse ex concessione Principum eum tamen pluribus usurpationibus per fas et nefas amplificatum fuisse.

9. Deinde negat B. Petrum Romam venisse.

10. Tum quaedam habet de S. Scriptura tamquam unica regula fidei deque eius permissa omnibus interpretatione, ut ipsum merito tamquam praeformatorem suum protestantes agnoscere debeant.

Tandem dictionis tertiae 1.a conclusio est solam divinam seu canonicam scripturam, et ad ipsam per necessitatem sequentem quamcumque ipsius interpretationem ex communi Concilio fidelium factam, veram esse, et ad aeternam beatitudinem consequendam necesse esse credere, si cui debite proponatur.

III. *Confutatur data opera ab Alberto Pighio*, qui praesertim lib. V, Eccles. Hierarc. c. 5. indolem operis quod inscribitur *Defensor Pacis*, ostendit eam esse ut ecclesiasticum ordinem potestati politicae omnino subiiciat, ut in aperiendo, mox logico systematis nexu apparebit.

IV. *Nexus logicus systematis.* Adstructo generali illo principio. « *Originem auctoritatis politicae esse ex communitate* » addit hanc fuisse Principi ab ipsa societate *delegatam*. Hinc sequitur nullam esse proprie dictam potestatem (coactivam), quae immediate a Principe, mediate a Communitate repeti non debeat. Quam maxima oriretur turbatio talis ordinis, si nova potestas ecclesiastica inveheretur independens; cum vero sacerdotium seu cultus publicus in societate necessarius sit, hinc clericos partes esse societatis civilis proindeque supremae civili potestati subiectos (ceu functionarios publicos, quos vocant). Sed haec methodus foret rationalistica: Marsilius autem vult etiam id ostendere ex fontibus christianae revelationis.

Hinc pervertit Scripturas et Patres ut probet 1) generatim potestatem ecclesiasticam coactivam nullam esse; 2) nominatim nullum esse Primatum iurisdictionis, sed omnes Epos esse aequales: 3) quin imo applicat generalia illa theoremata socialia ad Ecclesiae Constitutionem atque ostendere conatur supremam Ecclesiae iurisdictionem esse in caetu fidelium, et per delegationem in Principe.

Unde patet a) sensus tituli libri *Defensor Pacis* — quae iuxta ipsum est in subiectione Ecclesiae: b) quomodo hac doctrina usus fuerit ad defendendum contra Pontificem Ioan. XXII Imperatorem schismaticum Ludovicum: c) semina iecisse Regalismi etiam recentissimi et Liberalismi: d) imo quoad ipsas formulas illud haud minimum praeformasse.

V. Hinc patet Marsilianum systema fuisse veluti *radicem coeterorum* deinceps usque ad modernorum placita.

VI. Merito ergo *damnatus fuit Marsilius ab Ioann. XXII Const. Licet* 23

Octob. 1327 cf. Roscovañys *Monumenta Catholica t. 1, pag. 95 et seqq.* (De hac Constit. cf. quae supra diximus l. 1. n. 45 a.)

N. 6.

B. Systema Protestantium

2. Tarq. *Ad n. 6 Ex disciplina Marsilii sunt primum Protestantes qui eiusdem librum oblivioni iam traditum in vulgus ediderunt.*

Hi tamen more suo innumeras in sententias scissi sunt, quas referre haud modicum interest, ut ex tacita eorum confessione appareat, eos in perpetuo errore versari, nihilque assignari posse in quo securi conquiescant. En igitur quid de eorum systematis referebat Schenkl hoc seculo ineunte Instit. Jur. Eccl. Prolegom. §. 46 in nota. « Protestantes nova identidem cudunt Ecclesiae systemata, quorum *decem* inter se diversa Pfaffius, nec pauciora enumerat Moshemius, sed multo plura excogitata fuisse, in diesque pene nova procudi ex Protestantium scriptis luculentum est. Sane 1.° olim placuit pluribus *iuaequalis*, hodie *aequalis* (plane democraticae) Ecclesiae systema plerisque placet. 2.° Alii maluere Ecclesiam liberrima natam confoederatione, et societatem prorsus *voluntariam ;* alii Christi voluntate determinatam dixere et *legalem*. 3.° *Peculiaris* societas aliis, aliis Reipublicae (societati civili) *innexa* Ecclesia visa est, et ab illa indistincta. 4.° Alii omne ab Ecclesia arcent imperium ; alii Ecclesiam subiiciunt imperio totius societatis ; alii delecto ministrorum coetui ; alii universis ministris ; alii magistratui politico, sive Principibus, quibus *ius sacrorum* tribuunt. 5.° Eiusmodi ius sacrorum alii ex iure naturali, alii ex sacra scriptura, alii ex pace religiosa, seu Westphalica, alii ex consuetudine, alii ex populorum cessione tacite facta Principibus asserunt: alii ex ipsa boni publici tum ecclesiastici, tum politici ratione seu necessitate, alii ex iure devolutionis vindicant. 6.° Novissime turba maxima iura Ecclesiastica dispescit *in maiestatica*, et *collegialia*, quorum illa Principi, ista fidelium coetui per se competant. At, dum de utrisque discernendis res est, foede ipsimet scinduntur. Nam 7.° alii e numero in primis Jurisconsultorum in Principem se se exhibent liberaliores: aut brevi manu omnia Principi vindicant, aut saltem quae *maiestatica*, quaeve *collegialia* sint, haud operose disquirendum autumant, praesertim si qui exercere ea iura debeant Principes sint Protestantici, non autem Catholici. Alii e coetu maxime Theologorum utraque dicunt esse probe distinguenda, eo quod omnia sine discrimine et absolute transferri in Principem, aut certe sine ministrorum Ecclesiasticorum interventu recte amministrari ab eo nequeant; imo vero haud rite administrata a populo revocari possint et retrahi; coeterum 8.° systematum varietate et amore ducti alii ipsum Christum Dominum fuisse legislatorem negant; alii non Christo quidem sed tamen Apostolis potestatem *legislatoriam* aut certo *executoriam* abiudicant; alii eam ceu personale privilegium divinitus datum sed ita, ut cum ipsis expiraret, iisdem permittunt. Rursus 9.° imperium, seu ecclesiasticam quandam potestatem alii iure non proprio sed *administratorio* ab Apostolis ceu delicatis, populique officiliabus exercitam fuisse admittunt ; atque eodem modo, non divina sed humana ordinatione et populi voluntate Apostolis sucessisse dicunt Episcopos, qui quidem lapsu temporis delegatam a populo potestatem tam-

quam sibi propria usurparunt; donec saeculo XVI abdicatis (inter protestantes) Episcopis, ecclesia in ius sibi proprium postliminio esset restituita. Quo ex tempore, inquiunt, potestatem ecclesiasticam vel exercitium eiusdem in principes esse translatum, aut iisdem accedente populi consensu firmatum; aut certe ex eo tempore per principes cum utilius id fieri a nullo alio posset iuste recteque eam potestatem affirmant administrari etc. Itaque quod Moshemius de Lutheranae Ecclesiae systemate candide fatetur, id iure optimo hodiernis etiam Protestantibus Mendelsonius obiicit: « *In hoc aetatis nostrae lumine Protestantium de iure ecclesiastico libri didactici extricari hactenus ab incerta caecaque haesitatione non potuerunt. Ad extrema adduci ita ut iura omnia penitus dimittat Clerus non patitur: neque tamen quae illa sint iura assignare quispiam. Iudicari et finiri lites percupiunt; at iudicem supremum nullum admittunt. Denique libertatis atque independentiae ecclesiasticae mentio perpetue fit, cum nemo tamen iudicare possit ubi ea reperiatur.* Quae vero proximis his annis et fere in dies nova olimque prorsus inaudita de Ecclesiae christianae systemate scribant Protestantes plures, nemo nisi in eorum scriptis sit hospes ignorare poterit ». Hactenus Schenkl de Protestantium systematis. Heic confer quae de variis fidei formulis ab Arianis eorumque fautoribus invectis habet S. Hilarius l. 2. ad Constantium. Et merito Schenkel de Protestantium systema talia protulit.

Nam Protestantes et ipsos maxime conatos esse evertere Ecclesiae Constitutionem patet vel ex eo solum quod S. Scripturam, prout est privatae interpretationi obnoxia, tamquam unicam habeant fidei regulam. Quin imo Constitutionem essentialem Ecclesiae ex divini Fundatoris voluntate positam nullatenus existere, si logici esse voluissent ac purum figmentum esse, dicendum ipsis fuisset. Et re quidem vera facta interpretatione quorundam S. Scripturae locorum ab ipsis affirmatur Ecclesiam essentialiter vel in sola forma invisibili contineri, cumque negetur formam visibilem esse de essentia Ecclesiae illius, cui factae sunt a Christo promissiones, seu cum negetur externam formam h. e. externum ministerium, externamque cum eo societatem esse necessarium principium ac medium gignendae et conservandae formae interioris » ruit penitus S. Hierarchia a Christo instituta atque duplici potestate aucta ordinis et iurisdictionis, uti supra exposuimus.

Verum enimvero partim necessitate compulsi ut scil. aliquid Ecclesiae Catholicae societati visibili opponerent, partim politica utilitate adlecti, ut Principum praesertim frui possent favorem, societatem aliquam religiosam communibus symbolicis instructam libris adornare conati sunt. At ex hac humana prorsus institutione procedere necesse erat, ut 1) fere omnem potestatem aut Principibus tribuerent aut plebi, prout systema aristocraticae aut democraticae Protestantes adamabant, vel prout eventus politici civilis societatis ferebant, huius regimen unum prae altero fovere visi sunt. 2) Ut coetus ministrorum Ecclesiae non divinitus institutam Hierarchiam repraesentaret, sed exercitio functionum a societate commissarum absolveretur. 3) ut veram et propriam Ecclesiae auctoritatem maxime coactivam omnino negent: quod postremum necessarium prorsus est. Porro huc pertinent ea, quae a Schenkl fusiori conscripta calamo referuntur a Tarquinio quibus adde quae penes Schenkl pag. 48 ibidem leguntur « Inter systemata Ecclesiae a Protestantibus adoptata tria

celebriora habentur 1m antiquius illud et tempore pacis Westphalicae obtinens systema superioritatis seu iuris territorialis, innixum famoso illi principio « cuius est regio, illius est et religio, seu illius est de religione dispositio. Alterum 2m illo longe recentius systema collegiale dictum, vi cuius Ecclesia vulgo existimatur simplex et aequale Collegium in republica existere, cui, ut alteri collegio cuivis, sua, quae Collegialia vocant, iura competunt, ita tamen ut Principi seu Magistratui politico sua itidem in id iura, quae maiestatica appellant, salva sint... 3° Praeter systema tum territoriale quod Iurisconsulti in primis tuentur, tum collegiale quod ministri Ecclesiae Protestanticae vulgo amant, quasi medium quoddam systema collegiale moderatum limitatumque procedit Frickius Professor Biliensis qui praeter iura maiestatica, item episcopalia superiora, quae dominus territorialis, qua talis in Religionem, quam profitetur, exercet, iura adstruit episcopalia communia, quae Principi nonnisi ex translatione competunt » Cf. Moeler symb. l. 1, c. 5, § 44, 45, Perrone « Idea christiana destrutta dal Protestantesimo » c. 1, 3.

Hinc patet Protestantes excogitasse Ecclesiam ut societatem: 1. aequalem vel inaequalem: 2. voluntariam vel necessariam seu legalem: 3. peculiarem vel reipublicae innexam: 4. destitutam imperio, vel ita ut sit aut in societate ipsa, aut in delecto ministrorum coetu, aut in ministris universis, aut in magistratu politico seu Principe: 5. Ita ut in sacra ius oriatur a) vel ex iure naturae, b) vel ex S. Scriptura, c) vel ex pace Westphalica, d) vel ex consuetudine, e) vel ex cessione populorum, f) vel ex ipsa necessitate boni, sive ecclesiastici sive politici publici. — 6. Sed cum iura dividant in maiestatica et collegialia, quaenam ex his ad 1m quaenam ad 2m pertineant classem, disputant adhuc: *Demum omnia tribuunt potestati politicae.* Hinc confessio Moshemii et Mendelsonii relata in Tarq.

Atque ita divino iudicio factum est, ut qui imperium Christi Vicarii in terris Rom. Pontificis respuerent, turpissimo religionis obsequio, aut Principes laicos, aut quandoque foeminas agnoscere non vereantur.

N. 7.

C. Systema Richerii.

Cf. Tarq. ad n. 7. Systema Richerii exspositurі hoc ordine procedimus ut a) prius notitiam quamdam historicam circa ipsum eiusque proscriptam doctrinam exhibeamus b) tum iuxta Tarq. vestigia systema exponamus genuinum: c) tandem quomodo logice eius placita connectantur, indicabimus.

A. Richerius natus Cadusiae (Chaurce) in Campania dioec. Lingonen an. 1560, ille est, qui acerrimus gallicanarum libertatum defensor atque Sedis Apostolicae hostis iniquissimus extitit. Anno aetatis suae XVIII Luthetiam Parisiorum, studiorum causa venit, ibique Doctor sorbonicus evasit. In thesibus, quas an. 1591 mense Octobri propugnavit adeo fuit vehemens atque audax iam tunc, ut defenderit Iacobum Clementem, qui Galliarum regem Henricum III, summo scelere obtruncaret. Deinde accessit ad Henricum IV, postquam is haeresim eiuraverat, et catholicam religionem erat amplexus. Eo potissimum tempore, uti narrat eius biographus recens, alte imbibit animo opinionem, qua re-

putaret Romanam Curiam libertates gallicanas omnes aeque ac regia iura penitus destruere velle, et Iesuitas ad hunc scopum obtinendum una cum Pontifice, cui semper addicti, enixe adlaborare. Quare pars haud parva fuit persecutionis Iesuitarum eo usque dum nos a Gallia, iniustissimo exilio pulsos an. 1595, exire ingenti conspexerit gaudio. — Tum etiam Paulum Sarpium in sua adversus Pontificem pro Venetorum perduellione, pugna iuvit, scribens pro Gersone contra Card. Bellarminum. — An. 1608 creatur syndicus Theologiae Facultatis Sorbonicae: quo ex tempore magis magisque illius in Pontificem et Iesuitas odium exarsit, nullamque praetermisit occasionem, qua gallicanas Libertates tueretur, et Iesuitis anno 1609 in Galliam revocatis, quidquid mali in universum orbem terrarum contingeret, adscribendum esse inclamaret. At non deerant in Galliis tum Epi, Iesuitis faventes, quibus, et praesertim Card. Duperronio valde Bellarmini placebat opus, cui titulus. *De potestate Rom. Pontificis in temporalibus* (Romae 1610). Hinc Richerius ex suo in Ecclesiam infenso animo, atque etiam a plurimis primariis magistratibus incitatus circa pontificiam potestatem ac libertates Ecclesiae gallicanae, antiquae Sorbonae doctrinam scriptis evolvendam curavit, suumque edidit libellum « *De ecclesiastica et politica potestate* ». Parisiis an. 1611 « sine auctoris nomine. Sed haud multo post se auctorem palam professus est tum ore, tum aliis scriptis, in quibus eius damnata doctrina reperitur, nominatim in Historia Conciliorum General., in defensione supradicti libelli (de ecclesiastica et politica potestate) in quinque libros divisa, atque in eiusdem demonstratione Cf. *Weitle pag.* 7.

Ex quibus profecto statim apparet tum hominis inconstantia tum cognatio doctrinae huius cum doctrina Marsilii Patavini, ita ut hic pater eius merito dici queat. Uterque tueri vult contra Pontificem R. regiam potestatem; Marsilius pro Imperatore Bavaro, Richer pro rege et magistratibus Galliarum: sicut ille, ita hic intenderunt extollere regiam dignitatem etiam supra Cathedram Petri, adeo ut ad Primatum iurisdictionis Rom. Pontificis negandum atque totius Ecclesiae Constitutionis perversionem devenerint.

Statim ac eius libellus de ecclesiastica et politica potestate prodit, « vehementer improbatus est. Nam instante Ubaldino Apostolico Nuncio statim damnatus, est a Provinciali Synodo Parisiensi, cui praeerat Card. Duperronius Metropolitanus Senonensis: aderant vero eius suffraganei Epi Parisiensis, Meldensis, Aurelianensis, Antisiodorensis, Trecensis, Nivernensis (Nevers) et Carnotensis, mense martio 1612. Haec synodalis censura vulgata fuit ab Epo Parisiensi (De Gondy) in omnibus illius urbis ecclesiis et dioecesis paraeciis. Quo exemplo motus eodem anno Paulus Haraldus Hospitalius Metropolitanus Aquensis, idem fecit in suo Concilio provinciali.

Ad Sedis Apostolicae sententiam quod spectat, libellus Richeri damnatus est pluribus decretis S. Cong. Indicis i. e. *10 Mai. 1613, sub Paulo V, 23 Decemb. 1622 sub Gregor. XV*, et *an. 1709 4 Mart. sub Clem. XI.* Historia vero Conciliorum general. in qua Richer systema suum pluries inculcat atque defendit damnata fuit peculiari edito Brevi ab Innoc. XI 1681 ut testatur Index libror. prohib. *v. Richerius* iussu Benedicti XIV an. 1758 editus, sicut coeteri posteriores.

Etsi plures praeclarissimi viri iam inde praeclara contra Richer scripsere e. g. Duvallius Sirmondus, Petavius, Spondanus; tamen damnatus ille auctor plu-

res ante est post mortem suam, habuit et habet defensores. Prae ceteris noti sunt Ianseniani Richerio addictissimi in eo praesertim quod ab hoc Primatus Rom. Pontificis destruebatur.

Weit « *op. Richerii systema confutatum* » fuse narrat vices Richerii post suam 1am condemnationem. Nam cum hic statim esset conquestus librum suum perperam intellectum fuisse: nihil obtinere potuit. Imo eodem an. 1615 mense Septembri e gradu syndici deiectus est, urgente Nuncio Apostolico Card. Duperronio aliisque Epis. Tum vero declarationem edidit eodem an. 1612 quam confirmavit an. 1622, in qua omnia subiicit iudicio Sedis Apostolic., et eam iterum post diuturnum morbum confirmavit an. 1629 die 28 Iunii. Mense Decembri etiam aliam uberiorem edidit postulante Card. Richelieu, quam Richeristae dixerunt minis extortam. Duvallius tamen testatur morti proximum edixisse se sponte declarationem illam 2am fecisse. Denique etiam magis aperta esset tertia retractatio, quam a Richerio relictam dicunt et post mortem esse vulgatam. Hanc edidit Fontaine in opere *Const. Unigenitus theologice propugnata t. 2, edit. rom. 1721 pag. 1743 seq.* eamque vir doctissimus genuinam esse contendit, alii vero eam in dubium revocant: Rem discutit *Weith c. 3, n. 7.* Saltem 2am serio confirmasse paulo ante mortem videtur. Unde arguimus vel sincere vel simulate se retractavit: si 1m habemus confitentem reum, si 2m in praeiudicium est versipellis. Probabilius plura non ex animo sed gratia captandae famae edidit; hinc mirum non esset si se retractasset serio. Obiit 28 Novemb. 1631. Parisiis an. aet. 71.

2° Ad expositionem systematis quod spectat, premimus Tarquini vestigia, qui totum ad sex capita reducit.

I. *Cum Marsilio summam potestatem in ipso ponit fidelium coetu, cui proinde immediatius atque essentialius (ut ipse loquitur) claves a Christo traditas fuisse affirmat: unde, ait, nullam esse ecclesiasticam legem nisi quae consensu populi i. e. coetus fidelium, fuerit confirmata.* Nam quid asseruit Marsilius, vidimus supra: Richer vero c. 1, ait « Iurisdictio ecclesiastica primario et essentialiter Ecclesiae, Romano autem Pontifici atque aliis Epis ministerialiter tantum sicut facultas videndi oculo convenit, scil. distinguit Richer Ecclesiam a Rom. Pontifice atque Epis quos nos docentem Ecclesiam appellamus. Sed hoc idem principium est Marsilii. Unde cum vera potestas, tandem sit in populo, deducit vim obligandi legibus a consensu populi christiani dimanare.

II. *Potestatem ministerialem universo ordini hierarchico i. e. Rom. Pontifici et Episcopis, quos apostolorum loco esse, et Presbyteris, quos discipulis successisse ait, ab ipso Christo immediate traditam esse, licet diverso gradu asserit: ita ut Episcoporum et Presbyterorum, in specie autem parochorum iurisdictionem non a R. Pontifice vel ab Ordinario, sed immediate ab ipso Christo derivet.* Et re quidem vera c. 2 ait. Christus immediate et per se clavium iurisdictionem ordini hierarchico contulit per immediatam et realem missionem omnium Apostolorum atque discipulorum « ubi evidenter a) asseritur origo potestatis iurisdictionis in inferiores non esse a Rom. Pontif.; b) huic vero maior prerogativa negatur prae Epis: c) asseritur institutio iure divino presbyterorum iurisdictionis; d) immediata et per se dicit, non per Papam sed immediatius populo. Porro eadem vidimus in Marsilio.

III. *Romanum Pontificem totius Ecclesiae caput dicit ministeriale ad unitatem in toto orbe christiano conservandam per custodiam et executionem canonum, eiusque potestatem regimine temperatam esse aristocratico, quandoquidem, ait, Ecclesiam inconsultam dissentientem invitam, vel inauditam obligare ipse nequit.* Nam Richer c. 4 ait « D. Petrus est solummodo dispensator et caput ministeriale, Christus autem Dominus absolutus, Fundator, Caput et Fundamentum essentiale Ecclesiae: unde argumenta, quae, ducuntur a capite ministeriale ad essentiale caput, fallunt a dicto secundum quid ad dictum simpliciter — Cap. 8. ait, » communia esse absolute necessaria « et affert rationem » quandoquidem Rom. Pontifex, qui est caput ministeriale universalem Ecclesiam inconsultam obligare nequit. Et c. 3. Ecclesia est politia monarchica ad finem supernaturalem spiritualem instituta: regimine aristocratico, quod omnium optimum et naturae convenientissimum est, temperata a Summo animarum Pastore Dno. nostro. Tum idem inculcat c. 5. « Status a regimine in Ecclesia distinguitur: nam status monarchicus est ad unitatem atque ordinem vindicandum, nec non ad efficacem exequutionem canonum, regimen vero aristocraticum propter salutare consilium, infallibilem providentiam, et constitutiones canonum. Ecclesia enim canone, non absoluta potestate regitur. »

Unde plenitudinem pontificiae auctoritatis ita definit [a] *ut ad particulares non ad universalem in Concilio oecum. congregatam Ecclesiam extendatur:* [b] *ut iuridice valeat interpretari ius naturale divinum et etiam canonicum, et dispenset uuiversam Ecclesiam in casu quo dispensaret Concilium:* [c] *ut necessitate postulante possit leges in actu primo:* Quae fere ad verbum desumuntur ex c. 9.

IV. Eadem fere proportione Eporum potestatem in propria dioecesi definit ut recte Tarq. ita ut Epi nequeant suos obligare subditos nisi accedat horum consensus per parochos praestitus. Haec autem desumuntur ex c. 5. n. 4. ubi contendit Presbyteros in vim suae ordinationis propter Christi sacerdotium, cuius in solidum participes fiunt, proportionatum in consortium Cathedrae atque regiminis Ecclesiae venire.

V. Praerogativam infallibilitatis toti Ecclesiae i. e. universo fidelium coetui, non Petro collatam fuisse... Sic enim habet c. c. « Infallibilis potestas decernendi aut constituendi canones toti Ecclesiae, quae est columna et firmamentum veritatis non uni et soli Petro competit.

VI. Quod asserit Ecclesiae neque territorium esse, neque potestatem coactivam tribuendam esse, continetur c. 10,13 ubi ex eo quod iuxta ipsum Ecclesia careat potestate coactiva et territorio; de mediis necessariis ad beatitudinem suasive tantum ac directive, non coactive poenas temporales irrogando, iudicare ipsam posse, ait: Princeps vero politicus ut dominus reipublicae et territorii, vindex est atque protector legis divinae, naturalis, et canonicae: unde [a]) leges figere, et gladium distringere eum in finem posse, [b]) In specie autem eumdem eo nomine esse affirmat iudicem legitimum appellationum quas *ab abusu* vocant.

Tandem c. 14 habetur confutatio argumentorum, quibus absoluta potestas Romano Pontifici tribuitur.

3. Ad modum quod spectat, quo invicem sese excipiant Richeri placita, ani-

madvertisse sufficiat a) scopus systematis est politicus et specie tenus est defendere regiam potestatem re autem vera est illam destruere, et tandem iura populi tueri cuius Rex sit caput ministeriale, ut notavit etiam Card. Richelieu. Et quoniam contra hanc populi omnimodam superioritatem videbat b) primatum plenae iurisdictionis pontificiae opponi, hunc toto pectore pugnare aggreditur. Quid inde? Vti necessaria consequentia quod :

1. *pervertit naturam societatis religiosae a Christo institutae.* Nam a) principium statuit claves esse datas immediate Ecclesiae, b) asserit immediatam clavium traditionem *toti* ordini hierarchico. Sed haec pertinent ad naturam Ecclesiae et pugnant cum iis, quae Christus Dnus reapse constituit in Ecclesia sua. Ab ipso enim constitutio Ecclesiae repetenda est: constitutione autem societatis continetur tum definitio ac determinatio potestatis societati necessariae ad finem consequendum, tum determinatio et adsignatio subiecti unius vel plurium, in quibus illa potestas residet : sed ex simplici expositione doctrinae catholicae cap. praeced. patet huic contradicere Richerianum systema. Ergo pervertit constitutionem societatis ;

2.° Atque adeo pervertit ut omnem abstulerit primatum iurisdictionis. Nam omnem in Ecclesia primatum iurisdictionis aufert, qui a) asserit Romanum Pontificem esse merum caput ministeriale ; b) regimen Ecclesiae non esse monarchicum ; c) Ecclesiae, non Petro esse infallibilitatem collatam ; d) atque ideo concilia repraesentantia totam Ecclesiam esse *absolute necessaria* ad omnes errores et falsa dogmata de novo exurgentia proscribenda, ad disciplinares canones, quos varia adiuncta temporum poscunt, efformandos: et e) plenitudinem pontificiae potestatis revocari ad Ecclesias particulares — ad interpretationem legum — ad potestatem extraordinariam provisoriam et hypotheticam condendi *aliquando* leges ;

3.° Magis adhuc pervertit eo quod subiectum iurisdictionis plenae nullatenus sit Romanus Pontifex prout Christus D. constituit, sed aliud omnino, nempe civilem Principem. Huic enim tandem in facto potestatem ecclesiasticam omnem subiicit. Nam a) duplex regimen ponitur, Pontifex Vicarius in spiritualibus, Princeps in temporalibus. b) Ecclesia non habet territorium, neque ius gladii. Hinc princeps qui haec solus habet, est protector Ecclesiae, seu logice, facto saltem est dominus : atque ideo d) princeps est legitimus appellationum iudex.

4.° Imo *ipsa potestas ecclesiastica fit laica.* Nemo enim exercere potest nisi potestatem quam habet : sed princeps laicus nullam habet potestatem in res atque personas Ecclesiae. Ergo si qua potestas sine iure exerceretur ea est laica : unde potestas sacra, qua unice regi debet Ecclesia fit laica. Aliis verbis. Ex Richerio a) vera potestas coactiva non est in Ecclesia. b) ergo Ecclesia non est societas perfecta : c) ergo est collegium in societate civili, a qua totam coactivam potestatem recipientes principes laici exercere unice possunt.

Ex quibus patet ultimum consequens, quod scilicet ordo supernaturalis confunditur cum naturali, nec aliud remanet, quam purus putidusque naturalismus.

N. 8.

D. Systema Febronii.

Cf. Tarquini. Ad n. 8-9.

Ex Edmundo Richerio totus prodit Febronius, quo sub nomine latet Nicolaus de Honteim suffraganeus Trevirensi. Liber huius impii scriptoris editus an. 1763 potest dici amplissima evolutio principiorum Richerii et Protestantium praesertim De Dominis et Dupinii; titulus libri est de *Statu Ecclesiae*, in quo haereticus vir maxime impetit primatum Romani Pontificis. Ad pleniorem huius systematis notionem, quam Institutiones nostrae ferunt, exhibendam, triplicem in partem eius falsam doctrinam iuxta Tarq. dividere possumus in doctrinalem, historicam, et practicam. In hoc num. 8 hanc exponemus, in n. 9 aliquid attingemus de systematis scopo nexuque logico; et tandem quaedam circa Febronii personam, atque systematis vices historice adnotabimus. Audiatur Tarquini

I. Quoad *doctrinalem* haec docet:

a) Ecclesiae statum negat esse *monarchicum:* licet autem non obscure toti fidelium coetui claves fuisse traditas doceat, nihilominus de ea re non admodum est sollicitus, cum totus eius finis in deprimendo Romano Pontifice sit.

b) Aliquem *Primatum* in Ecclesia necessarium esse ait; nihilominus quod Romanae Sedi fuerit affixus, id ab Ecclesiae placito, non a divino iure esse repetendum tradit; adeoque fieri posse, ut ab ea revocetur.

c) Naturam ac fundamentum huius Primatus in ea re esse statuit, ut unitas servetur; unde haec deducenda esse monet: 1.o *Primatum* recte appellari *Primatum consociationis;* 2.o iura, quae de eodem praedicantur, duas in classes esse distinguenda, in *essentialia*, quae eidem perpetuo inhaereant, et in *adventitia*, quae amoveri possint, et ut plurimum debeant. 3.o essentialia ea tantum habenda esse, quae sint in unitate legitimo modo curanda; cetera dici debere *adventitia*.

d) Legitimum modum huiusce Primatus officium exequendi, idest unitatis curandae esse in *advigilando* et in *dirigendo*, consilii scilicet, non coactionis more; unde consequi ait: 1.o Primatum illum *consociationis* dici etiam oportere *inspectionis*, et *directionis:* 2.o Excommunicationis ferendae ius eatenus ad illum pertinere, quatenus (ita Febronio sentiente) excommunicatio per se non sit actus iurisdictionis: 3.o Eandem habere robur non posse, nisi ab Ecclesiis particularibus sustineatur: 4.o Quam vero quispiam meritum se non esse sentiat, non secus ac ceteras contumelias, ferendam esse patienter et contemnendam.

e) Sedulo monet hunc qualemcumque Primatum a Romano Pontifice in totam Ecclesiam haberi *distributive* tantum non *collective;* adeoque 1.o Concilii generalis auctoritatem ipsum sibi subiicere Romanum Pontificem, eumque tum quoad mores iudicare: 2.o Idem illud neque necessario a Romano Pontifice indicendum esse, neque, invitis Episcopis, suspendi aut dissolvi ab eodem pos-

se, neque finitum cum fuerit, eiusdem indigere approbatione. 3.o Pari ratione eiusdem decreta, licet ea sint, quae sua natura revocari queant, idest ad disciplinam pertinentia, a Romano Pontifice abrogari aut mutari nullatenus posse: 4.o Quoad denique consequens est, *appellationem* a Romani Pontificis sententia ad Concilium Generale regularem esse ac legitimam.

a) *Infallibilitatem* non modo Romano Pontifici, verum etiam *Concilio Generali*, veluti dotem eiusdem certam, negat (De Statu Eccl. Cap. 1, §. 9); dat tamen Ecclesiae.

g) Vim obligandi ne Concilium quidem Generale quoad decreta disciplinaria habere docet sine fidelium acceptatione.

h) Episcopos singulos immediate a Christo accepisse ait *potestatem iurisdictionis non secus ac potestatem ordinis;* atque inde sequi: 1.o Eorum potestatem tum circa fidem, tum circa disciplinam *plenam et absolutam* esse; unde necessitatem recurrendi ad Sedem Apostolicam in *caussis fidei* et in ceteris *caussis maioribus*, vel petendi, cum opus est, ab eadem dispensationes ab iis legibus, quae pertinent ad ius commune ecclesiasticum, prorsus reiicit: 2.o Eandem Episcoporum potestatem, quod consequens est, coarctari nullo modo posse neque *quoad res*, neque *quoad personas;* adeoque *exemptiones Regularium, reservationes casuum et beneficiorum*, necnon *ius annatarum*, et quaecumque sunt huius generis alia, totidem esse abusus: 3.o Romanum Pontificem in Episcoporum dioecesibus statuere nihil posse, nisi eorundem consensu.

i) Principes seculares Canonum custodes, ac vindices esse ait etiam adversus Romanum Pontificem; ita ut etiam Concilium generale sua auctoritate indicere valeant.

II. *Quoad partem historicam* explicare contendit, qua ratione Primatus Romani Pontificis auctoritas, ut ipse ait, excreverit. Itaque haec docet:

a) Duplici via id factum esse alia *fortuita et inculpabili*, alia vero, *dolosa et culpabili:*

b) Ad *fortuitas caussas* haec referenda esse affirmat: 1.o *Splendorem titulorum*, quibus Romanus Pontifex, eiusque sedes condecorata est, figuratasque et *ampullatas*, ut ipse ait, ea de re Patrum locutiones: 2.o *Dignitatem* Sedis Romanae tum quod *Apostolica* sit, tum quod *Patriarchatum* totius occidentis adnexum habeat, cuius tantum ratione (proindeque occidentalium tantum Ecclesiarum respectu) eandem ait vocari *Matrem* et *Magistram*: 3.o *Consuetudinem Episcoporum* tum referendi ad eundem graviores caussas, tum etiam deferendi ad ipsum plurium negotiorum, ut ipse loquitur, arbitratum sive ob receptum morem, ut idem asserit, eas sedes consulendi, quae dignores et antiquiores essent, sive praesertim ob personalem Romanorum Pontificum doctrinam ac sanctitatem:

c) Ad *dolosas et iniquas* pertinere, 1.o *Complures proprie dictas usurpationes* a Romanis Pontificibus ausu temerario perpetratas: 2.o *Falsas decretales* (quas potissimum fuisse caussam asserit exaggerati Primatus) ab Isidoro confictas, et a Romanis Pontificibus magno cum gaudio exceptas.

III. *Quoad partem practicam* totus est in tradendis remediis, quibus Romanorum Pontificum auctoritas coerceatur; eaque *septem* esse ait. nimirum.

a) Apta in eam rem populi instructio:

b) Concilium generale liberum:

c) Conspiratio Episcoporum per concilia nationalia fovenda:

d) Vis atque auctoritas catholicorum Principum,

e) Retentio Bullarum apostolicarum tum per Episcopos, tum per Principes seculares, idest *Placitum*, ut aiunt, sive *episcopale* sive *regium*.

f) Aperta *resistentia*, quam legitimam vocat:

g) *Appellatio ab abusu;* idest appellatio ad Principes seculares adversus Ecclesiae, praesertim vero ipsius Romani Pontificis sententias.

Haec omnia quoad triplicem suam partem doctrinalem, historicam, practicam clarissime exposita a Tarq. correspondent quidem cum serie operis Febroniani si res spectetur; si vero ordo attendatur, aliquantulum discrimen est. Nam Febronius totum opus novem capitulis absolvit; singula tamen capitula pluribus constant paragraphis. Praemittit suo blasphemo operi dedicatoriam epistolam ad Clement. XIII Rom. Pont.; tum alias regibus et principibus christianis, Epis. Ecclesiae Cathol.; Doctoribus Theolog. et Iuris Canonici inscriptas. Tandem sequuntur capita hoc ordine.

1. De exteriori forma regiminis, quam in sua Ecclesia Christus Dnus instituit.
2. De Primatu in Ecclesia et genuinis eius iuribus.
3. De incrementis iurium Primatus Romanorum Pontificum, illorumque causis tum fortuitis et innocuis, tum sontibus.
4. De causis quae vulgo maiores appellantur.
5. De legibus ecclesiasticis, earum pro universali Ecclesia ferendi iure, et de appellationibus ad Romanum Pontificem.
6. De Conciliis generalibus.
7. De Auctoritate Eporum ex iure divino.
8. De libertate Ecclesiae eiusque restaurandae iure et causis.
9. De mediis recuperandae libertatis ecclesiasticae.

N. 9.

Ad *scopum et intimum nexum* quod attinet huius systematis, tangit Tarq. a) scopum apparentem et proximum quem non esse consecutum Febronium ipsorum Protestantium irrisiones textantur... b) vices et historiam huius libelli indicat.

Dixi *scopum apparentem* ut a scopo proprio, quem sibi Febronius latenter praestituit, distinguerem iuxta ea quae disserit Zaccarias *Antifebr. vind. c. 3, 4.* « Iamvero huius systematis scopus ait Tarquini quem sibi proposuisse Febronius affirmat reconciliandi Ecclesiae catholicae protestantes ab ipsis protestantibus derisus est, inter quos consuli possunt *scriptores Lipsienses in Novis Actis* eruditorum an. 1764 pag. 1. ubi recensionem operis Febroniani exhibent, qui posteaquam opus egregie laudarunt veluti protestantium doctrinam maxime sapiens, ita ut *hominem cum Luthero comparent*, addunt tamen deinceps, clarissimum virum oleum et operam perdere cum sibi persuadet, remoto Primatu Romani Pontificis, Protestantes ad Ecclesiam catholicam redire posse: multa enim alia superesse aiunt, in quibus ipsi a Catholicis dissident. Eamdemque de Febronio scripsit Iablonskius Instit. histor. christ. tom. III pag. 146, et Bahrdtius in dissertat. contra Febron. §. VI, VII, VIII ambo protestantes ».

Scopus apparens ut liquet ex ipsius operis titulo est reducere heterodoxos ad catholicam unitatem. Hinc statim ob oculos sibi constituit unicum ut ipse putat impedimentum, quod unioni opponitur et est Primatus R. Pontificis, quem prorsus de medio tollendum aggreditur. Sed cum non posset hic negari cum suis iuribus saltem factum historicae existentiae, hinc duo praestare conatur 1. ostendere qualiscumque demum sit historica primatus rom. existentia, eam non ex Ecclesiae a X. D. institutae natura atque essentia promanare, sed ab accidentalibus et quae desinere possunt adiuncta... 2. historiae etiam saltem antiquioribus Ecclesiae saeculis longe aliam fuisse ac post recentius continuatas per falsas Decretales, RR. Pontificum usurpationes : quare statuit

a) falsam prorsus ideam constitutionis Ecclesiae ut ostendat nullam ex ea haberi proprie dicti primatus iurisdictionis *necessitatem*.

b) notionem pervertit primatus ipsius ut ostendat illum solum quadamtenus necessarium esse scil. quem ipse dicit *consociationis*.

c) ad hanc statuendam solvit obiectionem aa) ex historicis iuribus Prim. rom. deductam, bb) nominatim ex reservatione causarum maiorum.

Et ostendit haec vel non extitisse ante falsas decretales, vel saltem aliquando per quamdam usurpationem vel ius male deductum ex falsa interpretatione alicuius facti e. g. concessionis vel iudicii arbitralis.

Insuper id confirmat

a) ex potestate legifera Eccl. propria

b) ex CC. generalibus

c) ex auctoritate et iuribus Eporum.

Consectarium necessarium esse usurpationes destruere. Hinc ultima pars, in qua id asserit et media practica recenset quae ad actum redacta Ecclesiam destruunt, ut praesens saeculum XIX testari potest.

Finem porro proximum intentum a Febronio ait P. Zaccarias non alium esse quam romanae Sedi, universi orbis invidiam parere. Verum hic fuit *finis proximus*, sed si quis quaerat cur id facere voluerit, manifeste ei apparebit ibi latere sententiam « Discrimen inter Catholicos et heterodoxos ex hoc solum esse repetendum » hoc porro eatenus potest dici quatenus sublata Pontificis auctoritate nulla remanet quae logice defendi possit auctoritas in Eccl. Ast ex hoc iam sequitur spiritus privatus, qui et ipse logice saltem non est nisi status transitionis et necessario ad negationem cuiuslibet revelationis atque naturalismum, devenire debet. Unde si praesertim temporum adiuncta spectentur Febronianismus et Volterianismus amicas conserunt manus, atque ipse Febronius unus ex asseclis Volterrianis satis esse videtur.... Et reliqua penes Zaccar.

Series idearum logico nexu exhibita in systemate Febron. patet ex conspectu seq.

1. Distinctio inter scopum apparentem et realem Febronii. Scopus apparens est revocare Protestantes ad unitatem cum Catholicis destructo Primatu iurisdictionis Rom. Pontificis : Hic dici potest *finis* proximus. Hinc Zaccarias l. c. dicit scopum Febronii fuisse invidiam et odium congerere orbis X.ni universi in Romanum Pontificem.

2. Hinc systema Febr. potest reduci ad has prop.nes :

a) X.us non instituit Primatum Rom. Pontificis qualis nunc est : hinc pervertit constitutionem Ecclesiae collective et distributive.

b) Existentia historica Primatus non est factum divinum sed humanum.

c) In hoc facto humano duplex phasis praecipua I. ante pseudo decretales II. post pseudo decretales. Secunda phasis nullam habet difficultatem sc. usurpatio est manifesta, fons iurium est spurius, neque opus est assurgere ad oppositionem cum X.ª institutione. In prima phasi semper illud manere debet 1.º X.m nullum instituisse primatum iurisdictionis, 2.º hinc quae facto illum portendunt, explicanda esse modo humano partim ex causis fortuitis, partim ex causis iniquis. Hinc.

d) existentia historica primatus iurisdictionis nihil probat relate ad eius divinam institutionem imo redeundum est ad veram Christi institutionem mediis efficacibus ad id adhibitis.

Hisce quatuor propositionibus continetur *nexus logicus* universi systematis Febroniani relate ad illum scopum apparentem seu finem proximum quem diximus.

3. At vero evidens est sublata auctoritate Rom. Pontificis non tolli saltem apparenter omne discrimen inter Catholicos et Protestantes. Nam quidam ex his Epos non admittunt, quidam nullam Hierarchiam, quidam pleraque reiiciunt sacramenta &. Non apud omnes est distinctio inter articulos fundamentales et non fundamentales, atque alia plura discrimina ut supra vidimus. Huc pertinent irrisiones a Protestantibus quibusdam erga Febronii conatum irritum adhibitae quorum meminit Tarq. Ergo vel dicendus Febronius id non pervidisse, quod opinari hominis vetat scientia, nequitia atque astutia, vel dicendus finem longe scelestiorem sibi proposuisse : quod nos tenemus.

4. Ad hoc intelligendum animadvertimus Protestantes in hoc unice consentire scil. in asserendo spiritu privato seu in negatione cuiuslibet auctoritatis doctrinalis relate ad fidem et ad mores. Libri symbolici, variae confessiones, discrimina sectarum, ortum habuerunt non ex fundamentali protestantismi principio, sed tum ex defectu *logicae*, tum ex adiunctis historicis tum maxime ex necessitatibus politicis.

5. Ergo eatenus Febronius potuit sibi praestituere illum scopum revocandi protestantes ad unitatem cum catholicis, quatenus sublato Primatu iurisdictionis Rom. Pontificis nulla superest in Ecclesia quae logice possit admitti. Hinc ea, quae dicit de Primatu consociationis, de iuribus Episcoporum, de Concilio generali ex divina institutione, imperitis fucum facere possunt, ast scientificam crisim non sustinent. Sunt aliquid mere humanum, sunt formae accidentales sicut variae confessiones Protestantium et nihil aliud. Ergo Febronianismus recidit in spiritum privatum quatenus realiter nulla manet auctoritas, qua Christifideles ducantur ad finem sublata iurisdictione primatus. Hinc merito S. Ligorius protestari solebat paratum se cum sanguine suo usque ad mortem defendere Rom. Pontificis Primatum et infallibilitatem, quia aiebat, sublata hac Rom. Pontificis auctoritate, « *è perduta l'autorità della Chiesa, è perduta la fede.* » Actorum in causa Canoniz. v. 1. summar. pag. 230.

6. Recte addit *è perduta la fede*, quoniam spiritus privatus et Protestantismus non est nec esse potest nisi stadium transitionis. Nemo enim potest logice in eo tamquam in statu permanenti consistere. Nam ex principio spiritus privati ipsa divinitas Bibliorum ac proinde divinitas eorum, quae ex Bibliis deducuntur, non modo nutant, sed logice convelluntur. Hoc confirmatur ex

evolutione scientifica et historica Protestantismi ex nexu inter Protestantismum et Rationalismum. Id patet etiam eo quod demonstratio christiana et demonstratio catholica historice sint unum et idem. Scientifice distingui possunt quoad obiectum et quidem *inadaequate,* sed christiana religio est unice catholica, et catholica religio est unice christiana. Et ratio est, quia Christus non solum non instituit scholam sed proprie loquendo neque puram religionem instituit, sed fundavit societatem utique religiosam eamque unicam i. e. Ecclesiam suam.

7. Hinc intelligitur illud praeclarum S. Epiphanii dictum « Principium omnium est Sancta Catholica Ecclesia (Revelatio antecedens est praeparatio) Christus enim et Ecclesia sunt unum. Christus est caput, Ecclesia est corpus. Ecclesia sine Christo nihil est, Christus sine Ecclesia nihil in ordine salutis agere voluit, quia omnia sua Ecclesiae contulit, et omnia per Ecclesiam hominibus confert. Hinc extra Ecclesiam nulla salus (anima Ecclesiae bona ac recta fides . . . .

8. Ecclesia autem sine Petri eiusque successorum vero Primatu nihil est tum theologice, tum historice. Ergo ex systemate Febronii *logice* a) destruitur Catholica Ecclesia; b) destruitur christiana religio; c) destruitur quaelibet supernaturalis revelatio, seu quod idem est, adstruitur ille Deismus, qui tunc temporis maxime dominabatur conatibus pseudophilosophorum saec XVII.

Vices bene ostendit P. Zaccaria in suo Antifeb. vindicato latine conscripto c. 1 ubi conferatur appendix documenta exhibens variarum condemnationum « Plures scripserunt contra Febronium praesertim Gerdilius et Zaccaria apud quem l. c. alii impugnatores reperiuntur. Patris Zaccariae opera praesertim in Febronium maximi faciunt eruditi cf. Hurter Nomenclator t. 3. ind. vert. Zaccar. » Quinam vero et quomodo defenderint Febronium videre est in supplem. ephemer. eccles. heic citato a Tarq.

Ioan. (Chrisostomus) Nicolaus de Hontheim (hoc enim nomen proprii ipsius) natus est Treviris 27 Ian. 1701. Lovanii studiis operam dedit, ubi Van Espen habuit praeceptorem. Studiis absolutis Treviros rediit et iuris doctor creatus ad excolendum magis ingenium iter instituit per Germaniam et Italiam. Plures annos Romae in Germanorum Seminario clericali degit. Post suum reditum factus est Assessor in Vicariatu generali, et quinquennio elapso professor (1732-38) Pandectarum in Academia Trevirensi; an 1738 officialis confluentinus et seminarii ibidem director. Partes habuit in redigendo seu potius depravando breviario Trevirensi. Ab Archiepisc. Electore Francisco Georgio Schönborn electus fuit 24 Mai 1748 in Epum. suffraganeum et Vicarium generalem. Sedulus fuit in adimplendis muneribus officii sui atque assiduus in choro in omnibus negotiis gravioribus ab electore eiusque successore adhibitus. Hisce occupationibus non obstantibus otium nactus est componendi libros e. g. *Historia Trevirensis diplomatica et pragmatica 1750.* Prodromum historiae trevirensis 1757... Is, si hisce operibus fuisset contentus, nulla macula infecisset nominis sui celebritatem. Verum malo fato 1763 prodiit Bullioni (Francofurti) *Iustini Febronii iuris consulti de statu Ecclesiae deque legitima potestate Rom. Pontificis* liber singularis ad reuniendos dissidentes in Religione Xna compositus; quo opere iuribus Primatus maxime noxio, ingentes turbas excitavit, plurimumque Ecclesiae nocuit. De eo merito Clemens XIII in

Brevi 14. Mart, 1764 ad Clementem principem Saxoniae tum Epum. Ratisbonensem pronunciare potuit « *Omnia ex haereticorum et S. Sedi infensissimorum hominum* (sc. M. A. de Dominis, Richerii, Dupin...) *libris conquisivit* (auctor) *absurdissima quaevis de suo adiecit* » Iterum prodiit liber 1765, 1770; editiones auctae: cum vero a pluribus impugnaretur, prodierunt tres alii tomi (quorum IV. partem 1 et 2 continet) ib. 1770-1774 in 4; tum *Febronius abbreviatus* et emendatus Coloniae et Francofurti 1777 in 4.° in quo assertiones quasdam mitigat, emendat, retractat. Prodierunt etiam plures eius operis in alias linguas versiones. Mox damnatus fuit a Cgr. Indicis (27 Febr. 1764) opus pseudonymum : quae damnatio deinceps saepius fuit repetita. Diu noluit Hontheim se operis fateri auctorem. Urgente Clem. XIII, instantius adhuc Pio VI, retractationem Romam misit (15 Novemb. 1778) quam Pontifex probavit et ipse pastorali epistola promulgavit (4 Febr. 1779) Decessit 2 Sept. 1790.

N. 10.

E. De Libertatibus Gallicanis.

Cf. *Tarq. Ad n. 10.*

I. *Status quaestionis.* In primis confundi non debet Ecclesia Gallicana cum libertatibus gallicanis seu gallicanismo. De illa enim merito affirmatur a Gregor. IX ad Archiepisc. Rhemens « Gallicanam Ecclesiam in devotione Sedis Apostolicae non sequi alias sed anteire « Et Pius IX allocut. 11 sept. 1848 « Quod, ait, turbolentissimis quoque temporibus ac tristissimis rerum vicibus insignia sui in Catholicam Religionem atque in hanc Petri Cathedram amoris, obsequii et venerationis specimina praebere non destitit.

Ast quid sunt libertates gallicanae? Dum libertates quis audit putat fortasse aliquod esse liberalitatis opus: ast fallitur egregie: sive enim illae ecclesiastico sive politico sensu sumantur, mera licentia sunt filiae contra suae matris iura. Sensu ecclesiastico tandem reducuntur ad ea, quae ipsa declaratione an. 1682 exprimuntur, cuius quatuor articuli supra a Tarq. referuntur: sensu politico complectuntur seriam illam usurpationum invasionum... iurium Ecclesiae quae potestas civilis sine Eccl. gallicana et contra Ecclesiam gallicanam sibi permisit et adhuc permittit. Nos quamvis de utriusque libertatibus agamus, petimus tamen directe libertates gallicanas sensu ecclesiastico prout has iudicat Charlas « Libertates Ecclesiae gallicanae in hoc consistunt quod Ecclesia Franciae regitur secundum ius commune auctoritate Conciliorum et regulis SS. PP. unde ait Epos non reiicere ius novum receptum penes eos, sed contendere quod leges extraordinariae et potestas arbitraria locum non habeant in regimine suarum Ecclesiarum, et in hoc eos collocare libertatem ecclesiasticam. Unde patet, quod hae libertates sint merae licentiae seu filiae bellum contra matrem suam Romanam Ecclesiam, eiusque Caput a Christo institutum, adversus legitimum superiorem Ecclesiae gallicanae, sunt libertas respuendi eius decreta.

II. Eiusmodi libertates *theologice* spectatae refutantur argumentis tum intrinsecis tum extrinsecis scil. ex auctoritate cf. *Bouix De Papa Part.* 2 seq. ubi expenditur

etiam pars historica praesertim capp. 10, 11, 12, 13, 14 atque ostenditur doctrinam Declarationis Cleri gallicani contrariam esse constanti doctrinae Catholicae Ecclesiae et ipsius Ecclesiae gallicanae ante et post Declarationem. » Huc faciunt etiam Refutationes defensionis Declarationis nominatim Orsi de infallibilitate Summi Pontificis. Cardin. Laurentii Litta. Le'tere sopra de' 4 articoli detti del Clero di Francia, qui ea scripsit in Gallia dum ibi exularet sub Napoleone I Vertit ex gallico idiomate Antonius Fr. Orioli dein Cardin..

Si vero *historice* sumantur praeter dictos AA. refutavit coeteros inter Karolus Gerin Iudex in Gallia sub tit. « *Recherches historiques sur l' Assemblée du Clergé de France de 1682 par Charles Gerin juge au tribunal civil de la Seine - Paris Le Coffre 1 in 8 p. XVIII 571)* de quo cf. La civiltà cattolica 7 série vol. 6 pag. 352. Auctor commendatus fuit a Pio IX Brevi 17 Februarii 1869 in quo notatu dignissima sunt: 1°) Declaratio non fuit communis sententia Eporum Galliae: 2°) neque maioris partis: 3°) non fuit libera: 4°) fuit pluries reprobata et retractata a suis auctoribus: 5°) nullam Ecclesiae gallicanae gloriam attulit aut utilitatem.

In eadem Civiltà Cattolica l. c. habetur articulus L' Assemblea del Clero gallicano nel 1682 » in quo Auctor vestigiis insistens C. Gerin statuit 1) spectato iure conventus praesulum erat incompetens; 2) spectato facto Declaratio non fuit libera: 3) fuit reprobata et retractata a suis Auctoribus. Nos heic rem historice pertractamus infra exposituri contraria iis libertatibus argumenta theologica et iuridica.

III. Ordo dicendi. Incerta apparet origo libertatum gallicanarum cf. *Wouters histor. eccles. v. 2 pag. 213 seqq. edit. Neapol.* « Possumus tamen velut figere centrum in Declaratione an. 1682 a) quia magis explicita et solemnis b) ex ipsa adversariorum confessione. Hinc triplex stadium 1: ante Declarationem; 2. tempore declarationis et retractationis an. 1699: 3) post retractationem.

Primum stadium continetur seqq. verbis Tarq. *Febroniano systemati subiicimus libertates gallicanas, quarum originem qui praeclaro aliquo nomine honestare studet a Concilio Turonico aut saltem a Ludovico IX magna cum amborum iniuria solet repetere* ». Scil. Iniuria magna afficere aliquem est ei doctrinam adpingere, quae ab universa ferme Ecclesia velut schismatica, et praesertim nunc haeretica, proscribebatur, cum contraria prorsus doctrina tamquam catholica concordi sententia habeatur: atqui historia teste talis est doctrina circa gallicanas libertates, quae tum Concilio Turonensi, tum Lodovico ab adversariis appingitur. Et re quidem vera neque a Turonensi Conc. Saec. VII. an. 661 neque a Ludovico IX origo petenda est huiusmodi libertatum. Tempore Ludovici praesertim appellabantur libertates Ecclesiae gallicanae immunitates, privilegia franchigiae concessae Clero gallicano a Rege contra Baronum et Officialium Regalistarum potentiam ». Neque repeti posset a pragmatica sanctione Caroli VII, quae ceteroquin abolita est in Concil. Lateranensi V per concordata Galliae.

Verum dicendum earum semina iacta fuisse occasione schismatis occidentalis cum praesertim gallicano Clero inter antipapas aemulos, et quosque pro se iura praetendentes, ad regiam auctoritatem recurrente pro suis antiquis legibus ac consuetudinibus tuendis, ad hasce nomen libertatum gallicanarum extensum est. Quae ita intellectae iam tunc a Rege dependentiam atque inde-

pendentiam a Pontifice prius dubio, et postea etiam certo significare incipiebant, adeo ut temporis cursu Regalistae nomine libertatum gallicanarum appellarent usurpationes omnes quotquot a laica potestate contra iura non modo Gallicanae, sed et Romanae totiusque Catholicae Ecclesiae patrabantur. Qua in re praecise, ut vidimus, continetur gallicanismus laicalis aut parlamentaris, quem vocant, ad distinguendum Gallicanismum Epalem. seu ecclesiasticum, qui quamvis minus reus traducatur; tamen libertas non est, sed servitus Romanae praesertim Ecclesiae erga Ecclesiam gallicanam, cum laicalis est Gallicanae et S. Romanae Ecclesiae servitus Regi Galliarum praestita :

Secundum stadium. Libertates gallicanae 1) apicem suum obtinuerunt cum politica urgente potestate adeo increvere ut tum cum Ludovico XIV adversus Innoc. XI venerabilis memoriae Pontificem hostiles animos gerente aliquot Galliarum Epi an. 1682 eiusdem regis iussu congregati, celebrem quinque propositionum declarationem emiserunt. 2) Sed perperam talis declaratio ad auctoritatem faciendam penes aliquem Catholicum etiam gallicae nationis: nam talis declaratio neque ratione personarum, neque ratione modi neque ratione rei repraesentat doctrinam Ecclesiae gallicanae *Cf. Gerin et Bouix.*

Decl. et prob. 1, pars. asserti quae exhibet quatuor facta historica. I. Quare hae libertates, pedetentim excrevere urgente politica potestate. Nota sunt enim facinora Philippi Pulchri contra iura Rom. Pontif., notae aliorum, licet non omnium, usurpationes praeclarae. Sed ut coetera missa faciam, ius praetensae Regaliae arrogatum a Francorum Regibus indicium manifestum sunt harum libertatum « *Regalia appellabatur ius principis fruendi praebendis vacantibus et nominandi ad beneficia non curata sede vacante usque dum novus Episcopus iuramentum fidelitatis erga Regem poneret, quod iuramentum dicebatur claudere Regaliam* » Iamvero positiva concessione Ecclesiae etiam hoc iure posse gaudere principes nemo est, qui non affirmat, sicut et nominare ad beneficium instar iurispatronatus. Hoc porro, Ecclesiae onerosum, sub certis limitibus tributum ius fuit Galliarum regibus, quod Concil. Lugdunense an. 1275 in iis episcopatibus ratum habuit, in quibus vel titulo fundationis vel consuetudine tunc vigebat, expresse inhibendo in alia loca illud induci. Hanc prohibitionem servaverunt Reges in Galliis usque dum sub Henrico IV advocati parlamenti parisiensis ad omnes Galliarum dioeceses extendere tentarunt; ast conatu irrito, donec tandem onus Regaliae omnibus Galliarum sedibus imponere proprio marte contra SS. canones Ludovicum XIV ministri atque consiliarii induxerunt.

II^m^ factum est quod apicem suum obtinuerunt per famosam Declarationem Cleri gallicani, quia id fatentur adversarii et res ipsa clamat, cum ulterius progredi nequit. Nomine enim libertatum Gallicanarum introductae sunt sensim sine sensu appellatio ab abusu, quae iam saec. XIII reperitur, provisio praebendarum Cathedralium, sede vacante, usurpata a Regibus; leges a potestate civili editae de beneficiis etiam contra reservationes pontificias, advocatio causarum quarundam a tribunalibus ecclesiasticis ad forum saeculare et similia — Reservationes papales maximam partem sublatae — Plurima quoad re-

cursum a iudiciis Ecclesiae, quoad disciplinam Cleri imo quoad cultum divinum sancita — Item plura decreta Basileensia recepta — Haec et omnia alia pedetentim nomine libertatum gallicanarum comprehendi coeperunt, creverunt eo usque, quo altius efferri nequeant sub violento Ludovici XIV regimine. Cf. 4, art. gallic. penes Denzinger §. XCIX, et Vouters Histor. Eccl. v. 2, p. 213.

Et re quidem vera si inspiciatur scopus, media, effectus talis Declarationis, libertas seu licentia contra Ecclesiam etiam gallicanam, et praesertim contra Romanum Pontificem maior esse nequit . Finis continetur 1a prop. quae in eo est ut Rom. Pont. auctoritas deprimatur, et Regis potestas contra Pontificem attollatur « Romanis Pontificibus nullam esse in Reges atque in civilia quidem negotia ne indirectam quidem potestatem. »

Ad hunc porro finem obtinendum exhibent media propos. seqq. 2. Concilii generalis auctoritatem Rom. Pontificis auctoritate esse superiorem. 3. Potestatem Sedis Apostolicae coarctari a) per canones iam conditos, totiusque mundi reverentia consecratos: b) per consuetudines et instituta a Regno atque ab Ecclesia gallicana recepta — 4. Rom. Pontificis iudicium infallibile esse, censendum non esse, nisi Ecclesiae consensus accedat.

Tanta licentia atque usurpatio iurium contra Romanam Ecclesiam non minus patet ex effectibus. Hi enim praecipui sunt I. *Appellatio ab abusu* quae est miserrima illa consuetudo subiiciendi Ecclesiam magistratibus civilibus ad eos appellando a sententia iudicis ecclesiastici, eo nomine quod ille auctoritate sua perperam atque iniuriose usus fuerit :

II. *Regium Placet* i. e. pessima altera consuetudo, qua constitutiones apostolicae, ipsaeque etiam Eporum pastorales litterae, quas dicunt *mandata* in vulgus edi servarique vetantur, nisi id civilis magistratus permittat.

III. *Regius Patronatus* et custodia canonum, quo nomine libera fit Regi facultas quibuslibet Ecclesiae negotiis sese immiscendi.

Ex quibus omnibus manifesto patet quousque tandem in praxi recidat huiusmodi systema; quo coetera videlicet exposita systemata. Si quis attente hos articulos cum suis effectibus consideret merito reputabit cum cl. De Maistre » Gallicanismum nil relinquere Ecclesiae nisi facere aquam benedictam, vel cum cl. Charlas *de Libert. gall. an. 1720 v.* 4 » esse oppressionem iurisdictionis ecclesiasticae a laica et depressionem auctoritatis Rom. Pont. a clero gallicano.

III.m Factum fuit hostilis animus Ludovici XIV contra Rom. Pontificem. Instâr omnium sit testis magnus Bossuet, qui an. 1700 suis enarrans originem atque causam gallicanae Declarationis, ait » *Al tempo del Cardinale du Perron e sotto il Ministero di Richelieu e di Mazzarino, Roma era troppo in favore, e la Francia aveva quasi abbandonate le sue massime gallicane; ma appena il Re Luigi XIV ebbe preso in mano il governo e sopratutto dopo che Colbert fu ammesso al potere, si tenne questa politica di umiliare Roma e di afforzarsi contro di lei, ed ella fu seguita da tutto il Consiglio. Di qui nacque la decisione della facoltá teologica del 1663 e tutto quello che si è fatto da poi, Journal de Ledien presso il Gerin Civiltà Cattolica l. c.* Et re quidem vera hunc animum hostilem gerens Ludovicus Rex omnem arripuit occasionem seu praetextum e. g. a) ex disputatione ac defensione quarundam thesium coram fa-

cultate theologica parisiensi, quam postea coegit ad propositiones an. 1663 affirmandas : quibus ex 700 Doctoribus, queis talis facultas constabat, 70 tantum subscripsere... b) praetextum arripuit ex negatis iis Regaliis, quas suo marte ad omnes dioeceses extenderat; c) ex brevi pontificio declarante nullam in Abbatissam monasterii de Charonna electionem cuiusdam monialis cistercensis, iussu Regis, contra canones factam... d) ex electione duorum Vicariorum Capitularium vacante sede Apamiensi Cf. Civiltà Cattol. l. c. p. 692-695.

IV. Factum. Ex his tandem aliquando pervenit Rex ad nationale concilium convocandum, ipse auctoritate sua, nulla a Rom. Pontifice aut a iure facultate obtenta, imo contra omnia iura humana et divina. Contra omnes canonicas sanctiones ipse convocat omnes, quos regiae causae faventes praevidit Epos, prout hi proaemio Declarationis indicat « Nos Archiepiscopi et Epi Parisiis mandato regio congregati » ipse materiam de qua deliberarent, determinavit, ipse laicos quoque in hoc Concilio coegit. *Cf. Docum. IV, V, VI penes Bouix et Gerin.*

Decl. et prob. 2 p. Talis Declaratio 4 artic. nullius auctoritatis et roboris ab omnibus Gallis sit habenda, cum neque ratione personarum, neque ratione modi, neque ratione rei doctrinam gallicanae Ecclesiae repraesentat. a) Non *ratione personarum* sive harum numerus, sive qualitas spectetur; sive ipse convocans. Nam ad legitimum Concilium nationale convocandum requiritur convocatio per legitimam auctoritatem facta i. e. per Summum Pontificem aut ipso annuente per Primatem, cui competat iurisdictio in omnes Regni dioeceses. Sed conventus hic coactus est iussu regis — Insuper ad verum Concilium nationale requiritur ut omnes regni praesules vocentur, et omnes Epi, si interesse voluerint, admittantur; imo ut omnes sive per se sive per procuratorem adesse teneantur. Vtique a perversis illis aulicis Epis non adhibetur phrasis se esse Concilium nationale, sed per ipsos nationale Concilium repraesentari. Sed neque hoc ipsis suffragatur effugium: nam de natura Concilii est, ut nonnisi a coadunatione repraesentetur ita ut ipsamet coadunatio sit vere et proprie Concilium: cum prorsus repugnet Concilium repraesentari ab aliqua coadunatione, quae non sit Concilium. Ergo hic conventus anni 1682 non fuit verus Cleri conventus gallicanam Ecclesiam repraesentans sub ratione concilii nationalis.

Sed neque ratione conventus, simpliciter Cleri. Hos enim conventus, qui tunc Cleri vocabantur, constituebant Antistites et Clerici, quos singularum Provinciarum ecclesiasticarum Clerus eligebat deputabatque procuratorium eis tribuens mandatum tractandi, atque expediendi certo modo determinata quaedam negotia. Ex unaquaque vero provincia Epi duo cum duobus aliis ex inferioribus ordine Clericis deputari solebant : quae omnia huic conventui desunt.

Si spectetur qualitas personarum, idem dicendum. Hae namque, ob dicta usurpatores erant propter praetensionem repraesentandi nationale Concilium cum non possent ex SS. Canonibus. Insuper ab hoc conventu excludi debebat tum praeses ipse Archiepus Parisiensis, Coquelin, Chéron, Courcier, tres antistites de Colbert scil. adiutor Rhotomagensis. Epus Montalbanensis, Epus Antissiodorensis; quia ille filius, hi consanguinei erant ministri Colbert cf. Bouix l. c. §. 3. Tandem illegitimus conventus fuit ob causas maiores tali Concilio decidendas propositas.

b) Neque *ratione modi*. Non enim electio deputatorum fuit libera, neque libere data procuratio a Clero uuiuscuiusque provinciae *Cf. Bouix IV-V-VI-VII et Civiltà Cattolica l. c. p. 701*, quoad electionem deputatorum... et p. 703, 704 etc quoad procurationem seu mandatum.

Unde hic conventus latrocinium fuit, et iuxta Leibnitium protestantem hominem fuit: « *une poignée d' Evêques de cour. insolent, et desobeissant* (erga Summum Pontificem) au *dernier point.* »

c) Neque ratione rei, ob quam se dicunt hi 35 Praelati repraesentare Ecclesiam gallicanam: non enim quatuor articulis gallicanis contentam doctrinam, sed huic oppositam apud Galliae Clerum antea et tunc temporis fuisse generaliorem constat 1) ex eo quod facultas parisiensis licet iam mutila totque oppressa machinationibus, 15 suffragiorum maioritate, quatuor articulos reiiciendos censuerit *Bouix l. c.* 2) ex eo quod hos quatuor articulos fere generali indignatione esse repulsos constat *Bouix Doc VIII;* 3) ex eo quod ipse de Harlay testatur ipsosmet Praelatos, qui 4 articulis subscripserant contrarium libenter dicturos si hoc iis per Regem licuisset *Bouix Doc. IX.*

Ergo recte de hoc conventu iudicavit Grimaldi Epus Aquensis « *Codesta Assemblea* (è la sostanza della sua risposta presso la Civiltà Cattolica l. c., nel colloquio col Morant governatore della Provenza) *non potrà mai essere altro che un conciliabolo; perchè ella viene raccolta senza autorità del Papa anzi contro il Papa medesimo, perchè viene chiamata a decidere questioni per cui non ha autorità competente, e perchè nello stesso convocarsi niuna libertà si lascia al Clero elettorale imponendosi dalla Corte e i Deputati e la lor procura* « Hinc merito concludit Bouix l. c. § 5. « Declaratio 4 articulorum fuit simul mendacium, tyrannica persecutio et intrusionis actus » *Mendacium* quidem ex dictis modo patet. *Tyrannica persecutio* ex eo quod verum decretum ut efficaciter obligans quatuor articulorum ediderunt aientes haec sancienda esse duximus: voluerunt scil. doctrinam hisce articulis contentam fieri obligatoriam in docendo, et oppositam ab omnibus scholis et scriptis expelli atque expungi ad quod postularunt et obtinuerunt Edictum regium ne deinceps quis a) auderet quidquam docere aut scriptis edere quod esset contrarium dictis articulis, et quidem sub poenis arbitrio magistratuum relictis: b) atque cogerentur Theologiae professores 4 articulos ceu veram doctrinam tradere et scripto promittere se tradituros, secus nullus licentiam aut doctoratum consequi posset. Atqui omnis catholicus ubique publice et privatim profitendi atque docendi ius et officium habebat et habet oppositam doctrinam quae erat semperque fuit Romanae Ecclesiae totiusque Catholicis orbis Cf. De Ligorio in append. ad Bouix. *Fuit intrusionis actus*: nullam enim potestatem habebat conventus in causas maiores: sed doctrina contenta hisce articulis est ad causas pertinens maiores. Ergo.

TERTIUM STADIUM. STATIM PORRO AC EDITA FUIT EIUSMODI DECLARATIO, REPROBATA EST ET QUIDEM CONSTANTER. 1.o A SEDE APOSTOLICA AB INNOC. XI... USQUE AD CONCIL. OECUM. VATICANUM. 2.o ETSI REPRAESENTARET DOCTRINAM ECCLESIAE GALLICANAE, TAMEN FUIT RETRACTATA AN. 1693 TUM AB EPISCOPIS, TUM A REGE IPSO LUDOVICO XIV (1). 3.o NULLUS AUTEM FUIT ACTUS SOLEMNIS, QUO EPI EA RESUMPSERINT ET QUAMVIS IN USUM. 4.o REVOCATA CLANCULUM FUERIT A CIVILI POTESTATE (UT AIT CARDINALIS LITTA). 5.o REPROBATA TAMEN SEMPER FUIT SALTEM A POTIORI PARTE EPORUM GALLIAE, NUNC AUTEM PRAESERTIM POST VATIC. OECUM. CONCIL. AB OMNIBUS OMNINO REPROBANDA MAGIS A GALLICANIS ATQUE REIICIENDA PRORSUS EST.

Ad I. Quod doctrina Gallicanorum statim et constanter reprobata ac reiecta fuit a Sede Apostolica patet ex Brevi Innoc. XI et ex Constit. Urban. VIII. *Inter multiplices* cf. Denzinger Enchir §. XCIX.; *Brev. Innoc. XI penes Bouix Docum. VIII p.* 27.

II. Fuit horum 4 articulorum Declaratio retractata ab Epis, ut literae ad Innoc. XII datae an. 1692 a pluribus eorumdem art. auctoribus patet. Textus epistolae est penes Bouix §. 6 Doc. II. ubi contra Bossuet tenenda est propos. V. « satisfactoria epistola fuit vera retractatio Declarationis anni 1682, pag. 72. »

Tum ab ipso Rege Ludovico XIV, fuit retractata literis datis ad Innoc. XII. Cf. *Bouix l. c. p. 64, Doc. V. et pag.* 76, §. Idem dicendum de Ludovici...

III. Nullus fuit actus solemnis Eporum, quo eam resumpserint. Cf Bouix. l. c.

IV. Quamvis in usum revocata clanculum fuit a civili potestate Cf. Card. Litta.

V. Nunc autem praesertim post Vatic. Concil. ab omnibns omnino reprobanda magis... Nam. in *sess. 4. Const. dogmat. Pastor aeternus c. III* coetera : inter huc faciunt. §. *Porro ex suprema illa* B. P. S. *Et quoniam divini Apos. primat.* § *Si quis itaque dixerit.*

Dixi magis non relate ad alios Catholicos sed ad illos qui Gallicanismum sapientes expectabant rem definiendam esse ab Oecumenico Concilio. At Concilium Vaticanum, a quo superius recensita contra gallicanos articulos definita sunt, est oecumenicum legitimum. Ergo argumento ad hominem, ipsi Gallicani nisi haeretici omnino velint esse, tandem conquiescant oportet. De coetero alii iam a Pontifice satis rem diremptam profitentes contra Gallicanos irreformabili Rom. Pontificis iudicio conquiescebant.

(1) Cf. Epistol. mv. P. De Vitry quae extat inserta in t. 1, operis Charlas in Biblioth. Colleg. Rom. cum adnotationibus P. Lazeri. Cf. Feller. art. Caulet et Hergenröhter Historia Ecclesiae II, n. 594.

N. 11.

Ad n. 11. Haec porro sunt praecipua systemata, quae verae Ecclesiae Constitutioni adversantur...

Non haec tantum systemata, sed essent exponenda plura alia quae et ipsa ab Ecclesia damnata sunt, quaeque haud parum a genuina eiusdem Ecclesiae constitutione aberrarunt. Superest dicendum aliquid e. g. de Iansenistis, qui hisce ultimis saeculis Romanam Sedem sua inobedientia et pertinacia vehementer afflixerunt. Ast cum eiusmodi haeretici Iansenistae circa Ecclesiae constitutionem systema proprium nullum habeant, sequentes pro varietate temporum modo hoc modo illud ex supra expositis et praesertim Richerianum ut constat tum ex doctrina Pistoriensis Concilii, tum ex scriptis Curaltii. Van. Espenii, eiusdemque furfuris virorum, specialem omittimus expositionem. Illud unum quod semper curarunt Iansenistae et hic intenderunt, animadvertimus non condere scil. systema sic apertum contra Ecclesiam ne viderentur statim constituere separatam quamdam sectam uti Lutherani atque adeo ne ab Ecclesia eiicerentur, maiorique nocendi fidelibus commodo privarentur. De haeresi Iansenistarum circa gratiam disserere alterius est provincia. Nobis hic addidisse sufficiat Iansenismi propugnatorem in Italia Pistoriensem Epum Scipionem De Ricci qui famosam dioecesanam synodum celebravit, eo convocans etiam extradioecesanos presbyteros ad multorum e suo clero contraria vota elidenda. Qui huius Pistoriensis synodi pars magna extitit ac veluti anima fuit Petrus Tamburinius antecessor Ticinensis, qui oppletus deinde annis et censuris, extinctus est. Cf. *Denzinger Ench. damn. a Pio VI propp. 85, a 2ª ad 15m, 37' 46 ad 60, a 75 ad 85.*

Van-Espen, quoniam de eo sermo incidit, cuius scriptis Iur. can., quod mirum est, deferre passim non dubitant quidam adhuc Ecclesiastici viri, oblivioni aeternae relinquendus est, nec nominetur in nobis, utpote qui addictissimus fuit Gallicanismo et Iansenismo imo utriusque erroris defensor, discipulum habuit Iustinum Febronium seu Nicolaum de Honteim, qui pestiferam Magistri sui contra S. Sedem doctrinam explicavit. Natus ille erat Lovanii 1645, atque impoenitens mortuus est an 1728.

Paucis memorandus, ut etiam oblivioni detur, est Eybel antecessor Viennensis in Austria famosus, qui ob suam in S. Sedem haud parvam hostilitatem, quam ostendit tum cooperando schismati, quod Iosephi II viribus et auctoritate praevalebat, tum maxime edendo lingua vulgari opsculum anonymum cui tit. « *Quid est Papa* » ex licentia revisorum imperialium. Sed hoc opusculum proscripsit Pius VI. Brevi « Super soliditate » Cf. Gerdil, qui contra hos postremos damnatos auctores praeclare scripsit.

Systemata praedicta plus minusre renovarunt atque in dies renovant haeretici atque schismatici aetatis nostrae, ut videre est in Syllabo, atque in ultimis actibus Sedis Apostolicae modernos proscribentis errores.

Breviter etiam indicandum Lipsii systema. Lipsii scil., quae est omnium Protestantum opinio, est quod epale regimen in Ecclesia non ex Christi et Apostolorum institutione descendat sed serius et pedetentim invectum fuerit molitio-

nibus et tricis Praesidum collegiorum Presbyterorum. Et quamvis Lipsius sicut plures e Protestantibus aliquod a Christo speciale ministerium regendae Ecclesiae constitutum autumant, volunt tamen nullum initio rei christianae intercessisse discrimen inter Epos et Presbyteros, quod posterius abusu aut ambitione invectum affirmant. Ipsi enim, ait Card. Segna (De Eccl. X. constit. et regimine c. VIII. n. 54) ultro fatentur, nec enim negare possunt quum historice evidenter constet pluribus iam inde a saeculis, et saltem altero labente in Ecclesia eadem forma ac in praesens S. Hierarchiam initiatione quadam sacra constitutam triplici gradu et ordine scil. Epis, Presbyteris et ministris constantem — Quapropter controversia revocatur ad ipsam a Christo factam institutionem, utrum scil. Ecclesia ita a Christo constituta fuerit, ut nonnisi penes eos qui fuerant ab Apostolis praepositi, aliosque illis legitima ordinatione succedentes, paucis penes Epos potestas esset eam regendi et administrandi. Quae quidem quaestio ex iis, quae supra disputavimus (p. 1. c. II n. 8-19) soluta universim iam dici deberet. Cum enim constet Apostolos in Evangelii praedicatione hanc constanter tenuisse methodum ut munus sibi collatum aliis, ab ipsis delectis, quos in suum locum subrogabant, manuum impositione concrederent; potestas regendae Ecclesiae nonnisi iis, qui legitime per s. initiationem Apostolis successerint collata censeri potest scilicet episcopis » Ceterum hoc systema Lipsii eiusque sectatorum falsum evidenter patebit infra exposita doctrina Capitis et eorum qui in partem sollicitudinis vocantur i. e. Eporum.

Ceteros inter Modernos lapidibus obruendum Nuytsi systema expressum in opere cui titulus « Iuris ecclesiastici Institutiones Ioan. Nepomuceni Nuyts in regio Taurinensi athenaeo professoris. Hoc nefario opere docet, ut cetera haeretica et schismatica omittam; » Ecclesiam vis inferendae potestatem non habere, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam. Divisioni Ecclesiae in Orientalem et Occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulisse ; praeter potestatem Episcopatui inhaerentem, aliam esse attributam temporalem a civili imperio vel expresse vel tacite concessam, revocandam propterea cum libuerit a civili imperio : civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competere potestatem indirectam, negativam in sacra: civilem potestatem, ab Ecclesiastica, si damno afficiatur, sibi consulere per potestatem indirectam negativam in sacra : illi competere nedum ius, quod vocant *exequatur*, sed vere etiam appellationem ab abusu; in conflictu legum utriusque potestatis ius civile praevalere; nihil vetare alicuius Concilii generalis sententia, aut universorum populorum facto summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum, aliamque civitatem transferri,... De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et Catholicae Ecclesiae filii... Porro hoc systema quod nonnisi repetitio ceterorum sit quae supra exposuimus et damnata vidimus. Pius IX litt. encycl. Ad Apostolicae Sedis 22 Aug. 1851 sic declarat, et damnat, « Compertum est auctorem per huiusmodi doctrinae ac sententias eo tendere ut Ecclesiae constitutionem ac regimen pervertat et Catholicam fidem plane dextruat... Ecclesiam civili imperio subditam esse per summum nefas asserit, impium renovat Protestantium systema, quo fidelium societas in servitutem redigitur civilis imperii... Tum has propositiones (contentas in illo pravissimo opere damnat respective falsas temerarias scandalosas erroneas, in S. Sedem iniuriosas, eiusdem iuribus derogantes, Ecclesiae regimen

et divinam eius constitutionem subvertentes. Eas reprobamus, ait, damnamus ac pro reprobatis ac damnatis ab omnibus haberi volumus et mandamus. »

Tandem quid de liberalium secta ac Francomurariorum sentiendum sit, patet ex iis quae supra lib. I. exposuimus.

§. 2.ª De plena Potestate visibilis Capitis in Ecclesia, qua doctrina. Praedictorum systematum fundamenta convelluntur.

N. 12.

Cf. Tarq. Ad n. 12. Cum et temporis brevitas et ratio prohibent, quominus quae alibi fusius, heic repetantur, nos singillatim supradictas expositorum omnium systematum haereticas atque schismaticas confutandas sententias suscipere non possumus: illud unum, quod promisimus, satis duximus aggrediendum, subruere scilicet fundamenta, quibus omnia et singula innituntur, quibus collapsis, cetera corruant, necesse est; quod opus erit 1ae partis (a n. 12-14); tum corollarii more adiicere ea, quae cum faciant maxime contra dictos errores, haud operosius Theologi ostendunt, quod deducere erit 2ae p. huius paragr. a n. 14 deinceps.

Quaenam porro sint praedictorum errorum fundamenta, patet inspicienti ea omnia fundari super arena ac semper collabentibus ruinis, quatenus omnes Ecclesiae Hierarchiam pervertentes, in unam illidunt petram ad eamque confringuntur, quam Christus posuit fundamentum Ecclesiae suae nempe Primatum Petri, « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam » Mth. XVI. Ex dictorum nanque systematum expositione patet, iis hoc unum praecipuum, a quo cetera pendent, propositum est, abolere scil. vel saltem imminuere supremam atque absolutam Romani Pontificis potestatem quatenus eam tribuunt vel Principi saeculari, vel plebi, vel Epis simul aut singillatim sumptis.

Unde si mente fidelium retineatur, ore proclametur, atque opere compleatur catholica veritas de Rom. Pontificis absoluta atque incircumscripta potestate, manifestum est huiusmodi systemata quoad molem et partes articulosque omnes et singulos corruere, nec illa quidquam aliud efficere posse, nisi mentes fidelium super Petra magis magisque confirmare.

Iamvero ad ostendendam potestatem eiusque rationem seu Primatum iurisdictionis Rom. Pont. duo praestanda sunt: 1.m primatum iurisdictionis seu supremam in Ecclesiam atque incircumscriptam potestatem tum Petro esse a Christo Dno collatam quod conficit Tarquini n. I. et II. tum hanc transire in successores Romanos Pontifices usque ad consummationem saeculi, quod Tarq. exhibet n. III.

N. 13.

I. de primatu iurisdictionis petro collato.

« *Propositio:* Petri in Ecclesiam potestas ab ipso Christo ita instituta est, ut omnino plena ac perfecta sit, nullaque humana auctoritate circumscripta. »

Probatur ex Io. XXI. 15, 16, 17. coll. Mth. XVI. 18, 19; quibus in locis haec manifesta sunt:

I. *Agi ibidem* a) *de aliqua potestate* b) *in Ecclesiam* c) *Petro singulari modo tributa,* d) *a Christo Dno. Christus enim est qui loquitur, isque ad Petrum loquitur, eum proprio nomine, quo nempe a singulis distinguebatur, compellando, ipsamque eiusdem personam addito carnalis parentis nomine, indigitando ac denique expresse eumdem a coeteris omnibus separando. — Cum ergo prandissent dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis (fili) diligis me plus his! nempe caeteris omnibus Apostolis qui adstabant.*

Id autem est quod loquitur ut conferat munus pascendi idest regendi) Cf. Ps. 77. v. 71, 72) agnos et oves suas (idest eos qui ad ovile suum pertinent, quae est Ecclesia. Cf. Io. X. 1-16). Dicit ei (Petrus) Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei (Iesus): Pasce agnos meos... Pasce oves meas (Io. XXI. 15, 17). Eadem vero animadverti possunt in altero loco, idest Mth. XVI. 18, 19, ubi eadem potestas Petro promissa est, quae apud Ioannem dicitur eidem collata. Iam igitur illud patet Petri potestatem regendi Ecclesiam, quaecumque ea sit, divinitus idest ab ipso Christo institutam fuisse.

II. Manifestum item est agi iisdem in locis de potestate a) *non in partem aliquam, sed in corpus universum Ecclesiae;* b) *eademque absoluta, nulloque limite circumscripta; proindeque plena ac perfecta, neque eiusmodi quae ab alia auctoritate humana coarctetur.*

Decl. et prob. prop. aliis verbis. Dicitur *plena* h. e. non pars aliqua in ipso, pars aliqua in Epis: *perfecta* quoad intensitatem praesertim respectu eorum, quae potest, quaeque sit potestas iurisdictionis legifera, scil. iudiciaria, coactiva in ipsam societatem, *nullaque humana auctoritate ciscumscripta* non solum quoad extensionem rerum, circa quas, sed et personarum, in quas exerceatur, atque adeo independens.

Ad probationem adhibetur classicus locus *Mat. XVI et Ioan. XXI*; ex utroque seorsim eadem propositio probari potest.

Ioan « XXI, 15 seqq. » Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro...

Antequam instituatur argumentum, praemittendum est quid veniat nomine *agni* et *ovis*, quid verbo *pascere* 1) *Agni et oves* praesertim ex usu sacro metaphorice sunt *Christifideles* non solum *iusti sed* et *peccatores* omnes seu universa Ecclesia pascenda. Ipse enim Christus V. T. praedictus est pastor *Ezech. 35, 27; Mich. 5, 2)* et in N. T. se pastorem appellat, dicit se habere oves, se pro iis animam ponere, se eas cognoscere, et ab iis cognosci. Sed hi profecto sunt, qui in Christum vel iam crediderunt, vel crediturі sunt. Confirmatur *Act. 20, 28* ubi Paulus *gregem vocat*, fidelium multitudinem, cui praeest Epus, quem gregem lupi invasuri sunt, *Conf. 1, Petri 5.*

Dixi *Christifideles etiam peccatores*: nam agni et oves pascendi profecto visibiles esse debent; ergo vox oves et agni dicit non strictiori significatione praedestinatos et iustos tantum, sed ampliori et propria, quae complectatur omnes profitentes fidem = *Omnes Christifideles* quacumque ratione inter se distinguantur; prout enim a Christo pastore distinguuntur nonnisi oves aut agni componentes gregem esse possunt: atque praeter oves et agnos in grege alii non dantur. Atqui sine ulla limitatione quisquis habet rationem ovis aut agni Petro traduntur pascendi. Ergo sine discrimine aut distinctione omnes

Christifideles. Utique discrimen ponitur inter agnos et oves, sed id ad denotandum non ex aequalibus, ast ex inaequalibus ovile Christi coalescere seu in Ecclesia sua alios esse Patres, alios esse filios.

2) Βοσκειν et ποιμαινειν cum hic de uno eodemque subiecto usurpantur, metaphorice idem valent, quamvis Το βοσκειν minus dicat quam ποιμαινειν; at cum τον ποιμαινειν obiectum sunt homines metaphorice significantur functiones et munera tum eorum, qui magisterii, tum eorum, qui iurisdictionis potestate in populum potiuntur.

Usum sacrum passim exhibent *Isai.* penes quem Cyrus dicitur a Deo Pastor, *lib. 2m Reg.* ubi Reges populi pascere eum dicuntur « *Tu pasces populum meum Israel,* et tu eris dux super Israel. » *Ezech. 37, 24,* « *Numquid ait Dominus locutus sum ad unum de tribubus Israel, cui praecepi ut pasceret populum meum Israel.* » *Ps, 22,* 1. *Dnus regit me et nihil mihi deerit Dominus pastor meus est. Usum profanum* testatur Homerus cum Reges appellat Ποιμενας λαων, Hesych. cum ab ipso ποιμην explicetur βασιλενς.

Hisce positis dico a) Aliqua potestas b) in Ecclesiam c) Petro singulari modo tributa, d) a Christo est l. c. Atqui talis potestas est d) in universam Ecclesiam, absoluta, nulloque circumscripta limite.

Ad mai. Aliqua potestas, quia munus pascendi est munus regendi ex supradictis et ex *ps. 77 v. 71* et *72*; in Ecclesiam, quia ad ovile Christi pertinent agni et oves. Atqui haec est Ecclesia Io. X, 1-16. *Petro singulari modo tributa* h. e. non prout alios repraesentaret sed prout constituebatur Caput a a coeteris distinctum. Nam ipsum unum Christus alloquitur, ipsum unum proprio et parentis carnalis nomine compellat, quatenus a coeteris omnibus secernebatur. *Simon Ioannis diligis me plus his?* h. e. plus quam hi me diligant, respectu scil coeterorum Apostolorum insinuans eis quemnam amoris gradum in eo postularet ut vicarium suum ageret; non respectu piscium, ut vellent Protestantes quia huic interpretationi adversaretur traditio exegetica Patrum, et quia secus inepta esset interrogatio. Nam dilectio maior quam in pisces, non excludit posse plura alia extra Deum amari super Deum. Illi tandem dirigitur et tribuitur potestas, a quo exigitur actus amoris, porro hic omnino personalis est: ille idem qui sit, is cui dicitur cum esses iunior . . .

A *Christo Domino.* Nam ipse Christus Dominus cui data est potestas in coelo et in terra tali potestate auxit nominatim Petrum.

Ad min. *quoad 1.m* in Universam Ecclesiam ut ex dictis patet. Omnes namque agni et oves Petro pascendi committuntur nullo discrimine facto inter agnos et oves, ut indicaretur non modo plebem, sed et magistros et praefectos plebis, quicumque sint, Petri curae committi.

Quoad. 2.m potestas scil. nullo limite circumscripta. Nam a) adhibetur verbum pasce ποιμαινε sed cum huius vocabuli obiectum sint homines ποιμαινειν est regere cum auctoritate cum imperio, cum potestate iurisdictionis. Est autem haec potestas regia et suprema ut ex dictis patet, ex *ps. 78, 71, 2 Reg. V. 2, 3, Reg. XVII, 17.*

Obiic. Sed ποιμαινειν accipitur etiam pro solo munere vel auctoritate docendi. Resp. a) Hoc verbum absque addito non limitatam sed ampliorem dictam significationem habet; cum vero ei limitata significatio subiicitur disertis verbis appositis declaratur. *Hier. III. 15. Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* ».

b) Etiam hac interpretatione accepta idem mediate colligitur, cum tunc sequeretur supremum magisterium fidei esse penes Petrum: atqui suprema potestas Ecclesiae ibi debet esse ubi supremum est magisterium. Ergo cum adsit in Ecclesia suprema potestas ligandi et solvendi collata Apostolis, haec prout suprema est, erit in Petro.

c) Quia Petro singulari modo *ac seorsim a ceteris traditur.* Uni enim Petro (cui iam una cum aliis collata fuit et missio et potestas integra apostolica), modo tribuitur munus pascendi oves et agnos Christi et quidem propter specialem amorem, quo Petrus Christum prosequebatur prae ceteris Apostolis. Ergo specialis praerogativa ei confertur praeter eam, quam communiter una cum aliis omnibus acceperat. Nam hoc munus speciale Petro attributum nectitur ex voluntate Christi Domini cum speciali amore Petri, ergo induit rationem retributionis, aut praemii quod ipsi prae ceteris conferatur. Sed praemium speciali amori collatum, quatenus tali, est praemium excedens dona minus diligentibus Apostolis collata. Porro munus Apostolatus omnibus erat collatum. Ergo hoc munus pascendi Petro collatum est aliquid praestantius munere apostolatus. Sed hoc aliquid praestantius aliud esse non potest, quam suprema et absoluta potestas etiam super ipsos apostolos.

c) *Neque* ullo adiecto verbo *restringitur*, neque quoad extensionem, quae est maxima, cum ipsi dicatur *Pasce agnos . . . Pasce oves,* idest Christifideles omnes praeter ipsum Petrum: quibus et Apostoli continentur, qui distincti a Petro sunt, et uti tales spectantur, atque oves appellantur: nec quoad intensionem, cum Petrus ipsis Apostolis principetur, atque proinde quaedam possit quae non possunt Apostoli, omnia quae sive directe sive indirecte ad Ecclesiae finem adaequatum integre ac plene assequendum non solum pro singulis fidelibus et singulis ovibus i. e. Apostolis ceterisque Pastoribus, sed etiam pro coetu fidelium, pro coetu Pastorum, pro horum omnium universa ac perfecta societate, quae est Ecclesia Christi.

II. Quod vividius ait Tarq., etiam declaratur in altero Mth. loco, ubi a) *potestas clavium, quae est absoluta et monarchica Isai. XXII 22 Apoc. I 18)* b) *Petro singulari modo tribuitur*, c) *nullo limite adiecto*; *atque* d) *fundamentalis petrae metaphora addita, ex qua scil. omnia et singula, quae in Ecclesia sunt dependeant (Cf. 1 Reg. XXII, 2 Math. VII 24, 25); quaeque potestatis ipsius Christi maxime propria est (Isai. XXVIII 16, Ps. CXVIII 22*; *Math. XXI, 42, Act. IV 11. etc.*) . . .

Desumptum iam ex Io. argumentum merito confertur cum *Math. XVI:* nam cum illi eidem subiecto de eadem re facta fuit promissio penes Math. verba Christi penes Io. dicta Petro induere debent eam significationem, quae a subiecti, cui dicuntur, qualitate determinantur. Unde verba Io. conferenda sunt cum verbis Math. sicut executio cum ipsa promissione. Id autem non significat verba Io. absolute sumpta non probare thesim, sed duplicem exhibere probationem verba Io. sive absolute, sive comparate ad verba Math. enarrentur. Si absolute spectentur, patet argumentum supra institutum: sive comparative idem patet. Nam iis verbis id confertur Petro, quod aliquando absolute promissum fuit: sed Math. XVI, absoluta suprema atque independens potestas primatus promissa fuit. Ergo penes Ioan. non quaelibet auctoritas aut potestas, sed suprema et nullo limite circumscripta confertur.

Ut valeat hoc argumentum tria probanda sunt: 1. quod talis promissio fuerit absoluta et non conditionata; 2. quod Christus D. heic penes Io. promissionem factam sit executus; 3. quod promissio dictae potestatis facta sit Petro singulari modo, directe et immediate, eaque sit potestas suprema in universam Ecclesiam, plena et absoluta.

Prob. I.m quod Christus Dominus *penes Math. promissionem absolutam fecerit. a*) Nulla enim conditio ponitur sed absolute fit, uti verba ferunt: *b)* quia promissio est rei institutae in bonum commune Ecclesiae et quidem necessarium sicut fundamentum maxime necessarium aedificio: sed huiusmodi res non tolluntur propter peccata alicuius. *c*) Si conditionata fuisset, conditionem hanc vel Deus vel homo purificare debebat: si Deus, profecto cum promisit primatum a se conferendum, promisit et positionem conditionis ab ipso pendentis. Si ab homine, haec alia intelligi nequit, quam quod Petrus non peccaret; sed hanc non fuisse appositam conditionem ostendunt verba Luc. XXII. quibus etsi Petro peccaturo confirmatur promissio. Insuper cum Ecclesia sit super Petrum aedificanda, si ob defectum requisitae condititionis a dignitate Petrae Ecclesiae exciderit Petrus, substituendus illi erat aliquis alius: sed nullus alius substitutus fuit, et tamen Ecclesia super Petra aliqua fundata esse debet, ea scil. quam Christus indicavit. Ergo promissio facta ipsi Petro fuit absoluta.

Prob. II.m quod sc. Christus *heic promissionem sit executus*. Ex dictis patet quod Petro aliquando sit collatus Primatus. Iamvero id factum est cum dicitur heic « Pasce agnos, Pasce oves » quia haec verba talem collationem aptissime significant. *a*) Praeferunt enim per se sensum ut supremam potestatem in universam Ecclesiam significent: *b*) alibi vero non reperitur collata haec potestas, quae est petra seu fundamentum maxime necessarium Ecclesiae, quae aedificata a Christo est. Ergo.

Prob. III.m Scil. 1. *immediate et directe B. Petro singulari modo fit promissio potestatis*. Seu Math. testimonium spectat unam personam singularem Petri: *c*) quatenus excludit ceteros apostolos, non successores in primatu, *d*) quatenus una persona Petri non naturaliter sumpta aut privata, sed quae antecedenter est persona privata, nunc aucta propria fide futura sit publica in societate, cuius obtineat supremam potestatem; *e*) immediate et directe etiam quatenus ratio habetur subiecti, cui inhaerere debet primatus, non subiecti, in cuius bonum et utilitatem promissus est primatus: quod mediate et indirecte tangitur.

Porro verba promissionis diriguntur a Christo Domino ad unum Simonem Petrum *a*) tum proprio, tum carnalis parentis nomine ipsum compellando, *b*) occasione et intuitu confessionis in Christi divinitatem sponte ex se sine ulla repraesentatione et delegatione a coeteris Apostolis facta. Laudatur enim a Christo Duo non confessionis ore expressio, sed ipsa confessio « *Beatus et Simon Bar Iona quia caro et sanguis non rivelavit tibi sed Pater meus* » — non quia Apostoli, sed Pater revelavit: sed revelatio Patris sola independenter ab effectu fidei in Petro non esset ratio, cur laudaretur Petrus. Ergo propter revelationem cum effectu h. e. cum fide Petri coniunctam. *c*) Et quidem coetera omnia etiam το super hanc petram diriguntur et referuntur ad unam personam Petri. Nam verborum significatio *Tu es Petrus et super hanc Petram* id exigit cum verba Christi perinde se habent ac si dixisset. « Tu es Petra et

super hanc Petram: quia hebraice vel syrocaldaice idem est vocabulum *Kepha*. Graece vero πετρος et πετρα quamvis diversi generis idem valet. *a*) Nomen demonstrativum *hoc* quod denotat rem praesentem vel re, vel quae per sermonem fiat praesens audientibus; et quidem hoc ultimum dupliciter vel solo posito praenomine demonstrativo, vel simul cum eo iterato nomine proprio, qui secundus modus heic obtinet: *b*) quia etiam hic, uti solet alias, rationem reddit impositi nominis *Tu es Petrus et super hanc Petram* » *c*) quia cum hic specialis retributio exprimatur facta Petro, nisi verba ipsum spectarent, essent amara irrisio, utpote quae vacui nominis impositionem denotarent.

2. *Verba super hanc Petram.... dicunt supremam auctoritatem*. Nam asseritur Petrum se habere ad Ecclesiam fundandam sicut fundamentum ad aedificium. Sed fundamentum relate ad aedificium est pars 1. maxime necessaria, 2. firmitatem et stabilitatem aedificio tribuens, 3. extra quam aedificium aut aliqua pars aedificii esse nequit: 4. quae universas partes aedificii sustentando omnes continet sibi et secum ipsis cohaerentes in unitate. Atqui quod in societate est maxime necessarium, principium eius firmitatis et stabilitatis, nec non unitatis, atque id, cui necesse est adhaerere omnes, qui in hac societate esse volunt, est auctoritas suprema in societate, quae est principium efficax unitatis.

3. *In universam Ecclesiam*. Cum verba Christi et *aedificabo Ecclesiam meam* ex se et ex adiunctis designent coetum quemdam qui vocatur Ecclesia Christi, seu coetus fidelium; cumque per nullum appositum hic coetus restringatur, imo extendatur indefinite per το *meam*, sequitur quod indefinita locutio Ecclesiam meam denotet universam Christi Ecclesiam.

4.⁰ Quod potestas promissa Petro sit praesertim plena, perfecta, atque independens patet et *seqq. Math. Et tibi dabo claves regni coelorum* ». Nam 1. Regnum coelorum est regnum spirituale et supernaturale, quod hic inadaequate acceptum est pro Ecclesia in terris existente; quamvis per se *adaequate* sit pro integro regno et *inadaequate* etiam sit pro aliquo ex eius regni elemento, e. g. vel pro potestate regia, vel pro ditione et regione, vel pro populo vel pro administratione et gubernatione. Hinc eiusmodi formula apta est ad Ecclesiam in terris existentem significandam. *Daniel II 44*; solet hoc significare praesertim in parabolis: heic autem id reapse significat, involvit enim exercitium ligandi et solvendi, atque clavium potestatem exercendi in terris.

II. Claves domus traditae alicui sunt signum iuris et potestatis in domum ipsi collatae: ut patet a) usu sacro Isai XXII 22. *Et dabo clavem David super humerum eius, et aperiet et nemo erit qui claudat, et claudet et nemo, erit, qui aperiat* ». Agebatur de Sobna praefecto regii palatii removendo, eique substituendo Eliacimo. — Apocal. I, 18. Ego sum primus et novissimus, habeo claves mortis et inferni « et III, 7. *Haec dicit Sanctus et verus qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* ». b) Usu profano: Callym. hymn. in Cerer. 44, de ea ait « quod κατωμαδίαν δ'ἐχε κλαδα; qua metaphora usus est etiam Solymanus Turcarum Imperator respondens Legatis Ferdinandi I. « Claves Hungariae suspendam ex humero meo ». Ergo tali allegoria significatur potestas quaedam princeps et in casu nostro potestas tradita Petro per claves regni coelorum est potestas regia seu supremae iurisdictionis plena absoluta independens. Traditio namque clavium significat collationem in id, quod subii-

citur clavibus, seu heic collationem potestatis in regnum, scil. in universam Ecclesiam. Sed potestas in universam Ecclesiam non potest esse nisi iurisdictionis. E. Et quidem *potestas plena et independens*. Universa enim functio habentis claves est aperire et claudere, c) ita ut, ipso aperiente, nemo claudat, ipso claudente, nemo aperiat. Ergo eius potestas valet efficere omnes actus, qui ad claves spectant, a qua pendent omnes qui in domum ingrediuntur et ipse a nullo pendeat. Ergo et S. Petrus, cui per claves traditur iurisdictionis potestas, valet omnes actus efficere, qui ad iurisdictionem in Ecclesiam spectant, ab ipso omnes dependeant, ipse vero a nullo.

Confirmatur quae modo descripta est potestas clavium, quaeque potestatis ipsius Christi maxime propria est, etiam ex *Isaia 28, 16; Psalm. 117, 22. Math. XXI, 42. Act. VI 11.* « Nam hisce in locis Christus exhibetur principale fundamentum Ecclesiae suae seu Auctor et Dominus profecto a nullo dependens, qui sui regni claves habeat, ita ut claudat aut aperiat, quin alius claudat aut aperiat independenter ab ipso habente ex se claves : sed haec Christi potestas est suprema et independens. Ergo communicata libere Petro non mutabit naturam, sed in Petro erit potestas vicaria, in Christo originaria et ex se. Ergo eadem in utroque, sed clavibus Christi omnes et omnia subiiciuntur. Ego.

Corollarium. — « Ergo forma regiminis Ecclesiae iure divino est monarchica ».

Praenot. I.) Suppono triplicem distingui regiminis socialis formam, monarchicam scil. aristocraticam et democraticam quibus praesens saeculum addit formam constitutionalem seu repraesentativam, quae quoddam temperamentum est monarchiae et democratiae, qua nempe licet potestas *executiva legum* penes Reges sit, eiusque ministros, tamen *suprema potestas legislativa* est praecipue saltem penes delegatos a populo. Est autem forma *democratica* cum potestas residet penes populum. Dupliciter autem esse concipitur *radicaliter* tantum, quatenus secundum originem in ipsa societate sit, et *formaliter* quatenus actu exerceatur ab ipsa societate, ita ut non solum in ipsa societate sit *suprema potestas* sed etiam universa societas leges sanciat, ac magistratus omnes instituat, qui iudicare et punire pro culpa possint. Notioni huic consonat definitio data a Petav. De Eccles. Hierorch. III, 15 « *Monarchia est cui regendi, gubernandi imperandique suprema et ultima potestas inest, a qua magistratuum omnium auctoritas manat, dispersa per singulos, et ad eam tamquam fontem revocatur*. Forma vero *aristocratica* habetur cum suprema potestas regendi est penes optimates, qui ex aequo iurisdictionem exercent; etsi inter illos quis honoris gradu praecellat, non ita tamen ut prae ceteris iurisdictione polleat, aliosque subditos sibi habeat. Tandem forma *monarchica* habetur, cum 1) unus universae reipublicae praesit, 2) qui plenitudine potestatis gaudeat, 3) magistratus reliquos sibi obnoxios habeat, 4) iudicare ipse omnes possit et a nemine iudicari, 5) atque ipsi tandem ceu principio totius unitatis socialis, omnes socii adhaerere et subesse teneantur.

II. Ab initio huius libri iam advertimus, et heic repetimus, penes quodnam subiectum, quanta et quomodo resideat potestas, tenendum ex Christi voluntа-

te illud determinari : ergo non a priori fingenda neque ex aliarum societatum analogia regiminis forma pensanda, sed ex positiva Christi institutione desumenda prorsus est.

III. Quamvis virtualiter una cum alia ex praedictis formis attemperari possit, tamen formaliter esse nequit una simul cum alia in eadem societate.

Prob. 1. *Forma Ecclesiae regiminis non est neque radicaliter* (1) *neque actu democratica, nec est aristocratica: ergo est monarchica.* Non est democratica uti patet a) ex dictis supra, ubi ostendimus immediate et directe ac primario uni personae, singulari modo spectatae : supremam potestatem esse collatam ; b) ex adnotatis l. 1, ad n. 41, I, seqq. ubi ostendimus Christum Dominum magistratui a se discreto i. e. Apostolorum magisterio, regimini et ministerio subiecisse omnes homines sanctificandos, docendos, regendos.

Neque est aristocratica, quia non est per se potestas concessa omnibus apostolis, ratione etiam habita potestatis extraordinariae; sed unus Petrus ita ceteris Apostolis est praelatus, ut ipse in eos omnes principetur, atque in ipsos etiam iurisdictionis primatu gauderet.

---

(1) Ceteros inter adversarios est Abulensis E.pus Tostatus qui *q. 48 in c. 15. Numer.* docet, quod multitudo non habet iurisdictionem ; quia haec secundum actum nequit cadere in communitatem sed in personam determinatam ; cum actus e. g. iudicare, imperare exigat determinatam personam requirentes : attamen contendit quod *iurisdictio secundum originem* et secundum virtutem est in communitate; quia omnes personae accipientes iurisdictionem ex virtute communitatis accipiunt : unde *q. seq.* id Ecclesiae applicans docet quod Ecclesia claves habet secundum originem et virtutem, praelati autem habent secundum usum earum; Ecclesia autem non habet eas quantum ad usum « omnia autem ista, ait, descendunt ex hoc quod Ecclesia non est aliquid unum per se potens habere administrationem clavium, ideo illas alteri commendat; si autem posset per se administrare, non committeret alicui praelato ». Videtur hic A. hanc suam doctrinam derivare ex essentia cuiusque societatis. Ast a) quamvis verum esset quod in societate politica naturali potestas suprema sit radicaliter et originarie in ipsa societate, perperam tamen id Ecclesiae applicatur quae est societas supernaturalis, divinae positivae institutionis : quia nullum ius a natura habent homines ad bona et potestatem supernaturalem. b) Ex alia parte potestas regentium potest immediate communicari a Deo moderatoribus societatis ad homines recte ac legitime regendos, quin opus sit ut dicta potestas radicaliter sit in societate etsi in *huius bonum* sit : quod *per se* tantum exigit natura publicae potestatis. Unde ni *positivis argumentis* probetur Deum universae Ecclesiae contulisse potestatem supremam, nil efficietur. Porro et desunt positiva argumenta imo abundant evidentiora pro nostra sententia. Insuper potestas suprema radicalis in societate, quae per se componi potest cum quavis actuali forma regiminis irrationabiliter supponitur, quia numquam potest venire ad actum ; cum numquam fieri potest ut universa societas democratica repraesentata aut mutet formam actualem regiminis, aut leges condat, aut magistratus constituat. Quod in Ecclesia fieri non posse evidens prorsus est: numquam enim (supposita successione in primatu) poterit aboleri ab Ecclesia pote-

stas Petri, numquam lex aliqua valebit, vel aliquis in Ecclesia iurisdictionem habebit nolente Petro.

Dr. Langen contendit Petrum estse primum inter pares primatu ad summum honoris, non vero iurisdictionis : unde in ceteris omnibus Petrus et reliqui Apostoli potestate pares dicendi sunt :

Resp. Fuerunt quidem pares in Apostolatu eo quod omnes pariter primi fuerunt missi immediate a Christo ad omnes gentes : at prae ceteris Petrus semper erat Petra Ecclesiae, habebat claves huius regni, erat confirmator et pastor totius ovilis cf. Palmieri De Rom. Pf. thes. 1, 2 et 3.ª ubi praeclare ostendit dignitatem confirmatoris fratrum in fide ac pastoris totius ovilis christiani collatam esse Petro, ipsiusque propriam esse: atque palmarie refellit quidquid hucusque protestantes aliique adversarii contra attulerint.

Et etiamsi hisce vocibus *subiecti Petro* apostoli non dicantur: re tamen aequivalenter ad evidentiam idem affirmatur : qui enim Ecclesiae Petrae uniri debet, qui ab eodem Petro confirmandus est, qui in Ecclesia quidem est sed non habet claves, non est pastor totius ovilis, profecto debet esse subiectus illi qui est Petra, confirmator, habet claves regni atque pastor est omnium. Cf. penes eumd. Palmieri l. c. th. X recte refutatas ratiunculas D.ris Langen contra Primatum iurisdictionis Petri.

In quanam autem re consisteret primatus iurisdictionis etiam in ipsos Apostolos praeclare explicat Palm. cit. th. X n. VI. « Ut ergo Petri Primatus in ipsos apostolos verus esset id requirebatur ut scil. iurisdictio Petri secundum speciem perfectior esset iurisdictione apostolor. atque adeo extensione et intensitate maior, atque ut ipsi Apostoli iurisdictioni Petri obnoxii forent. Iamvero iurisdictio Petri secundum speciem differens et perfectior erat : erat enim potestas *petrae*, potestas *habentis claves Ecclesiae* potestas *confirmatoris :* porro esse Petram Ecclesiae, habere claves Ecclesiae *confirmatorem esse fratrum* dignitas est specifice differens ab ea dignitate quae est communis aliis Apostolis, quae subordinata est Petrae, habenti claves confirmatori : cum ergo potestas Petrae respondeat eius dignitati, et sit potestas *Petrae* Ecclesiae, *habentis claves Ecclesiae confirmatoris fratrum* est necessario potestas specie perfectior potestate ceterorum Apostolorum. Hinc erat potestas *extensione* maior, se porrigebat enim ad ipsos apostolos, in quos nullus alius apostolus potestatem habebat ; erat *intensitate* maior; poterat enim 1.º plures et nobiliores actus, qui in ipsos Apostolos exercerentur : 2.º erga ipsos fideles plus poterat quam quivis alius Apostolus : in rebus enim disciplinaribus poterat solvere quod Apostolus ligasset, ligare quod ille solvisset, vel dispensando fideles in lege ab Apostolo lata, vel abrogando eius legem, vel legem ferendo sine consensu Apostoli, eoque etiam non probante : nam fideles omnes primum commissi curae Petri, et Apostoli subordinati Petro erant. Unde solius Petri potestas reapse erat plena, quod notandum est. Itaque potestas iurisdictionis Petri ipsos quoque Apostolos extraordinaria potestate auctos complectebatur: ea enim potestas extraordinaria quantumvis ampla erat inferior potestate Petrae Ecclesiae, habentis claves regni et confirmatoris eidemque subordinata. Itaque in actu saltem primo potestas et iurisdictio Petri maior erat potestate et iurisdictione ceterorum Apostolorum.

Quoad *actum secundum* vero, sive quoad eius exercitium et effectus adver-

tere licet quod potestas Petri duplici modo actiones Apostolorum moderabatur. Primo *indirecte*, quatenus nempe cum ius esset Petro exigendi ut sibi tamquam Capiti Apostoli adhaererent, ii nonnisi adhaerentes Capiti Petro, eique ut supremo Pastori visibili oves omnes adunantes ministerium omne suum docendi regendique legitime exercere poterant: unde quamvis a Petro missionem apostoli non haberent, nihilque eis Petrus actu praeciperet, subordinatio tamen Apostolorum Petro, quem fundamentum et Caput universae Ecclesiae revererentur, conditio erat necessaria ministerii apostolici. Tum deinde *directe* quoque iurisdictio Petri in Apostolos exercebatur vel poterat exerceri; eis enim vere praecipere poterat 1.° certe quoad eas res, quae fuissent praeter missionem universalem Apostolorum, cuiusmodi fuit electio Matthiae, vel quae a toto eorum caetu vel pluribus ex his fieri debuissent ut e. g. Synodi celebratio, quae quoad res disciplinares potuisset utilis esse; 2.° quoad eas etiam res disciplinares, quae cum non essent Christo determinatae, relictae erant arbitrio Apostolorum et potissimum Petri: iure enim pastoris supremi et universalis potuisset Petrus ferre leges pro universa Ecclesia, quas nullus apostolus potuisset solvere, imo cuius observationem debuisset urgere, ne schismaticus esset: eodemque iure poterat Apostolos obligare ut certas leges disciplinares statuerent. Itaque cum potestate extraordinaria apostolorum Primatus Petri optime conciliatur, vereque Petrus potestate iurisdictionis in ipsos apostolos fruebatur, ipseque unus plenitudinem habebat potestatis — Itaque *obiicientibus* quod Apostolis quoque facta sit potestas universalis ligandi et solvendi, et collatum charisma infallibilitatis: *respondendum* est quoad 1m cum distinctione: potestas ordinaria *N.*; extraordinaria *subd.* potestas extensione et intensitate *par* potestati Petri *N.*; potestas *impar subd.* quae proinde exigeret subordinationem Apostol. cathedrae Petri, et quae non excluderet potestatem exercendae iurisdictionis in ipsos a Petro *conc.* quae secus se haberet Neg. — Quoad 2 m nempe *charisma infallibilitatis respond. est.* Extraordinarie collatum est Apostolis singulis citra ullam subordinationem ad Petrum *neg.* cum, hac conditione ut docentes Petro tamquam Petrae et capiti adhaererent, ipsique tamquam supremo sub Christo pastori oves adunarent *conc.*

2.° prob. directe. Constat ex dictis unam esse personam, cui suprema potestas competat in Ecclesia, Petrum videlicet unum eiusque successores (ita ut singuli singulis scil. succederent) obtinere plenitudinem potestatis, praeesse omnibus immediate omnibus sive singillatim sive collective sumptis: sed haec forma regiminis est monarchica. Et quidem simpliciter est monarchica etsi cum aristocratico quodam temperamento ita ut nequeat Rom. Pontifex ordinariam Episcoporum abolere potestatem. Hoc enim temperamento E.pi non sunt pares quoad iurisdictionem Pontifici, nec simul sumpti ei praestant, nec eorum iurisdictio impedit plenitudinem potestatis Pontificis (1).

---

(1) Huc referantur quae habet cl. Audisio diritto publ. eccles. lib. 2. tit. 1. n. III. Monarchia, aristocrazia, Democrazia tre elementi e non tre poteri, sono dunque consociate e non miste nella Costituzione e nello stato della Chiesa; mentre però dal governo e dall'attivo reggimento della medesima viene esclusa la democrazia. Onde a canzare ogni ambiguità, terremo ferma la distinzione che passa fra Costituzione e Stato da una parte e reggimento e governo dal-

Corollar. I.m Ergo erravit Puffendorf, et eius laudator Febronius, cum ille asserit *absurdae sunt quaestiones, Monarchica, aristocratica an democratica forma competat Ecclesiae: hae quippe formae cadunt in statum aliquem sive civitatem: Ecclesia autem status non est* (De habitu relig. christ. ad vitam in §. 32 p. 139).

---

l' altra. È lo stato tutto il corpo politicamente constituito di chi comanda e di chi obbedisce: è il governo la sola parte giuridicamente imperante. — IV. Tanto è grave tale distinzione e proprietà di appellazioni che forse per non averla sufficientemente mantenuta, toccarono le non lievi nè brevi opposizioni alla retta sentenza del grande Bellarmino. Egli aveva scritto. « De Ecclesia T. novi idem postea probandum erit esse in ea videlicet Summi Pontificis *Monarchiam:* atque Episcoporum, qui veri Principes et pastores non vicarii Pontificis maximi sunt, *aristocratiam;* ac demum suum quemdam in ea locum habere *democratiam,* cum nemo sit ex omni christiana multitudine qui ad episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere iudicetur (De Rom. Pont. I. 3) ». Ottimamente della Chiesa nella sua universalità considerata affermasi la monarchia quale potere sommo indiviso; e l' aristocrazia quale potere inferiore ma non vicario, e la democrazia non partecipante al potere, ma colla nuda capacità di acquistarlo. Sin qui limpida è la parola non meno che la sentenza. — Ma una qualche nube stendesi su quel che segue: Iamvero doctores catholici in eo conveniunt omnes, ut *regimen ecclesiasticum* hominibus a Deo commissum sit: illud quidem monarchicum sed temperatum, ut supra diximus ex aristocratia et democratia (5.). Cagione della massima difficoltà è qui la parola regimen ecclesiasticum, per cui il discorso non più si estende a tutto il corpo della costituzione o comunità ecclesiastica, ma si restringe al governo, ossia alla parte imperante della medesima. Ed il lettore dovrà dire falsa la proposizione che intromette la democrazia nel reggimento esclusivamente riservato alla gerarchia. Salvo però che nella voce reggimento vogliasi intendere non l'atto esplicito e presente ma l'atto *in fieri*, ossia la mera possibilità e capacità in qualunque laico di pervenirvi per legittima via. Il contesto ci assicura che tale fu il senso inteso dal Bellarmino: ma non tutti i lettori hanno avuta la buona fede per confessarlo o l' attenzione e l' acume necessario per conseguirlo. Noi ovviamo a tale difficoltà distinguendo come abbiamo detto lo stato e la costituzione della Chiesa dal reggimento che la governa. — VI. Esclusa la democrazia cagiona pure altra difficoltà quel reggimento *temperatum* ex *aristocratia*. La qual difficoltà è dal Gerdil riferita alla malavoglia dei novatori: *Contigit haud raro, ut quae loquendi formulae apud veteres omni suspicione vacabat, tum demum in suspicionem merito venerint, postea quam novandi cupidi homines in pravum eas sensum inflectere caperunt.* Così egli afferma nel commentario alla ritrattazione di Febronio (ediz. originale p. 189) e severamente conchiude. « Nunc vero quum tot iniqui Pontificiae auctoritati obtrectotores illam aristocratiae admixtionem sic per summam calumniam interpretentur ut non alias Pontificis partis in Eccl. regimine relinquant, quam quae propriae sunt principis senatus seu publici consilii in republica mere aristocratica; iure ac merito censent praestantes Th., quo errori aditus omnis praecludatur, *ab usurpata dudum sine discrimine loquen-*

di formula, nunc in gravem suspicionem adducta penitus abstinendum simplicisque monarchiae vocabulo supremam, QUAE IN PRIMATU INEST, *regiminis auctoritatem designandum.*

II.m Ergo perperam Euseb. Amort (Elem. Iur. can. tom. III. dissert. 1. p. 5) affirmat *Ex his sequitur formam regiminis ecclesiastici proprie loquendo nec esse monarchicam, nec aristocraticam nec democraticam. In his enim tribus formis regiminum reperitur potestas dominativa hoc est potestas pro libitu regendi. . . E contra in regimine ecclesiastico nihil fit pro libitu.*

II. DE PERPETUITATE PRIMATUS IN ROMANO PONTIFICE.

III. Manifestum est potestatem de qua agitur, ut ut occasione meriti personalis collata esse Petro videatur, non esse tamen vere personalem, sed eiusmodi, quae instar feudi, quod in praemium militi datum sit et potiore etiam iure transmittenda ad successores. Nam agit Christus de pastore visibili gregi suo assignando, qui aliis aliis succedentibus numquam interiturus erat, adeoque pastore item perpetuo, alio scilicet alii succedente, indigebat. . .

Ad probandum primatum iurisdictionis Romani Pontificis non sufficit probasse eum esse collatum B. Petro nisi demonstretur in hoc primatu ex iure diviuo B. Petrum habere perpetuos successores, et hos esse Romanos dumtaxat Pontifices: quod breviter heic Tarq. exequitur quoad perpetuitatem successionis monarchiae sacrae seu Primatus iurisdictionis plenae residentis in uno subiecto: quoad exclusivum ius Romano Pontifici succedendi in primatu, prae ceteris E.pis, doctrinam nos complebimus. Unde duplex sectio: altera de successionis perpetuitate, altera de iure exclusivo R. Pontificis perpetuo succedendi.

SECTIO 1. — DE SUCCESSIONIS PERPETUITATE

Negant successionem perpetuam in primatu Petri non solum ii qui negant aliquid peculiare prae ceteris Petro fuisse tributum a Christo, sed et qui hoc admisso, contendunt id privum et personale Petri fuisse. Contra hos, quorum nonnullas rationes indicabimus infra, statim asserit Tarq. Primatus potestatem ut ut occasione meriti personalis collatam videri Petro, talem scil. personalem non esse. Cui rei explicandae similitudinem feudi affert. Feudum acceptum pro ipso contractu (nam accipi potest etiam pro re, quae in feudum datur et dicitur *bonum feudale* vel pro iure, quod ex tali contractu oritur et dicitur *ius feudale*) est benevola, libera ac *perpetua concessio rei immobilis aut ei aequivalentis*, qua istius dominium utile, proprietate retenta, sub onere fidelitatis et servitii seu obsequi personalis exhibendi transfertur ». Ex qua definitione patet feudum suas habere debere conditiones substantiales: scil. 1a ut sit benevola instar beneficii concessio etsi praetium solvatur: 2a sit perpetua ita ut ad descendentes et haeredes masculos omnes extendatur illius, a quo fuit acquisitum; secus recedit a ratione feudi: 3a sit in re *immobili* aut ei aequivalenti scil. vel in se vel iure, ut denotetur obiectum feudi, quod debet poni res *immobilis* vel *natura* vel iure talis *l. feudi 1 in fine* sive singularis sive universalis sit l. feudi 4 et 10; in rebus enim mobilibus dominium utile a directo separari nequit, quippe quae res mobiles vel usu consumuntur vel servatae nullum

commodum exhibent; debeat 4ª dominium directum manere penes dominum, et *utile transire* in feudatarium, per quod feudum differt ab usufructu, vi cuius sola commoditas, non dominium, in usufructuarium transfertur, 5ª sub *onere fidelitatis*, et obsequi honesti, per quod differt ab emphyteusi, vi cuius vassallus obligatur exhibere in feudo servitia sua personalia erga dominum.

Instar feudi, quod in praemium fidei militi datum sit » per quae verba indicatur feudi origo historica. Feuda enim coepta sunt appellari partes terrae, quas fidelibus militibus, devicto hoste, in Italia Reges Longobardorum tradebant accepto iuramento fidelitatis.

Prop. 1. PETRUS IN PRIMATU IURISDICTIONIS PERPETUOS HABET SUCCESSORES » *Decl.* Doctrina nostra est de fide definita. Nam praeter Concil. Florent, sic habet Vaticanum sess 4 c. 2 « *Quod autem in b. Petro princeps pastorum et Pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus, id perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est* ». Quorum verborum sensus est, non quod potestas collata Petro debeat esse in Ecclesia, quatenus Ecclesia ipsa succedat Petro in illa potestate, sed quod Petrus in Primatu a Christo instituto debeat eodem auctore singulares in Ecclesia habere successores, quae fundata super Petra, super eamdem firma usque ad finem saeculorum stabit Cf. Pius VI in litteris « *Super soliditate.* »

Prob. prop. ut est definita a Conc. Vatic. Nam 1. ex allegoria pastoris, Christus Dominus loquitur de pastore visibili gregi suo assignando, qui numquam interiturus erat, usque ad consummationem saeculi, unde et ipse Petrus numquam cessare, sed semper durare in officio pastoris debuisset: atqui physice et visibiliter Petrus durare non potuit et sublatus est de terra viventium. Ergo moraliter per successores suos: seu aliis verbis:

Grex perpetuus qualis est Ecclesia Christi indiget pastore visibili perpetuo, sed una eademque persona physica perpetuus pastor visibilis esse non potest. Ergo una eadem persona moralis sub iisdem conditionibus et iuribus pastoris, quibus fruebatur Petrus: Cuius argumenti fundamentum est 1. quod in Petro potestas pastoris seu regia instituta, est necessaria in bonum societatis eo modo quo Christus instituit: atqui 2. potestas instituta in bonum necessarium societatis non desinit desinente eo, cui primum data est, sed perennis esse debet cum societate, et quidem eo modo, quo constituta est in societate. Porro instituta est a Christo ut in una singulari persona resideret. Unde aliud.

2. effluit argumentum. Primatus constituens in Ecclesia formam regiminis monarchici, prout Petro fuit collatus, est intrinsecum elementum huic societati, cum ad eius constitutionem pertineat. Atqui societas religiosa a Christo fundata seu Ecclesia Christi est immutabilis et perpetua. Ergo etiam forma regiminis a Christo Domino constituta est de essentia societatis ac proin sicut ista, ita illa perpetua sit oportet.

Perpetuitas autem Ecclesiae probatur non ex iis solis testimoniis, quibus edicitur in aeternum existere, sed ex iis, quibus diserte dicitur non futurus eius finis, usque ad consummationem saeculi permansura; tum ex ipsa Ecclesiae natura in scripturis manifestata, tum ex eius necessitate, tum ex oppositione instituta V. T. qua foedus vetus opponitur novo, quatenus illud mobile fuit, et contemnendum a Deo.

Christus promittit semper se adfuturum cum Apostolis quatenus aucti erant iuribus divinis: atqui Petrus auctus erat Primatu E.

Hinc ut ex omnibus testimoniis quae a methaphoris desumi solent, plenius et complexivum argumentum procedat diximus hedificium non durat sine fundamento, portae inferi praevalent si deest robur et ratio, cur non debeant praevalere, fratres non possunt esse firmi sine necessario confirmatore, grex ad pabulum duci nequit nec pastus esse potest sine pastore visibili. Atqui Petrus relate ad Ecclesiam est fundamentum, ratio confirmandi, est robur est pastor. E.

Sectio 2. — De exclusivo Iure Romani Pontificis succedendi b. Petro in Primatu

Prop. 2. « Soli Romani Pontifices sunt successores Petri in Primatu. »

Prob. 1. *ab exclusione.* Auctore Christo quousque Ecclesia durat, haberi iugiter debet successor Petri, in primatu, qui successor aliis aliis succedentibus, unicus quovis tempore in Ecclesia esse debet: atqui usque ad Concilium Florentinum nemo alius in universa Ecclesia habitus fuit successor Petri in primatu quam Episcopus Romanus. Sed Concilium Florentinum et postea etiam Vaticanum decrevit ita esse semper « Sanctam Apostolicam Sedem et Rom. Pontificem successorem esse b. Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in b. Petro pascendi regendi ac gubernandi universam Ecclesiam a D. N. J. Ch. plenam potestatem traditam esse » — In Concil. Vatic. « Si quis ergo dixerit Rom. Pontificem non esse b. Petri in eodem Primatu successorem » A. S.

2. Ex *adimpleta conditione* successionis: Nam, ut arguamus cum Palmieri de R. Pont. th. VIII n. III ille habendus est Petri successor qui facit satis conditionibus successionis; atqui hic est unicus Romanus Pontifex: ergo. Maior est evidens: *probatur minor.* Determinatio illius, qui succedere deberet, una tantum ex iis viis fieri poterat. 1. Vel iugi revelatione Dei immediata, qua declararetur singulis vicibus successor Petri: 2. vel consensu Ecclesiae sive collectae sive dispersae, quae toties quoties designaret successorem Petri: 3. vel facto aliquo primitivo, quo ab initio statueretur quinam in posterum successor esse deberet. Huiusmodi vero factum primitivum vel fuit aliquod factum sive decretum ipsius Ecclesiae seorsim a Petro, vel factum Petri, et hoc vel cum consensu, vel citra consensum Ecclesiae: vel factum sive decretum aliquod immediatum Dei. Atqui etiamsi semper extiterint successores Petri, primus et alter modus (scil. via) numquam fuit in usu: restat ergo tertius.

Iamvero excogitari nequit decretum editum ab Ecclesia seorsim a Petro, vivente Petro : nullius enim fuisset valoris decretum editum a corpore sine consensu Capitis : neque fingi potest decretum aliquod latum ab Ecclesia post mortem Petri ; nam huius facti adeo fundamentalis memoria existere debuisset, quae tamen prorsus deest; et praeterea, si id factum olim fuisset , Ecclesia eodem iure modo polleret mutandi modum successionis, idque cum certitudine teneret; atqui ut minimum modo dicamus, certitudine hac caret Eccle-

sia. Item factum aliquod Petri, cui tamen accesserit veluti necessarius consensus Ecclesiae, perperam excogitatur: repugnat enim haec necessitas consensus supremae et independenti auctoritati Petri, cuius Primatus erat quidem in bonum Ecclesiae, sed nullo modo obnoxius potestati eius. Restat ergo factum aliquod originale proprium ipsius Petri: Decretum enim Dei immediatum, si ullum fuit, aliud excogitari nequit, quam illud, cuius terminus esset ipsum factum Petri.

Atqui factum originale Petri aliud esse nequit, quam Episcopatus eius Romanus, quem usque ad mortem gessit, quo Romanam Sedem Petrus auxit iuribus Primatus. Nam 1. quodcumque aliud factum excogites, relaberis in unam ex viis iam exclusis; 2. hoc factum erat apprime idoneum ad determinandum successionis modum in perpetuum; cum enim sedes per se perpetua sit, iuribus Primatus alicui sedi alligatis, perpetua successio absque nova determinatione habebatur. Imo 3, hoc est unicum factum ipsius, quo cogitare liceat, ipsum determinasse successionis modum. Si enim cogitas simplex aliquod decretum Petri circa electionem successoris post se faciendam ab Ecclesia redis ad id, quod iam exclusum est. Si cogitas aliquod ipsius decretum quo designaverit adhuc vivens, qui sibi succederet in Primatu, primo de hoc decreto, nisi sit ipsum factum Episcopatus romani libere suscepti, altum silentium in historia: deinde vel Petrus designavit tantum proximum successorem, vel seriem perpetuam successorum. Si primum dicas redimus rursus ad alias vias iam exclusas. si alterum id fieri non potuit nisi designata aliqua sede Episcopali, in qua series esset perpetua successorum. Haec vero quae fuerit alia; quam ipsa sedes, in qua ipse usque ad mortem sedit? Et in hac Petro in Primatu nonnisi post mortem eius succedi poterat; si ergo sedes designanda erat, ea erat designanda, in qua Petro defuncto succedi posset: haec porro non fuit nisi Sedes Romana. Ergo conditio successionis in Primatu pendet a facto originali Petri, factum istud est Episcopatus Romanus, quem susceptum Petrus numquam dimisit; ergo conditio successionis est ut in Romana Cathedra quis succedat Petro. Ergo conditioni successionis solus Romanus Episcopus facit satis. »

Quod argumentum ut intelligatur animadvertimus 1.) secundum legem naturalem successionis omnis societatis bene constitutae ibi quaerendus est verus successor, ubi decessor morte magistratum suum abdicavit nisi specialiter aliquid aliud sit institutum: atqui S. Petrus Romae magistratum ac Primatum suum morte abdicavit neque constat eum aut sedem suam episcopalem alio transtulisse aut alium Epum successorem suum in Primatem nominasse. Ergo. Iam vero cum agatur de re maxime necessaria Ecclesiae scil. de indigitando eius Capite res omnino determinanda erat a Petro, cumque alia determinatio certior non relinquitur a Petro nisi Episcopatus romanus, quem gessit ut primas universae Ecclesiae, qui coetoroquin est idoneus, sequitur quod R. P. sit primas; 2.) nos haud spectare merum factum materiale sessionis scil. Petri in Cathedra Romana usque ad mortem, sed sessionem eius in Cathedra romana coniunctam cum voluntate seu decreto, communicandi huic Cathedrae iura Primatus. Successor enim Petri in cathedra romana succedit tantum in iis, quae sunt propria sedis: atqui sine voluntate seu decreto Petri alligantis in perpetuum Sedi Romanae iura Primatus per se haec non possunt dici facta propria Sedis

romanae, quia per se non est nexus necessarius horum duorum, cum Epus alicuius Ecclesiae habere possit quaedam iura propria non communicabilia successoribus. Et si Petrus poterat nullam unquam tenere episcopalem sedem, erat quoque in eius potestate ita aliquam sedem eligere ut iura primatus non essent sedi adnexa h. e. non esse obtinenda a successoribus talis sedis.

Ad rem P. Franc. Ant. Zaccaria S. I. opusc. de Primatu S. Petri, et Rom. Ecclesiae c. V. n. I-V asserto et probato facto Petri, quod usque ad mortem episcopatum romanum gesserit n. VI. ait « Quae tandem ex hactenus disputatis consequantur, facile est intelligere. Nempe quum Petrus primatum non honoris sed verae potestatis a Christo obtinuerit, ac dimissa *Antiochena* sede Romam convolarit, ibique cathedram fixerit, ubi et martyrio sublatus est, *nonnisi Romanus Pontifex* verus eius successor haberi debet. Verum heic Anonymus (qui Londinensibus typis librum ediderat) intercedit et a nobis quaerit *« an serio, an ioco sic respondetur ? Num in magistratu homo homini vivo non succedit sicut et mortuo ? Quum ab episcopatu recedit Epus aliquis, qui in eius locum succedit, nonne ut sedem recedentis sic et omnia iura eius aeque ac si mortuus fuisset, adipiscitur ?* scil. anonymus non joco sed serio insanit. Quis unquam nonnisi mortuo succedi posse somniavit? Imo hoc cum Bellarm. (de Rom. Pont. l. 2. c. 12) dicimus quod *nec serio nec ioco* unquam anonymus refellere poterit: *non succeditur nisi cedenti locum vel per mortem naturalem vel per mortem legitimam idest depositionem vel renunciationem:* Petrus *autem adhuc vivens et Pontificatum gerens* antiochenam *Ecclesiam reliquit et Romae sedem suam fixit.. Restat igitur ut Romanus Epus qui Petro in Urbe Roma morienti successit, eidem in tota dignitate et potestate successerit.* At enim instat Anonym. *num praerogativa divina qualis est Primatus, qui Epis.* Romanis *tamquam Petri successoribus adscribitur*, adstringi potest ad locum, in quo mortuus est hic apostolus? *Quod si ita esset, quid de illo Primatu fiet, quum* Roma *ex Prophetarum* et Ioannis *vaticiniis, abyssu perpetuo submersa manebit ?* Stupor hominis ! Quid opus fuit ut ad *Romanae* urbis interitum provocaret. Quum *Romani Pontifices Avenione* degebant, numquid *Petri* successores non erant? Ergo Primatus *Petri* ea tantum ratione *adstringitur ad locum, in quo mortuus est hic apostulus*, ut qui *Romani* Pontifices dici possunt, ii soli eius successores haberi debeant: at *Romanorum* Pontificum successio non ex eo loco pendet, ubi ii commorentur sed ex loco, ubi primum illi consederunt; quibus ipsi non interrupta serie suffecti sint. Quare si *Roma* eversa fuerit, Pontifices alio migrabunt, *Romani* tamen Pontifices erunt, ut qui ad *Romanorum* Pontificum, qui ipsos antecesserunt, ordinem pertinebunt.

Tandem n. VIII. sic concludit Zaccaria « *Petro* Christus in bonum unitatis Ecclesiaeque suae ad saeculorum finem permansurae primatum concessit, non igitur primatus cum Petro deficere debuit, sed dum adspectabilis hic mundus extabit cum Ecclesia perdurare. Recte S. Leo M. (sermo II de annivers. assum. suae) ait: *manet dispositio veritatis et B. Petrus in adepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. Perseverat Petrus et vivit:* in quibusnam ? in successoribus *suis*. At quinam hi successores? Primatus *Petro* delati ratio, *ut bene monuit Ballerin.* (de vi ac rat. Prim. p. 2) nullam particularem sedem episcopalem, cui ipse alligaretur, per se videtur postulasse. At quod per se Petri primatus non exigebat, certa requirebat illius in Primatu successio, quae in bo-

num Ecclesiae perseverare, facilique expediri debebat ut probe observavit Bossuet in defens. declarat. Cleri Gallicani l. 10. c. 5. *Petri successores quum ordinandi fuerint, de coelo lapsuri non sunt; neque ad creandos eos ubi opus fuerit, totam Ecclesiam citari commoverique oportebit. Necesse ergo est, aliqua ut sit Catholicae Ecclesiae pars, ex qua existant, aliique aliis subrogentur. Quare ita constituti sunt ut non modo universae Ecclesiae praesint, sed quemadmodum ceteri Epi, peculiarem habeant, quam regant, Ecclesiam nempe* Romanam *quam* Petrus *fundarit et rexerit.* Id etiam necesse fuit ne vagus incertusque esset summi Pontificis locus, quo in urgentibus Ecclesiae necessitatibus ex remotissimis quoque regionibus tute confugeretur: si enim sedes eius vaga esset et incerta et modo huc, modo illuc in longinquas et dissitas orbis partes summi Pontifices discurrerent: nesciretur quo dirigendae essent literae: quod christianae rei plurimum detrimenti adtulisset. Hinc ergo particularis epatus a *Petro* eligendi, cui Primatis persona alligaretur, necessitas agnoscitur » Petri igitur successores vel inter *antiochenos* vel inter *Romanos* Epos quaerendi sunt cum Petrus alias quidem Ecclesias constituerit; sed duas tantum illas *antiochenam* et *Romanam* privatim episcopali officio sibi regendas adsciverit. At de *antiochenis* Epis. quibus Nicaenum concil. tertium inter Patriarcas locum adiudicavit, nemo id hactenus somniavit; neque iniuria, cum Petrus episcopatum illum *antiochensem* dimiserit. Quid igitur restat nisi ut *Romanus* Epus sit Petri successor in quem divino iure Primatum ille suum transtulerit? Quoquo sese adversarius vertat, numquam huius argumenti vim declinabit. Resipiscat potius, et quibus offundebatur tenebris tandem adeo perspicua veritatis luce discussis *Petrum* et in *Petro* eius successores veluti universae Ecclesiae a Christo constitutos Primates, Principes, ac Magistros nobiscum venerari tandem condiscat. »

3. arg. *Ex consensu totius Ecclesiae.* Nam Cathedra romana dicta et habita est semper Cathedra Petri: prout ipse Petrus est Caput totius Ecclesiae ipsique Romano Pontifici ab universa traditione eae omnes praerogativae assertae sunt quae praedicantur de Petro ut capite Ecclesiae. Et re quidem vera: ut nonnulla aliquot PP. testimonia afferamus; Cypr. ep. SS. loquens de assectis Fortunati pseudoepiscopi ait « *Navigare audent et ad Petri* atque ad *Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis literas ferre* » sed cathedra unde unitas sacerdotalis exorta est, quae scil. principium sit unitatis Episcopatus, est Cathedra Petri Primatum gerentis in universam Ecclesiam, i. e. Romana.

b) Cathedra epalis, in qua unitas ab omnibus servanda est, quaeque est principium et fons omnium praerogativarum Ecclesiae, est Cathedra Petri prout est Petra Ecclesiae. Atqui Optatus l. 2. de unit. Eccl. testatur « *in Urbe Roma Petro cathedram episcopalem esse collatam in qua unitas ab omnibus servaretur* » et « *per ipsam ceteras omnes dotes apud nos esse.* »

c) Hieron. ac Damas. ep. 15. *Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae*, i. e. *Cathedrae Petri communione consocior.* SUPER ILLAM PETRAM *aedificatam* ECCLESIAM SCIO... *Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, spargit* h. e. *qui Christi non est, Antichristi est.* » Porro talis Catthedra Damasi exhibetur, quae sit Cathedra Petri, prout ipse Caput est totius Ecclesiae: illa enim cathedra prout distinguitur a cathedra Maeletii, Paulini, aliorumque, est Cathedra Petri supra quam

Ecclesia fundata est, cui qui adhaeret, Christi est; qui non adhaeret, Antichristi.

d) Exhibetur Sedes Romana obtinere *principatum*, sedes propria Petri, in qua ipse semper vivit et praesidet, prout est doctor universalis supremusque iudex in causis fidei: ita Aug. ita S. Chrysologus ad Eutychem. » *In omnibus hortamur te ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam b. Petrus qui in propria sede vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei* EXTRA CONSENSUM ROMANAE CIVITATIS EPISCOPI CAUSAS FIDEI AUDIRE NON POSSUMUS. »

e) In forma proposita a Rom. Pont. Hormisda et subscripta ab Epis Orientalibus affirmatur « *non posse praetermitti sententiam Domini dicentis: Tu es Petrus.... idque rerum probari effectibus;* QUIA IN SEDE APOSTOLICA (Romana) IMMACULATA EST SEMPER SERVATA RELIGIO. A qua proinde fide nolunt Epi separari sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, IN QUA EST INTEGRA ET VERA CRISTIANAE RELIGIONIS SOLIDITAS.

« Concilia e. g. Ephesinum testatur *se per sacros canones et epistolam Patris sui et Comministri Caelestini Romanae Ecclesiae Epi coactos proferre sententiam contra Nestorium* ». Act. I. Ergo agnoscunt in Rom. Pont. supremam potestatem propriam Petri — Patres Synodi VI. lectis literis Agathonis exclamant « Per Agathonem Petrum esse locutum » In Conc. Lugdun II. oecumenico professus est Michael Palaeologus « *Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum ab ipso Domino in b. Petro, cuius Romanus Pontifex est successor, recepisse.*

Huc refer verba Concil. Florentini supra recitata. Unde merito concludunt Patres Vatic. Conc. sess. IV. c. 2. *Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet* — Quae porro verba deducta ex facto Petri Romanam Sedem fundantis et suo sanguine consecrantis (tenuit enim usque ad mortem) profecto dicunt conditionem successionis in Primatu.

Prop. 3.a « QUOD PRAE CETERIS ROMANUS PONTIFEX IS SIT, QUI B. PETRO IN PRIMATU SUCCEDIT, EST VERITAS IMMUTABILIS IN ECCLESIA. »

Prob. I. Inter dogmata credenda sancita a Florentinis Patribus est et illud « *Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse b. Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem exsistere, et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. Ch. plenam potestatem traditam esse.* » Hisce definitur et credendum proponitur, quinam sit ille, qui Petro in Primatu succedit, et quaenam sit illa sedes, in qua Primatus viget: scil. Romanus Pontifex eiusque sedes, quae Apostolica nuncupatur. Atqui id quod infallibili Ecclesiae definitione proponitur credendum omnibus fidelibus, illud est in Ecclesia immutabiliter verum: et sicut verum fuit antea quod Rom. Pont. teneat Primatum, ita semper verum erit in posterum. Ergo. Minor patet, secus falsa esset florentina definitio.

Maior probatur 1) Id definitur credendum quod *immediate directe et obvio sensu* enunciatur — E.

2) prob. *ab exclusione alterius sensus.* Si enim non est subiectum definitio-

nis *simpliciter Romanus Episcopus*, tunc esset a) aut *Romanus Episcopus obtinens Primatum*, aut b) Romanus Episcopus quamdiu facit satis conditionibus successionis. Atqui neutrum dici potest. Non 1. quia secus definiretur Romanum Episcopum obtinentem Primatum tenere Primatum quo, nihil ineptius. — Non 2. propter tria: a) quia cum conditiones per se mutabiles sint, hisce mutatis alius esset Primas, quam Romanus Pontifex: atqui verificata hac hypothesi, falsa simpliciter evaderet secundum id quod dicitur in recto, definitio Florentina, quae directe definit Romanum Pontificem eum esse, qui tenet Primatum: b) definitur directe Rom. Pontificem non solum tenere Primatum sed etiam succedere Petro h. e. Cathedram romanam esse cathedram successionis in Primatu. Ergo *semper* eius Episcopus atque *ipse unus* successit et succedet, c) ex declaratione huius florentinae definitionis authentice facta a Conc. Vatic. Sess. 4. c. 2. ubi duo distinguuntur *ius divinum* scil. perpetuae successionis seu perpetua existentia successorum et subiectum huius successionis in Primatu, quod dicitur esse Romanus Pontifex. Nam l. c. can. dicti cap. ait. « *Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi Dni institutione seu iure* divino ut b. Petrus in Primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores aut Romanum Pontificem non esse b. Petri in eodem Primatu successorem, anathema sit. » Hic porro canon est synopsis praecedentis doctrinae in toto capite, ubi praestituto facto fundationis Sedis Romanae per Petrum, qui eam suo sanguine consecravit et in ea iugiter vivit, deducens subdit « *Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit... is Primatum obtinet in universam Ecclesiam* » ubi successio in Cathedra non est successio in Primatu; sed ibi statuitur nexus consequentiae necessarius inter successionem in Cathedra romana et successionem in iuribus Primatus. Utrumque est ergo credendum et quod successor aliquis perpetuo esse debeat et quod hic successor sit Romanus Epus. Et utrumque eadem sententia ut dogma proponitur sine distinctione secundi ceu decreti disciplinaris. Porro in eadem sententia proponente credendum certe continetur dogma quod Petrus habeat perpetuos successores: ergo cur non est credendum ceu dogma integrans prius, hoc secundum quod scil. hi successores sint Romani Pontifices?

Prob. II. Quia haec doctrina semper viguit in Ecclesia. Traditum enim semper est a Patribus non solum adhaerendum successori Petri, sed simpliciter *adhaerendum esse Cathedrae romanae — fidem Catholicam esse fidem Romanam — communicare cum Ecclesia Romana perinde esse ac communicare cum Ecclesia Catholica — Catholicos et Romanas eosdem esse — Romanam Ecclesiam ipsius Domini voce fundatam esse* — Atqui hisce edicitur necessarium esse Ecclesiae Catholicae ut sit Romana. Sed quod necessarium Ecclesiae Catholicae est illud semper erit. E.

III. *Confirmatur* ex propos. a Pio IX in Syllab. proscripta 35. « Nihil vetat alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri. ».

Cf. Hieronym. adver. Rufin. l. 1 n. 4. Hormisd. ep. 70 ad Possessor. Ambros. de obitu Satyri, Decret. Eugen. IV. pro Iacobitis « sacrosancta Romana Ecclesia, *Dni Salvatoris nostri voce fundata*, firmiter credit .... PP. Concil. Chalcedon. act. 1. 2. 3. passim vocant Leonem M. *universalis Ecclesiae Pontifi-*

cem ... et in ep. ad Leon. Et post haec, inquiunt, omnia super, et contra ipsum, CUI VINEAE CUSTODIA A SALVATORE COMMISSA EST, *extendit insaniam, idest contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem.* » Et Lateran. concil. sub Innoc. III. in quo Graeci et Latini interfuerunt, c. s. *Romana Ecclesia* DISPONENTE DNO. *super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.* Leo autem serm. 1. de Natal. Apostol. his verbis Romanam urbem alloquitur « Per S. B. Petri sedem caput Orbis effecta latius praesides religione divina quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subiecit. Et s. Ambros. orat. in Satyr. Percunctatus Episcopum est si cum Epis catholicis hoc est, si cum Romana Ecclesia conveniret » Hieron. ep. ad Damas. Quamquam tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas, a pastore praesidium ovis peto. Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens Beatitudini tuae i. e. Cathedrae Petri communione consocior. Super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio — Aug. ep. 162. In Romana Ecclesia semper Apostolicae Cathedrae viguit principatus. — S. Prosp. l. de ingrat. « Sedes Roma Petri quae pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis relligione tenet — Et l. 2 de vocat. gent. « Roma per Sacerdotii principatum amplior facta est arce relligionis quam solio potestatis » Et s. Bernard. lib. 2 de consid. alloquens Eugenium Pont. Rom. Aliorum potestas, inquit, certis arctatur limitibus, tua extenditur et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Epo caelum claudere, tu ipsum ab Epatu deponere, etiam et tradere satanae potes? STAT ERGO INCONCUSSUM PRIVILEGIUM TUUM *tibi tam in datis clavibus quam ovibus commendatis* Anacl. in ep. 3 ait SACROSANCTA ROM. ECCLESIA NON AB APOSTOLIS SED AD IPSO DNO ET SALVATORE NOSTRO PRIMATUM OBTINUIT, SICUT B. PETRO AIT TU ES PETRUS ecc.

Porro ex allatis testimoniis hactenus patet et Romanum Pontificem succedere Petro, et Romanam sedem esse sedem successionis in Primatu seu iura primatus alligata esse incommutabiliter romanae sedi. His addantur et illa testimonia, quibus asseritur indefectibilitas Ecclesiae Romanae quia Romana est. Notum est testimonium s. Iraen. P. Hormisdae: sat est modo indicare doctrinam s. Cypr. M. in suis operib. praesertim in l. de unitate Eccles. ubi iuxta edit. Marani haec tria praecipue inculcat 1.° Christum Dnum voluisse ut Ecclesia una esset; atque idcirco supra unum Petrum, in quo et ex quo esset origo unitatis, eam fundasse. 2.° Petri nomine intelligi unam eius cathedram. 3.° Quae cathedra est Sedes Romana. Cf. *in op. Card. Segna De Eccl. Christi Constit. pag. 158 et seqq.* huius Martyris testimonia ex epist. — S. Ambros. ep. 11.ª ad Gratian. Valentinian. et Theodos. nomine Concilii Aquileien. an. 381 habiti n. 4 imperatores obsecrat « Totius orbis christiani caput *Romanam Ecclesiam* atque *illam sanctam Apostolorum fidem* ne turbari sineret obsecranda fuit clementia vestra; *inde* enim in omnes venerandae communionis *iura dimanant* » Et s. Hieronym. ad Damas. ep. 15 al. 57 Mihi Cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam. Idem cont. Ruf. ingeminat *habere fidem romanam* est *habere fidem catholicam:* sed fides catholica est indefectibilis. — Aug. in psalmo contra part. Donati scitis catholica quid sit, et quid sit prae-

cisum a vite: si qui sint inter vos cauti veniant, vivant in radice .... Venite fratres, si vultis ut inseraminini in vite. Dolor est cum vos videmus praecisos ita iacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede. Et in ordine illo Patrum quis, cui successit, videte. *Ipsa est Petra quam non vincunt superbae inferorum portae* Romana ergo cathedra est contra quam portae inferi non praevalebunt: atqui si primatus Petri a tali cathedra posset seiungi amplius verum non esset eam esse, contra quam non praevalebunt, quam non vincunt superbae inferorum turbae: quaelibet enim ecclesia ex se ab Cathedra Petri diversa per se esse potest, potest vinci... Quibus iam patet immutabilitas Primatus in Sede Romana.

Accedit universa traditio eorum Patrum et Scholasticorum, qui asserunt hanc immutabilitatem esse de iure divino aut antecedenter aut consequenter ad factum quo Petrus sedi romanae alligabat iura primatus vel absque addito iuris divini. Infra de Patribus: nunc ad scholasticos cf. Suarez in defens. Fidei advers. Anglicanae sectae error. l. 1. c. s. n. 4. Bellarmin. de Rom. Pont. c. 12. « Observandum est tertio, licet *forte* non sit de iure divino R. Pficem ut Romanum Pficem Petro succedere tamen id *ad fidem catholicam pertinere*... Etsi autem R. Pficem succedere Petro non habeatur expresse in scripturis, tamen succedere autem Petro deducitur evidenter ex scripturis, illum autem esse R. Pontificem habetur ex traditione apostolica Petri quam traditionem Concilia generalia Pontificem decreta, et Patrum consensus declaravit. Et quoniam provocat ad concilia oecum. praeter Florentinum diximus supra esse Concil. oecumen. Vaticanum quod *Const. Pastor aeternus* c. 2. claves regni accepisse Petrum *qui* ad hac usque tempus et *semper* in suis successoribus, Episcopis s. Romanae Sedis, ab ipso fundatae eiusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et iudicium exercet. *Unde* quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet... Iamvero quis affirmet rem adeo assertam romanae Ecclesiae posse mutari?

Lignus est qui de hac quaestione praesertim quoad scholasticorum sententiam audiatur Benedictus XIV de Synod. dioeces. l. 2. c. 1. Nam Petrus universalis Ecclesiae pastor a Christo D. renuntiatus potuisset utique ea suprema totius Ecclesiae praefectura retenta, nullius particularis Ecclesiae regimen capessere, sicut reipsa nullius specialem administrationem suscepit primis aliquot a Christi Dni in caelum ascensione annis; potuisset antiochenam Ecclesiam quam deinde elegit pluresque annos Epus gubernavit, perpetuo retinere, potuisset denique Ecclesiam Romanam, ad quam postmodum suam transtulit sedem, relinquere, alio se conferre, et alterius urbis specialem curam seu episcopatum assumere. At cum haec, quae fieri potuerunt, minime facta sint, sed Petrus suam sedem Romae fixerit, per annos 25 firmiter retinuerit et in ea martyrio coronatus gloriose obierit, sive id evenerit ex divino praecepto seu expressa revelatione ipsi Petro specialiter a Deo facta, sic ex sola voluntate Petri licet divinitus inspirata: inde factum est ut suprema Pontificatus praerogativa ita insita remanserit romanae Sedi ut qui in hac Petro succedit, necessario succedat in totius Eccl. primatu Petro eiusque legitimis successoribus a Christo collato, quamadmodum bene explicant Card. Bellarmin. Suarez... Marcus Anton. Cappellus. Quamvis itaque possit in aliquo sensu dici supremam Eccl. monarchiam, iure tantum humano esse adnexam sedi rom. quia nimirum utriusque unio, nexus

et alligatio ortum habuit ex facto Petri: attamen non videtur posse sustineri illorum opinio qui asseruerunt, praefatam adnexionem ita esse de iure humano ut possit ab Ecclesia dissolvi et una ab altera separari: etenim posito quod Petrus suam Sedem stabiliter Romae collocaverit et romanam regens Ecclesiam obierit, nullus qui Epus romanus non sit, potest dici verus Petri successor... Quare iure ac merito eiusmodi paucorum opinionem refellunt, et censura perstringunt Melchior Canus de loc. theolog. l. 6. c. 4. Gregor. de Valentia in Analy s. Fid. Cath. l. 7. c. 12. aliique non pauci.

Notandum heic est quod inter hos theologos adcensentur quidam qui postea sententiam suam retractarunt vel melius explicarunt mentem suam pro nostra thesi e. g. Card. Cusanus cit. a Febron. (1) Cf. Zaccaria Antif. dissert. 2. c. 1. n. III.

Ad hanc doctrinam de incommutabili sede primatus in Romana Ecclesia, de inseparabilitate primatus a Romana sede per quamcunque humanam auctoritatem, argumentis factis iuvat auctoritatem addere eximii moderni Theologi Card. Franzelin, qui tract. de Eccl. Christi th. XII, n. II et III, p. 196-210 docet, n. quidem II.... a) Sicut Ecclesia I. Ch. ait, est instituta visibilis, atque adeo certis ac constantibus signis seu notis facile cognoscibilis inter omnes falsi nominis societates christianas ut una et vera Ecclesia Christi; ita omnia etiam

---

(1) « Domando piuttosto ait Zaccaria contra Febron. l. c. com' egli che cita il Cusano non abbia avvertito che il Cusano insegnò poi il contrario nella 2.ª lettera da lui scritta ai Boemi sull' uso della Communione. *Quare cum nullo tempore a principio nascentis in alio cuiuscumque loci Episcopo prior principatus fuit quam in Petro qui etsi in aliis locis ut transiens Pontificis officio usus fuerit: in urbe tamen romana ut in finali, ad quam tendebat, ipsum Primatum erexit eamque sedem martyrio consecravit,* Hinc iubet Aug: si scire velis an in Ecclesia existas: hoc vestiges ratione, si *cathedrae Rom. Pontificis adhaereas, quae per continuas successiones bonorum, malorumque in* Petrum *principem continuatur. Credendum est hanc sedem sacratissimam, quoad locum etiam inexterminabilem. Et tamen si casu Roma deficeret, ibi veritas Ecclesiae remanebit ubi erit principatus et* Petri *sedes modo praedicto. Cum enim Epi succedant* Apostolis: *primo apostolo recte primus succedit Episcopus ad quemcumque etiam particularem locum alium a Rom. urbe fuerit sedes contracta.* Si noti bene. Primieramente afferma il Card. che *S. Pietro* eresse in *Roma* il *principato;* secondamente vuole, chè la sede del pontificale primato anche quanto al luogo sia immutabile, o come egli dice, *inexterminabili;* terzamente soggiugne, se per un caso (per altro impossibile, posto che sia la sede pontificia quanto al luogo inexterminabilis) mancasse la città di Roma, allora sarà il principato della Chiesa ove passerà la sede di *Pietro.* Non dunque stimava il Cusano, che in mano fosse della Chiesa o del Papa di mutar sede, ma solo il credeva necessario nel caso che la città di *Roma* perisse, caso, siccome io dicea anche secondo lui impossibile ad avvenire. E perchè dunque *Febbronio* si vale di ciò, che il *Cusano* scrisse nella concordanza cattolica, e dissimula i nuovi sentimenti di lui ne' quali sono i primieri apertamente ritrattati?

elementa, quae pertinent ad visibilitatem Ecclesiae eamque visibilem constituunt, sane visibilia sint oportet. Inter haec autem elementa primum locum occupat ipsum visibile caput, visibile fundamentum a Christo institutum, Petrus de petra in perenni successione; ergo in ipsa institutione perenniter et continua successione permansuri visibilis Capitis Ecclesiae continetur, successionem ipsam debere esse visibilem, hoc est certo, constanti et manifesto signo facile cognoscibilem. Atqui inde a glorioso exitu Petri per omnes aetates Ecclesiae semper et ab omnibus ut certum, constans et manifestum signum successionis primatu Petri habita et credita est successio in sede Romana Petri, quam ipse morieus vacantem, ut aiebat s. Cyprianus, hoc est singulis ex ordine successoribus in omnibus suis iuribus tenendam reliquit. Ergo sicut ad perennem successionem visibilis episcopatus et sacerdotii valet antecedenti institutione divina visibile sacramentum, ita ad perennem successionem in visibili primatu valet divina ratihabitione saltem consequente post factum Petri signum visibile successionis in *Romana* Petri sede. « Beatus Petrus qui *Apostolicae sedi primus praesedit*, sui apostolatus principatum *successoribus suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt*, dereliquit, quibus et auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ei concessa est, et ipse quoque *suis contulit ac tradidit divino iussu successoribus Pontificibus* ».

In hac explicatione ex omnibus supra citatis ecclesiasticis documentis deducta consentientes habemus insignes theologos. - Sicut ex ratione, institutione, et fine Ecclesiae necessarium esse ostendimus, illam in individuo et in particulari esse visibilem, ait Suarez, *ita ex institutione et fine muneris Vicarii Christi necessarium est, illum esse visibilem Ecclesiae in particulari, ac determinata sede et successione* ». Suarez contra Reg. Angl. L. III. c. 13. « Alicui certae sedi debuit primatus Petri, id est universalis pontificatus seu regimen totius Ecclesiae affigi. Quamvis enim hic primatus nullam particularem sedem episcopalem, cui ipse alligaretur, per se (h. e. a priori et intestina sua natura) postularit. *id tamen certa requirebat in hoc primatu successio* (quae ipsamet simul cum primatu divinitus instituta est ut perenniter duratura), quae in bonum *Ecclesiae perseverare facileque expediri posset et deberet...* Hinc Petrus necessario elegit particularem aliquem episcopatum, cui Primatis persona alligaretur. Fuit ille quidem Antiochenae sedis fundator, et rector aliquot annos; sed cum inde Romam transierit, huc primatum a sua persona invitum transtulit, et eumdem episcopatum Romanum usque ad mortem retinens primatum ad successores suos in eadem sede transmissit ». Laurent. Veith. de Primat. Rom. Pontif. Posit. VIII. §. 18; Pet. Ballerini de vi et ratione Primat. R. P. T. I. c. 1. N. 2. Theol. Wenzeburg. T. I. de Primat. R. P. §. 120, N. III. Franc. Ant. Zaccaria de S. Petri Primat. c. 5, N. 7.

b) Ulterius ex illis praesertim documentis, in quibus ipsius Ecclesiae Romanae seu sedis Apostolicae Romanae principatus docetur consequitur non modo unionem esse inter primatum et Romanum episcopatum velut inter duas res separatas in uno aliquo tertio sed iam esse unam Romanam sedem principatus super universam Ecclesiam, qui principatus in se continet episcopatum Romanum, ut in universali continetur particulare. Nimirum non duae sedes Petri distinguendae sunt, quarum una intelligatur a Christo instituta et Petro data suprema potestas pastoralis super Ecclesiam universalem, altera sit sedes Eccle-

siae particularis Romanae instituta a Petro ab illa priori separata per se consistens et tantummodo coniuncta ratione unius personae, quae utrumque administret; sed imo dum Petrus non solum pro se sed etiam pro singulis suis successoribus in sede perenni institutus iam a Christo pastor totius Ecclesiae sibi elegit et constituit hanc Romanam Ecclesiam ut suam sedem episcopalem adeoque eam fecit sedem Apostolicam Petrinam, hoc ipso una Sedes Romana constituta est et in morte Petri perenni iure hereditario consecrata sedes primatialis in dignitate et potestate a Christo instituti principatus super Ecclesiam universam. Dicam hoc ipsum verbis Bellarmini. « Observandum est, inquit, Romanum Episcopatum et Ecclesiae universae praefecturam non esse duos episcopatus neque duas sedes nisi in potentia. Nam Petrus Pontifex totius Ecclesiae a Christo institutus non adiunxit sibi episcopatum urbis Romae, quo modo Episcopus alicuius loci adiungit sibi alium episcopatum vel canonicatum aut Abbatiam ; sed Romanae urbis episcopatum evexit ad summum orbis terrae pontificatum, quemadmodum cum episcopatus simplex erigitur in archiepiscopatum vel patriarchatum. Non enim Archiepiscopus vel Patriarca est bis aut ter Episcopus, sed semel tantum... et summus Pontifex etiamsi Episcopus, Archiepiscopus Patriarca et summus Pontifex sit, haec omnia sunt unum actu et tantum in potentia multa. Ex quo sequitur, ut qui eligitur Romanus Episcopus eo ipso sit Pontifex summus totius Ecclesiae, etiamsi forte id non exprimant electores. » Bellarm. de Rom. Pont. l. 11 e 12. Quod ait magnus theologus de « multis in potentia et de unitate in actu » rite intelligendum est, Videlicet non ex natura rei et velut a priori erat necessarium, ut Petrus sibi pastori totius Ecclesiae faceret propriam hanc determinatam sedem Romanam, potuit ergo absolute loquendo institui episcopatus urbis Romae per se consistens absque illa erectione ad summum orbis terrae pontificatum; sed posito facto, in una potestate suprema et universali iam includitur potestas particularis inferior Romani episcopatus; nec minus iura metropolitica in provinciam ecclesiasticam Romanam atque iura patriarchalia in patriarchatum occidentis iam contenta erant in suprema universali potestate, quando Pontifices ea sibi specialiter reservarunt cum exclusione aliorum seu potius non concedendo illic haec iura ulli alteri Metropolitae aut Patriarchae; superius enim iam vidimus hujusmodi Metropoles aut Patriarchatus non divinae sed ecclesiasticae dumtaxat institutionis derivari ex concessione directa vel indirecta sedis Romanae Petri et non nisi in communione et dependentia ab ipsa posse subsistere. Porro sicuti Pontifex non semper tota intentione suae supremae potestatis agit, ita potest etiam exercere actus restrictiores iurisdictionis episcopalis, archiepiscopalis, patriarchalis intra limites pro hisce iuribus specialiter reservatos et designatos. Hoc modo ea quae memoravit Bellarminus intelliguntur « multa in potentia » tum exercitii et a posteriori, tum a priori per exclusionem absolutae necessitatis ; et sunt « omnia unum actu » in suprema divinitus instituta potestate universali.

III. Ex omnibus disputatis forte quis consequi existimet, unionem primatus cum episcopatu Romano iam ita existere ut dogma sit fidei catholicae separationem et translationem primatus ad aliam sedem etiam per supremam ipsius Romani Pontificis potestatem effici non posse.

1. Tria haec sine dubio sunt de fide catholica a) Christum instituisse in Petro potestatem primatus super universam Ecclesiam; b) instituisse hunc pri-

matum, perenniter permansurum ut visibile fundamentum et petram a Christo petra principali positam adeoque pertinentem ad ipsam divinam constitutionem Ecclesiae quamdiu haec indefectibilis consistet usque ad consummationem saeculi ac proinde simul cum primatu institutam esse perpetuam in eo successionem ut semper (serie moraliter continua) unus sit in Ecclesia visibili visibilis et cognoscibilis successor Petri; c) hos in primatu successores esse Romanos Pontifices ad quos solos actu pertinet et semper pertinuit legitima Petri successio. **Vide supra definitionem Concilii Vaticani.**

Primum et secundum dogma in ipsis verbis promissionis et institutionis a Christo in Petro factae contineri ut semper et ubique in Ecclesia Dei intellecta sunt, atque ex illis nulla assumpta propositione quae revelata non sit simplici analysi deduci in superioribus thesibus demonstratum habes. Tertium non est nisi concreta expressio et applicatio utriusque dogmatis praecedentis. Verba Christi Dei, quibus primatum et perennem continua serie in eo successionem promisit et instituit (tu es Petrus... tibi dabo claves regni coelorum... confirma fratres tuos, pasce oves meas) non enuntiant veritatem solum abstractam nec respiciunt personas indeterminatas, sed dicta et directa sunt in concreto ad personam Petri et singulos ejus successores in tota serie, non sunt verba theoretica dumtaxat et speculativa, sed sunt verba practica et id quod significant, efficientia in Petro et in ejus Successoribus, quos singulos Christus in mente habens alloquebatur. Iam vero hi in primatu Petri successores vel nulli sunt et verba aeternae veritatis iam vera non essent, vel semper erant et in presenti ordine sunt soli Petri successores in Sede Apostolica Romana. Facto enim constanti per universalissimam traditionem evidenti illi soli semper practice agnoscebantur et agnoscuntur, et theoretice praedicabantur et praedicantur, eo ipso quod succedunt Petro in sede Romana, successores in primatu quem verbis divinis efficientibus Christus in Petro una cum perenni successione instituit. Ergo verba Christi pro praesenti saltem in ordine implicite comprehendunt et enuntiant ut successores in primatu divinitus instituto omnes et solos Pontifices Romanos, eaque veritas explicite applicatur et credibilis atque credenda proponitur facto evidenti ex universalissima traditione. Ergo fide catholica sicut divinitus institutus primatus atque perennis eius conservatio et in eo singulorum successio, ita non minus Romanorum Pontificum pro praesenti saltem ordine in eodem successio credenda est. « Ut Ecclesiae certo constet, ait Suarez, in tali Sede impletam esse et hactenus impleri institutionem a Christo factam et in scriptura revelatam, satis est ut applicatio ut ita dicam illius institutionis et dignitatis ad talem episcopatum per evidentem traditionem et continuum ac notissimum usum eidem Ecclesiae sufficientissime proponatur... sicut ergo Ecclesia visibilis non tantum fide humana sed etiam divina creditur esse Ecclesia (vera Iesu Christi), quia sensibilia signa per quae videtur non sunt ratio credendi sed proponunt ut evidenter credibile illam esse veram Ecclesiam, quam Deus semper in mundo esse futuram revelavit; ita non solum fide humana sed etiam divina credendum est, Romanum Pontificem esse caput visibile huius Ecclesiae vice Christi, quia signa illa quibus hoc caput ostendimus, faciunt credibile evidenter, illum esse quem Christus ex vi suae institutionis Vicarium suum constituit. Hoc ergo modo dicimus, assertionem positam esse de fide et in Scriptura adiuncta Ecclesiae traditione, sufficienter contineri »

Suarez cont. Regem Angl. l. III c. 13. Imo ipsum hoc dogma de successione Romanorum Pontificum in primatu divinitus collato Petro pro se suisque successoribus, in fidei decretis et professionibus superius in hac thesi (n. 1, descriptis) diserte declaratum est ac definitum. Nunc vero post ea, quae modo diximus, animadvertas quaeso, in definitione Florentina ultimum incisum non solum valere ad confirmandam plenitudinem potestatis in primatu institutam a Christo sed etiam continere modum quo revelata doctrina de successione in primatu applicatur et referri ostendatur ad Pontifices Romanos. « Definimus .. ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum... et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. » Continetur nempe in hisce gestis et canonibus seu in universa traditione tum declaratio iuris de plenitudine potestatis, tum ostensio facti successionis, qua ius exhibetur pertinens et applicatum ad solos Pontifices Romanae Ecclesiae.

2. Iam vero si haec ita sunt, nonne etiam quartum, quod memoravimus dogma simpliciter de fide credendum est, unionem primatus cum sede et Ecclesia Romana ita esse absolutam et pertinere iam ad ipsam constitutionem Ecclesiae incommutabilem ut nulla ne suprema quidem ipsius Pontificis Romani potestate primatus separandus et alio transferendus sit? *Respondemus* id dogma definitum de fide hactenus saltem non esse; esse tamen veritatem theologicam quae ex modo, quo ipsum dogma de primatu Romanorum Pontificum seu Romanae Ecclesiae in documentis ecclesiasticis enuntiatum est legitime deducitur.

a) Prima pars huius propositionis conceditur ab ipsis illis gravissimis theologis qui contra Dominicum Sotum inseparabilitatem primatus a Sede Romana strenue defendunt quidem, sed si de separatione per supremam Ecclesiae auctoritatem, quae in Petri successore ipso residet, quaestio instituatur, mitioribus modis loquendi utuntur. De suprema ipsius Pontificis Romani potestate intelligo tum Sotum, qui (4, dist. 24 q. 2 a 5) per Ecclesiae auctoritatem fieri posse separationem defendit, tum illos alios theologos opinionis Soti impugnatores; si enim de inferiori potestate ecclesiastica ageretur, nec Sotus opinor illam sententiam defendisset et eius oppugnatores severiori censura usi fuissent.

Gregorius de Valentia contra Soti argumenta intra sequentem se continuit improbationem: « utrumque subtiliter ista pro Soti opinione disputari possint, mihi certe videtur ea opinio in re tam gravi nimium esse, singularis nec vero satis tuta » Analys. fidei l, VII c. 12. Suarez quaestionem in eo sensu, quem diximus, velut hypothesin seponit: « quidquid sit de illa quaestione quae a theologis disputatur, an possit Summus Pontifex separare primatum a Romana sede et illum vel in alio episcopatu collocare vel ab omni particulari episcopatu separatum relinquere, certum esse existimo dum aliquis Summus Pontifex id non fecerit non posse universam Ecclesiam, vacante Papatu, id efficere, quia non potest inferior potestas mutare, quod per superiorem constitutum est, et quia sicut Petri soli datus est primatus pro ipso et successoribus eius, ita ad ipsum solum seu ad Summum Pontificem spectat determinare sedem Pontificalem (in hypothesi quam Suarez permittit, quod determinatio non iam incommutabiliter facta sit), et modum electionis et successionis eius praescribere » l,

III, c. 19 cont. Reg. Angl. Cautius et clarius loquitur Bellarminus: « Petri privilegium est alligatum Romanae Urbi donec Petri successores Romae sedem retinent. Nam si *divino iussu* sedes alio transferretur non essent amplius Romani Episcopi totius Ecclesiae Episcopi, si transferretur inquam, ipsa sedes, ita ut qui nunc sunt Romani Pontifices alicuius alterius loci Episcopi dicerentur non enim sola absentia Pontificum ab Urbe sedem transferre dicitur. Atque haec ex hypothesi dicta sunt; non enim credimus umquam futurum, ut sedes alio transferatur » l, II, c. 12 de Rom. Pontif. De suprema Ecclesiae potestate, quae sit in ipso summo Pontifice, intelligendus est etiam temperantior modus loquendi quo diserte provocans ad Gregorium de Valentia Suarezium et Bellarminum Benedictus XIV utitur: « quamvis possit in aliquo sensu dici, supremam Ecclesiae monarchiam iure tantum humano esse annexam sedi Romanae, quia nimirum utriusque unio, nexus et alligatio ortum habuit ex facto Petri, attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt praefatam connexionem ita esse de iure humano, ut possit ab Ecclesia (potestate nempe Pontificis suprema in Ecclesia) dissolvi et una ab altera separari » l. II, c. 1 de Synod. dioeces. Vide etiam Petri Ballerini Vindicias contra Febronium c. 8 § 2; Laurentium Veith de Rom. Pontif. sect I, § 19.

b) Pars altera nostrae propositionis, nulla ne suprema quidem potestate primatum umquam separandum esse a sede et Ecclesia Romana Petri, tam manifesto fundamentum habet in Conciliorum definitionibus et professionibus fidei hac thesi descriptis atque in doctrina Pontificum aliorumque Patrum in thesi antecedenti proposita, ut potius opus fuerit monere hanc veritatem non haberi a theologis ut certum de fide, quam ut dubitari possit esse veritatem theologicam gravissimis nixam argumentis et documentis.

1) Sane in illa hypotesi universalis et constans omnium saeculorum ratio sentiendi et docendi totius Ecclesiae mutanda esset; traditio universa Ecclesiastica, quae non iam in decretis legislationis dumtaxat per potestatem et clavim iurisdictionis sed in definitionibus et professionibus fidei per infallibile magisterium et per clavim doctrinae fulgidissime resplendet, non esset pro omni aetate incommutabiliter vera sed hypothetice tantum, quandiu ipsum fundamentum et obiectum definitionis et professionis fidei quod supponitur mutabile non mutatum subsistit. At tota illa traditio omnes illae definitiones et fidei professiones omnino absolute veritatem enuntiant, nec in eis ullum est vestigium istius hypotheticae dumtaxat veritatis et mutabilitatis obiecti; veritatem ergo enuntiant incommutabilem; nec valor et significatio solum hypothetica et mutabilitas obiecti ex illi sacratissimis documentis eruitur, sed sine solida ratione eis affingitur, quod saue nefas est.

Supponamus primatum a Sede Romana Petri translatum et iam coniunctum sedi alteri Neapolitanae, Parisiensi, Coloniensi. Ergo pro illa supposita futura aetate non erit amplius verum quod definitum est et usque ad illud tempus ab omnibus fide catholica credendum erat « ipsum Pontificem Romanum successorem esse (non solum fuisse aliquando) beati Petri principis Apostolorum totiusque Ecclesiae caput: « ac propterea tum temporis non erit anathema qui dixerit Romanum Pontificem non esse beati Petri in primatu successorem; » nec amplius profitendum erit. « Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere (non solum obtinuisse, sed sine limi-

tatione temporis) principatum, hancque non esse aliam quam » Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, erga quam pastores atque fideles tum seorsum singuli tum simul omnes obstringuntur; « erit mutandum, quod eo usque propositum erat credendum in professione Lugdunensi et Tridentina: « ipsa sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum super universam Ecclesiam catholicae obtinet: « Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. » In summa vera Ecclesia Iesu Christi non erit amplius Ecclesia Romana catholica sed Ecclesia Neapolitana vel Parisiensis catholica. Absurditas ipsa horum consectariorum catholicis auribus intolerabilis, quae tamen omnia in illa suppositione translatae sedis necessario continentur, demonstrat incommutabilitatem obiecti, quod in definitionibus et professionibus fidei credendum proponitur.

Haec eadem definitionum et professionis fidei lucida doctrina continetur etiam evidenter in tota ecclesiastica traditione, ex qua proinde idem existit ineluctabile argumentum incommutabilis soliditatis, qua sedes Romana Petri semper est et manet sedes Apostolica Petrina, heres nempe totius iuris et potestatis a Christo in Petro institutae, ut in thesi superiori XI, demonstravimus. Unde illic demonstrata recolenda sunt, nihil autem opus est eadem hic repetere; velim autem animadvertas ex illis documentis non solum, concludendo deduci sed etiam disertis verbis praedicari incommutabilem firmitatem principatus in sede Romana Petri. Episcopus Romanae Ecclesiae Coelestinus in Concilio Ephesino dicitur « Petri Apostolorum Principis et capitis secundum ordinem successor et locum tenens; « de successione ergo Petri in Romana Ecclesia et non de alia dicuntur vel intelligi possunt quae ibi de successoribus Petri praedicantur tamquam omnibus saeculis nota: « Nulli dubium imo omnibus saeculis notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus.... ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet; « quae hoc sensu repetita et citata sunt etiam a Concilio Vaticano (cap. 2). Potentiam ligandi et solvendi quam canonica antiquitas ex promissione Christi agnovit in Petro Zosimus non solum sibi vindicat sed declarat, Petri potestatem esse in omnibus sedis Romanae Petri heredibus, eamdem semper, quia ipse huius suae Ecclesiae maxime habet curam, eique constituit sui nominis fundamenta ita ut quemadmodum ad perpetuitatem universalis Ecclesiae ne unquam portae inferi praevaleant adversus eam, sic ad perpetuitatem privilegii Ecclesiae Romanae sit Petrus in suis successoribus: « Par potestatis data conditio in eos, qui sedis hereditatem ipso (Petro) annuente meruissent; habet enim ipse quum omnium Ecclesiarum tum huius maxime, ubi sederat curam; nec patitur aliquid privilegii aliqua titubare aura sententiae (in illa Ecclesia ubi sederat) cui ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus constituit fundamenta et quae sine suo periculo temere nullus incessat... ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia. » Eadem est doctrina S. Zeonis de indeficiente consortio Petri cum aeterno sacerdote tum quoad Apostolicam tum quoad episcopalem in sua sede dignitatem quia soliditas petrae derivata a Christo petra manet in Petri heredibus: « subiungit autem se non solum Apostolica sed etiam episcopalis beatissimi dignitas Petri, qui sedi sua praeesse non desinit, et indeficiens obtinet cum aeterno sacerdote consortium; soliditas

enim illa quam de petra Christo etiam ipse petra factus accepit, in suos quoque se transfudit haeredes ». Idem de aeterna soliditate sedis Romanae ut a portis inferi haec ipsa sedes numquam vincatur, repetit Gelasius: Petrum Christus » dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit... ibique gloriosa sanguinis effusione decoratus aeterno hospitio conquiescit praestans sedi quam ipse benedixit ut a portis inferi nunquam pro Domini missione vincatur. « In epistola lecta et acclamata in Concilio VII Pontifex Hadrianus I, profitetur: « ipse princeps Apostolorum beatus Petrus qui Apostolicae sedi primus praesedit, sui apostolatus principatum ac pastoralis curae successoribus suis, qui in eius sacratissima sede perenniter sessuri sunt, dereliquit... et auctoritatis potestatem suis... tradidit divino jussu successoribus Pontificibus ».

2) Apparet falsitas suppositionis, quam impugnamus, ex alia consideratione constitutionis Ecclesiae eiusque visibilis fundamenti sedis Romanae Apostolicae. In illa hypotesi separati primatus ab Ecclesia et sede Romana, vel dicitur haec Ecclesia et sedes Apostolica adhuc permanere ut sedes episcopalis privata iam iuribus primatus, vel supponitur omnino periisse.

Si sedes episcopalis Romana adhuc permanet, nulla ratione fieri potest, ut ea non sit sedes Apostolica, non sensu solum illo historico quod episcopatus huius Ecclesiae particularis sit fundatus ab Apostolo (ut erant multae aliae sedes fundatae a Petro Paulo Ioanne et a ceteris Apostolis); sed sedes Apostolica Petrina idest a Petro, ut erat a Christo pro se et pro tota serie suorum ex ordine (κατα ταξιν) successorum instructus iuribus et officiis primatus erecta ad sedem primatialem super totam Ecclesiam. Non enim ut superius vidimus, sunt duae sedes, alia primatus et alia Romani episcopatus: sed ipsa una sedes Romana Apostolica facta est a Petro primatialis pro se et suis in eadem sede ex ordine successoribus, quam ergo moriens cum omnibus suis iuribus divinitus institutis vacantem hoc est a legitimis in hac una sede Romana successoribus occupandam reliquit. Hinc vidimus, semper et ubique ab omnibus sine ulla controversia habitam et agnitam esse successionem in sede episcopali Romana ut identicam cum successione in primatus super totam Ecclesiam seu (facta distinctione secundum duplicem rationem) ut signum visibile authenticum successionis in primatu: qui succedit Petro in episcopatu Romano seu in una cathedra aut sede Romana eo ipso et eo solo est et semper theoretice praedicatus atque practice habitus est heres Petri principis Apostolorum. Quamdiu ergo permanet sedes Romana, quicumque in ea succedit, est successor et heres Petri in primatu: nec hereditatis ius intelligi potest in alia sede quae non est nec effici potest Apostolica Petrina. De quavis scilicet alia sede verum est multoque magis verum in comparatione cum sede Romana, quod S. Leo dixit de Ecclesia Costantinopolitana in comparatione cum Alexandrina et Antiochena: « nec praeter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio... non dedignetur (Anatolius) regiam Civitatem quam Apostolicam non potest facere sedem » (ep. 104. c. 3).

Altera suppositio Ecclesiam hanc Romanam omnino perituram aut eius sedem abolendam esse, excluditur constanti traditione de significatione et de effectu promissionum Christi. Relegantur superiora testimonia vel etiam ea sola quae hoc numero induximus de firmis fundamentis Ecclesiae Petri; de indeficiente in ea Petri sacerdotio; de benedictione Petri super suam sedem, ut a

portis inferi numquam vincatur; de perenni sessione successorum Petri in eadem sede. Ad horum confirmationem et illustrationem animadvertatur, ad notam visibilem apostolicitatis Ecclesiae Iesu Christi etiam illud pertinere, ut semper in ea sit sedes aliqua manifesto apostolica, cuius nempe Episcoporum series numquam interrupta indubitanter pertingat usque ad fundatorem Apostolum. Imo ut haec nota Apostolicitatis constans et certa maneat pro omnibus temporibus et incommutabiliter tuta ab omni discrimine necesse est, ut sedes ista apostolica non solum historice numquam defecerit, sed ut dogmatice constet eam deficere non posse. « Edant ergo (haeretici) origines Ecclesiarum suarum evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt; sicut Smyrnacorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert, sicut Romanorum Clementem, a Petro ordinatum edit, proindeque et ceterae exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos Apostolici seminis traduces habeant... Quae licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur tamen in eadem fide (cum Apostolicis) conspirantes, non minus Apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae » Tertull. Praescript. c. 32.

Iam vero huiusmodi Ecclesia Apostolica, quae manifesto et sine interruptione Episcoporum successionem, servata etiam consanguinitate doctrinae, ab Apostolo decurrentem exhibeat, nulla iam existit praeter Ecclesiam Romanam Petri; eoque magis ipsa sola est cui Patres et Concilia eam soliditatem vindicare vidimus ut omnino « pro Christi missione deficere nequeat, atque alias sedes si defecerint, valeat restituere quemadmodum in Concilio VIII, patricius Bahanes argumentatus est. — Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque patriarchiis et definivit in evangeliis suis, ut numquam aliquando penitus decidant eo quod capita Ecclesiae sint. Etenim illud quod dicitur et portae inferi non praevalebunt adversus eam hoc denuntiat, quando duo ceciderint currunt (pastores et greges fidelium) ad tria; cum tria ceciderint currunt ad duo; cum vero quatuor forte ceciderint unum, quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro revocat iterum reliquum corpus Ecclesiae » (Hard. T. V. p. 880). Modus diversus et diversum ius, quo quinque patriarchiae seu sedes sunt capita Ecclesiae, et textus evangelii qui inducitur ad probationem evidenter demonstrat istud unum seu istam unam sedem, quam Bahanes indeficientem duplici illo argumento ostendit, non posse esse nisi sedem et Ecclesiam Romanam Petri. Hinc etiam in superioribus vidimus, quomodo Patres Irenaeus, Optatus, Augustinus, Epiphanius et alii ut « compendium probationis » pro Ecclesiae catholicae veritate in professione fidei, et pro unitate in communione caritatis inducant perennem non interruptam inde a principe Apostolorum Petro decurrentem successionem Episcoporum Romanorum, quae successio in Ecclesia « potentioris principalitatis » in Ecclesia « principali » ad quam necesse est omnem convenire Ecclesiam, « non solum usque ad illa tempora Patrum non defecit, sed propter ipsum finem ad quem potentior illa principalitas Ecclesiae Petri est instituta, ad visibiliter exhibendam Ecclesiae unius et verae Iesu Christi perpetuitatem, atque adeo ad notam visibilem apostolicitatis nullo

umquam tempore deficere potest; unde et Optatus — primam de dotibus — Ecclesiae Catholicae dicit esse — cathedram unicam, quam sedit prior Petrus ».

Puto satis esse demonstratum, quod proposuimus; est nempe veritas theologica certa innixa principiis et documentis fidei, primatum a sede et Ecclesia Romana Petri numquam ne suprema quidem successorum Petri potestate esse separandum.

Prop. 4.a Ergo Romanus Pontifex iure divino succedit b. Petro in Primatu sive absolute sive comparative spectetur.

Decl. prop. Distinguenda sedulo est lex successionis a conditione E. g. in Romana Republica si quaeratur *quo iure consules* existebant et singulis annis novi veteribus succedebant, respondetur iure naturae prout erat regimen aliquod necessarium societati, et iure sociali prout erant in certa forma regiminis. Porro conditio successionis erat e. g. ut quis obivisset inferiora munera Reipublicae, ut praesens peteret, ut populi suffragiis eligeretur.... ex quibus aliisque adiunctis efficiebatur ut hic prae alio consul esset. Unde erant consules iure naturae et sociali determinante ius naturae, et iure personali expletae conditionis. Pariter in Ecclesia lex successionis est lex perennitatis primatus, sicut in Republica romana erat lex naturae exigens ut aliquis vel aliqui esse debeant, qui suprema potestate potiantur. Titulus vero praefiniens perennitatem Primatus h. e. ut semper existant successores Petri est voluntas Christi. Ergo existentia perennis Primatus est ex iure divino et non humano. Imo in Ecclesia non solum regimen sed et forma regiminis est ex iure divino, quia eadem voluntas divina quae regimen in ea esse voluit, determinavit etiam formam regiminis ut vidimus monarchici (*quod totum* in reipublicae societate politica, non habetur ex iure naturae). Porro conditio successionis est ratio ut hic potius comparative quam ceteri succedant.

Per se autem pabet quod 1º) spectatis rerum essentiis alia est ratio conditionis successionis, propter quam hic potius quam ille succedit, alia legis successionis, per quam ipsa existentia successorum perpetua stabilitur; et quod 2o) necesse non fuit Christum voluntate antecedente determinare conditionem sicut statuit legem successionis ad hoc ut quis deinceps succederet Petro in Primatu.

Cum quaeritur ergo quo iure Rom. Episcopus succedat Petro, duplex quaestio institui potest altera absoluta h. e. quo iure Romanus Episcopus faciens satis conditioni successionis obtineat Primatum Petri seu potiatur eadem auctoritate ac Petrus: altera comparativa quo iure scil. ipse potius, quam alius Episcopus succedat Petro in Primatu. Responsio ad utramque est ex iure divino Romanum Pontificem b. Petro in primatu succedere.

Prob. 1. Si absolute spectetur quaestio. Nam 1o) ut quis dicatur iure divino succedere sufficit ut Deus voluerit semper esse in Ecclesia sua, qui Primatu Petri auctus esset: ideo enim succedet et Primatum habet quia Deus vult et sic illud quod proprium successionis est in se spectatae fit proprium illius qui conditionibus successionis facit satis. Sed voluntas Dei est ut aliquis semper gerere debeat Primatum b. Petri, et solus Rom. Pontifex facit satis conditionibus successionis.

2º) Ius Primatus non ab Ecclesia proficiscitur, quae nec Primatum, neque eius perennitatem instituit; neque ab ulla alia auctoritate humana cum

ius primatus sit supernaturale excedens quamlibet naturalem vel regiam potestatem. Ergo absolute ex iure divino Rom. Pont. b. Petro succedit in Primatu.

2. Pariter ex iure divino etiamsi COMPARATIVE QUAESTIO fiat.

Sedulo distinguenda est heic triplex T. Th. sententia Sat quidem notum est, (aiebat Epus Calvensis inter Except. c. v. Concil. Vatic. sententias illas ad tres recenseri. Prima tenet Petrum ex iussione Christi iunxisse Primatum sedi Romanae: proinde Romanum Pontificem succedere Petro in Primatu iure divino: ac adeo rite concludit nec ipsum Rom. Pontificem posse seiungere primatum ab epatu romano. Haec est sententia Melchioris Cani, Gregorii de Valentia aliorumque gravissimorum Theologorum. *Secunda* tenet Primatum, adnexum esse Sedi romanae *iure ecclesiastico:* quare cohaerenter concludit unum ab altera iustis de causis, separari posse a Summo Pontifice, qui eodem qui Petrus uniendi, vel segregandi gaudet potestate. Hanc sequuntur Soto Banez, aliique. *Tertia* denique est eorum, qui tenent R. Pontificem succedere Petro quoad Romanam Cathedram ex *iure ecclesiastico,* et quoad Primatum ex iure divino. Posteriorem propositionis partem ita exponunt nempe: quoniam Petrus ipse Primatum divinitus ei collatum ac successoribus transmittendum, ad unitatem Eccl. perpetuo servandam, cum Romano Episcopatu simul gessit quasi usum alteri ita inseruit, atque inoculavit, ut unus idemque esset et Episcopus Romanus et Universae Eccl. Primas, et ipsa Ecclesiae unitas in Romano Episcopo quasi personificaretur ideoque episcopatum romanum habendum solum ut conditionem ad successionem in Primatu: ita ut hoc ipso, quod quis in episcopatu Petro succedit, et in Primatu simul divino iure succedat. Ex hoc facto Petri inferunt, Primatum et Epatum Romanum inseparabiles omnino evasisse.

Hanc sententiam 3.am sunt qui sic exprimunt « Christus Petro ipsi reliquit, in qua urbe sedem episcopalem conderet, cuius ipse esset episcopus, ita tamen, ut vellet, cum hac sede, quam Petrus electurus esset, primatum immutabiliter ad consumationem saeculorum usque coniunctum esse. Ceteros inter P. Perrone ita exhibet suis praelect. theolog prop. 3.a edit. mediol. pag. 483. » — Romani Pontifices, Petri in episcopatu romano successores illius Primatum iure divino obtinuerunt, non autem humana sive ecclesiastica politica dispositione. Et n. 571. Uti ex ipsa propositionis enuntiatione liquet, apprime secerni debet in romanis Pontificibus eorum successio in Romanum Petri Epatum seu romanam Petri sedem, et Cathedram a successione in eius primatum. Successio enim in Petri Episcopatum iuris ecclesiastici est, successio vero in illius Primatum est iuris plane divini Successio in Petri sedem uti conditio solum se tenet ad successionem in eius Primatum qui eum ex Christi institutione quod ostendimus perpetuus in Ecclesia sit, et alligatus personae Petri sit, fit ut, qui Petro in episcopatu succedit, hoc ipso in eius primatum ex Christi dispositione succedat. — Si quis vero attendat verba quae tam in priori quam in reformato schemate vaticano aeque leguntur scil. « Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, iuxta ipsius Christi institutionem Primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet », percipiet conformitatem cum verbis Perronii eiusque sententiam qna asseritur prorsus inseparabiles esse successionem in cathedra et successionem in Primatu nulloque iure humano posse unquam separari: successio in cathedra admittitur in capitibus Concil. Vatic. ut conditio sine qua non suc-

ceditur in primatu. Porro nos dicimus posita iuseparabilitate omnimoda per ius hum. sequitur quod nexus Cathedrae rom. cum Primatu durabit usque ad consumationem saeculi, dispositione seu lege divina.

Nam quod Romana Cathedra potius quam alia habeat adnexa iura Primatus, idque sit aliquo sensu ex iure humano oporteret ut factum Petri suscipientis nempe Episcopatum Romanum eique alligantis in perpetuum iura primatus, prout erat factum hominis, ratio esset sufficiens, cur potius Episcopus Romanus quam alii succederent. Atqui eiusmodi Petri factum prout est factum hominis non est ratio sufficiens. Nam ratio sufficiens est quae sufficit pro rationato, heic autem rationatum est ut sit ex se successio immutabilis a nulla potestate. Atqui ad hoc requirebatur Ius divinum confirmans factum Petri et praevertens factum successionis.

Quocirca, concludimus cum P. Palmieri de Rom. Pontifice thes. X., cum Petrus Romanum Episcopatum suscepit ut in eo perpetuos successores in Primatu haberet, Deus ratam *specialiter* habuit hanc Petri electionem: ideoque de *iure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri praevertente autem factum successionis* est quod Romanus Episcopus succedat Petro in Primatu. Imo probabilem satis censemus sententiam: voluntate scil. antecedente Dei iussum esse Petrum hanc formam perpetuam successionis statuere nimirum per episcopalem sedem et inter sedes eligere Romanam.

Scil. omnes tueri debemus ex iure divino, etsi comparative sumatur, quod Romanus Pontifex prae ceteris Epis succedat Petro in Primatu: sed non omnes explicant eodem modo. Plures enim iique nobilissimi scholastici respondent quidem iure divino R.m E.pum prae ceteris succedere sed quatenus voluntate Dei antecedente factum Petri, qua nempe Petrus iussus fuerit ut ipse Episcopatum Romanum susciperet, in eoque relinqueret iura Primatus. Alii vero respondent Romanum Pontificem succedere iure, ut ita dicatur, apostolico dimanante scilicet ex facto originali Petri, qui per se potuisset alteri Cathedrae iura Primatus alligare. Nobis prior sententia probatur.

Ast ad 2.^{m} sententiam quod attinet, animadvertimus quod ut ea sufficiens sit defendendo dogmati, seu veritati definitae in Florentino et Vaticano Concilio de immutabilitate Primatus Romani Pontificis, debeat *specialem Christi ratihabitionem* tueri, Christi nempe sancientis ut forma successionis a Petro electa esset perpetua in Ecclesia: quae voluntas Christi Domini ita specialiter sancientis sit ratio sufficiens immutabilitatis huius formae: secus, sine hac speciali ratihabitione numquam probaretur deesse in successoribus Petri potestatem mutandi formam electam a Petro; a) cuius voluntas obligare potest Ecclesiam vivente Petro, sed non post eius mortem si successor in eadem potestate, aliud sanciret: b) quia successor succedit in omnibus iuribus Petri, quae ad bonum regimen Ecclesiae spectant; atqui bonum Ecclesiae videri posset, mutare dictam formam ut nunc quis arbitratur. Utique numquam continget eiusmodi necessitas mutandi dictam formam in Ecclesia, sed id a posteriori novimus ex autoritate Florentini et Vaticani Concilii definientium immutabilitatem Primatus in Romana Sede supposita etiam providentia Dei erga Ecclesiam.

Ergo ratio a priori huius immutabilitatis alia esse nequit quam voluntas Dei specialiter ratam habentis et sancientis in perpetuum electionem Petri: quaeque Dei voluntas supponit quidem factum Petri Episcopatum Romanum

suscipientis eique alligantis iura Primatus; ast coeterorum post Petrum successionis factum praecedit. Ergo Rom. Pont. *prae ceteris* succedit iure divino consequente factum Petri, praecedente factum successionis.

At prior sententia Theologis et Canonistis praesertim veteribus valde probabilis arrisit, cui nos subscribimus.

a) Ita *Innoc. III epist. 209 l. 2.* tamquam extra dubitationem positum refert Petrum ex divina revelatione fuisse ab Antiochia traslatum ad Urbem, secumque transtulisse Cathedrae Principatum. Huc a quibusdam refertur quod narrat Ambros. serm. contra Auxent. de Basilicis trad. n. 13. Roma Petro egredienti Christum in porta occurrisse, illique interroganti Dne quo vadis? respondisse Christum venio iterum crucifigi, proindeque Petrum sponte remeasse ac statim correptum per crucem suam honorificasse Dominum. Sed his nonne probatur quaedam Christi Domini voluntas ut Petrus Romae vitam finiret, ibique Primatus iura relinqueret? Alia hypothesis est solum probabilis (quatenus dicit voluntatem Dei seu ius divinum *dumtaxat consequens*) quia non est certa illa forma: haec vero antecedens nempe ius divinum ad ipsum factum Petri, non repugnat, imo est consentanea quia agebatur de re maximi momenti.

b) ex SS. Patribus. S. Optatus l. 1 c. 2 ait « Negare non potest scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram episcopalem, esse collatam etc. Porro Cathedra episcopalis Petro in Urbe collata est Cathedra iurisdictionis supremae et universalis Romae existens sive Primatus affixus Sedi episcopali Romanae. Atqui S. Optatus docet hanc Cathedram in *Urbe Romae collatam esse Petro*, non Petrus eam elegit, sed ei collata est utique a Deo. Ergo terminus collationis divinae non est simpliciter Primatus, sed Primatus in Urbe Roma. Ergo Petrus accepit a Christo Primatum constituendum in urbe Roma. Praeclarum est testimon. S. Cypr. iam cit. ad Cornel. Pap. « Navigare audent et ad Petri Cathedram atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est . . . nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo praedicante laudata est) ad *quos perfidia habere non possit accessum*. Scil. Cypr. his docet 1.° Ecclesiam romanam esse principalem: 2.° fontem unitatis sacerdotalis, fidei scil. et regiminis animarum: 3.° unitatem regiminis ostendi quoque per appellationem ad ipsam S. Sedem interpositam etiam ab haereticis et schismaticis navigare audent: 4.° sed fidem romanam invincibilem atque indefectibilem esse. Porro fons fidei indefectibilis alia esse non potest nisi fides Primatis: quod ex iure divino est: affirmatur quod fides romana imo ipsos Pontifices romanos esse tales ad quos perfidia non potest habere accessum: ergo ex iure divino cathedra romana est cathedra infallibilis.

Et Leo M. serm. de nativit. Apost. Trophaeum crucis Christi romanis arcibus inferebas quo te *divinis praeordinationibus* anteibant et *honor potestatis*, et gloria passionis.

Prop. 5.ª QUOD PRAE CETERIS ROMANUS PONTIFEX IS SIT, QUI PETRO IN PRIMATU SUCCEDAT, UTI VERITAS REVELATA CENSERI POTEST.

Decl. et prob. Factum Episcopatus Romani cui adnexa sint iura primatus in perpetuum a Deo ut supra probatum est, a nonnullis sumitur ut merum factum dogmaticum, sed nos theologice dicimus illud veritatem revelatam. Ut factum a Deo revelatum censeatur, satis est ut testificatione Dei nitatur: nititur autem factum aliquod testificatione divina cum illud nobis traditur a testi-

bus praeordinatis a Deo, credendumque fide divina ab iisdem proponitur. Factum vero dogmaticum non nititur quidem testificatione divina, tamen ita nectitur cum aliquo dogmate ut si ipsum non est certum, nutet quoque nostra certitudo dogmatis.

prob. Apostoli proponentes dogma de Primatu Romani Pontificis proposuerunt simul modum necessarium concipiendi hoc dogma, quia est conditio necessaria successionis in Primatu i. e. successio in Cathedra Episcopali Petri h. e. Romanus Pontifex succedit Petro in Primatu quia tenet Cathedram romanam seu cathedram episcopalem Petri: atque adeo id proponentes credendum proposuerunt quoque Episcopatum romanum Petri. Nam affirmatur a supra cit. Conciliis succedere Petro in Primatu Romanum Episcopum, quia tenet Cathedram episcopalem Petri: atqui in propositione causali utrumque affirmatur ratio et rationatum; et utrumque debet esse verum si ea causa est unica ut heic est. Ergo Apostoli tradentes et docentes dogma docuerunt simul necessarium modum illud concipiendi scil. Episcopatum Romanum Petri. Atqui id tradentes et docentes loquebantur ut testes veritatis revelatae. Ergo Episcopatus rom.... est revelatum factum....

Hinc mirum non est si Theologi censores operis Petri. Ioannis Olivi h. e. postillae in Apocalypsim, qui ex auctoritate Ioann. XXII. censuram instituerant, censuerunt *esse haereticum dicere* quod aliquando Romana Ecclesia debeat amittere Primatum. Cf. Miscellanea Stephani Baluzii edit. Manzi Tom. 2. *Litterae magistrorum* a pag. 258, n. 12 et 18.

IV. Manifestum est etiam eiusmodi praedictorum locorum interpretationem, quae ex nativo verborum ac phrasium sensu elicitur, nulla alia longius petita interpretatione, neque aliorum locorum auctoritate nisi sit apertissima et omnino expressa, posse turbari. Tarq.

Scil. quaecumque contra dictas dogmaticas veritates circa Primatum Romani Pontificis in scripturis contenta afferuntur, praevalere nullatenus possunt et nonnisi difficultates sunt ceu levi flatu disiiciendae, quae undequaque corrogentur etiam ex locis, quae de eadem re agere videntur. Nam ut proseq. Tarq. heic.

Agitur enim de locis, in quibus Christus statuit a) legem fundamentalem Ecclesiae et quidem b) non per accidens, sed directe et ex animi proposito. Iamvero ad sanam criticam pertinet ut quae loca directe et ex professo de aliqua re agunt eadem ab aliis, cum de eadem illa re sermo est, non recipiant interpretationem sed cetera potius ab illis....

Neque dicatur quod heic Christus metaphora sit usus sive penes Mth. ...Tu es Petrus et super hanc Petram sive penes Io. Pasce oves, pasce agnos: atqui sermo metaphoricus per se est obscurus atque adeo mutuari aliunde debet suam lucem. « *Respondetur* enim: cum metaphora clara est, ea non officit sermonis perspicuitati, sed hanc potius iuvat: clara porro est metaphora cum omnes eius ideae clarae sunt et obviae et cum nota est ratio translationis.

Atqui id obtinet in metaphoris heic a Christo Domino adhibitis petrae, pastoris... Nam, ut cetera missa faciam, in verbis Mth. Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, clara est notio petrae seu fundamenti, notio aedificii et *super hanc aedificabo*... notio habitudinis fundamenti ad aedificium. Sed huius habitudo est ratio huius translationis. Nam Petrus dicitur Petra Ecclesiae, quia super ipsum fundatur Ecclesia; ergo se habet ad Ecclesiam sicut fundamentum ad aedificium; pronum est ergo sensui metaphorico substituere.

Nemo autem negabit usitatissimas fuisse et esse vulgari sermone metaphoras a Christo adhibitas ita ut sensus proprius ab omnibus percipiatur statim ac iliae proferantur. Passim accidit vel familiari sermone usus metaphorae vel plebium captui accomodatae ita ut explicatione nulla opus sit; quod profecto de expressa in citt. locis metaphora verificatur, quae fuit et est semper in usu.

N. 14.

Corollaria generalia.

Ex hac autem propositione plura dimanant corollaria unde praedicta systemata, plane evertuntur: ex quibus pauca quaedam seligemus, quae magis usui sint; et primo quidem quae magis sint generalia. Inde ergo sequitur.

I. sequitur perperam Marsilium eiusque sectatores supremam Ecclesiae potestatem plebi detulisse. « Et merito: cum enim agatur de potestate supernaturali is habet in Ecclesia, qui a Christo accepit. Atqui vidimus in prob. prop. supremam potestatem directe ac immediate collatam esse a Christo ipsi b. Petro, a quo integre transfundenda sit in successoribus. Porro ex Ss. Scripturis et tota ecclesiastica praedicatione ea semper adesse debet habitudo Petrum eiusque successores inter et Ecclesiam, quae adest inter pastorem et gregem, inter fundamentum et aedificium. Sed absurdum est aedificium tribuere firmitatem, stabilitatem fundamento a quo ipsum omnem mutuetur unitatem firmitatem et stabilitatem: absurdum est summam regiminis potestatem in ipso grege esse et ab eodem conferri in pastorem.

Non vacat referre adversariorum obiectiones, quibus hanc falsissimam sententiam probare contendunt aientes e. g. a) Romanus Pontifex est membrum Ecclesiae, quae est corpus Christus: b) totum est maius sua parte; c) finis est superior mediis Iamvero Ecclesia est finis, papalis potestas est medium... Nam haec et similia horum nefariorum hominum ex misera illa dimanant aequivocatione, qua confunditur finis potestatis cum ipso subiecto potestatis, ordo intentionis cum ordine practico et executionis. *Illud autem nemo negat* ad hunc finem traditas Petro claves fuisse ut in bonum ovium iisdem uteretur: sed inde non sequitur in ovium grege summam residere potestatem vel radicaliter a qua ipsi Pontifices recipiant: secus enim potestas etiam patrisfamilias, cum in bonum familiae sit, resideret plene in universa familia; in filiis quoque qui ante patrem accepissent a natura ipsa ipsique patri communicassent: quod perabsurdum omnino est.

« Ceterum quod pertinet ad Principes saeculares alienum prorsus est a divina Ecclesiae Constitutione eos sese rebus sacris immisceri. » Demonstratum

namque fuit l. 1. n. 55. Quibus in rebus sive per se sive per accidens ratio sive necessitas concurrit finis spiritualis i. e. Ecclesiae, in iis licet temporales sint, potestatem suam Ecclesia iure exserit, civiles autem societas eidem cedere debet. Atqui Principes saeculares qua tales, civilem societatem iuridice repraesentant. Ergo ipsi qua tales subdi debent Ecclesiae in iis... Quod si ipsi sint Catholici, filii et subditi sunt, de grege non de numero pastorum — Christus Dominus distincto magistratui ecclesiastico contulit omnem potestatem in Ecclesiae bonum. — Et n. 61. II. pariter probatum est Principes ita religionem tueri debere ut Ecclesiae iudicia non antevertant, sed sequantur ; imo ne modum quidem excedant quem ad animarum salutem Ecclesia ipsa praescripsit.

II. Coroll. Perperam Febronium vim omnem a Roman. Pontificis Primatu sustulisse quod quidem praedictis Ioannis ac Mathaei locis maxime contrarium est.

Ex *locis* enim *perpensis Math. et Ioan.* immediate deducitur quod semper a) ab universa Ecclesia retentum est, et nuper in Vaticano Concilio declaratum « Quapropter apertis innixi ss. Literarum testimoniis, et inhaerentes tum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christifidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem et R. P. in universum orbem tenere Primatum et ipsum Pontificem Romanum successorem esse b. Petri Principis Apostolorum et verum Christi Vicarium totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere ; et ipsi in b. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. Ch. plenam potestatem traditam, esse. » Ex qua definitione et ex doctrina Catholica plena potestas Primatus postulat quod Primas possit *ordinario iure* in iis, quae pertinet ad regimen societatis omnia quoad omnes sive in ferendis legibus, sive in iudiciis instituendis, sive in tuenda coercitive executione legum; atque etiam nil legitime fieri possit contra eius voluntatem ita ut omnis alia proinde potestas in regno directe sit dependens ab ipso: porro haec est potestas monarchica verae proprieque dictae iurisdictionis affixa Sedi Romanae : cui contradicit Febronius : atqui eiusmodi potestas declarata a Concilio Florentino et Vaticano dicitur contineri Mth. et Iohan. testimoniis.

b) Quod evincitur etiam vel levissima eorumdem locorum inspectione. 1) Qui enim habet claves regni, omnia et omnes ligare et solvere potest, atque idcirco qui subiectum est unicum potestatis supremae atque universalis in Ecclesia, omnesque tam singillatim quam coniunctim spectatos immediate regit... quae propria profecto sunt potestatis supremae in societate, is gaudet potestate monarchica. — Ad potestatem porro ligandi et solvendi omnia et quoad omnes spectat, ut *actus subditi*, si ea velit, nil legitime valeat: hac proinde existente iam in antecessum irritum est atque inane quidquid fiat dissentiente eo, qui in societatem universam illa potitur. — 2.) Eadem valet ratiocinatio quoad Ioan. locum. Ipsi enim Rom. Pontifici ibi in b. Petro committitur pascendus *totus grex Christi*, tum singulae oves et agni: committitur autem pascendus seu regendus potestate regia monarchica, seu absoluta prorsus atque independenti. Atqui his omnibus contrarium est systema Febroni a) negantis in Ecclesia esse statum, illumque monarchicum : b) inficiantis Primatum affixum

esse Romane Sedi ex iure divino c) atque affirmantis eumdem Primatum esse merae consociationis, inspectionis, directionis, non verae ac proprie dictae iurisdictionis. E.

§. 14. *Ad n.' III. Perperam eumdem Febronium et Gallicanos inferiorem Concilio generali Romanum Pontificem idest Petrum fecisse, quem scilicet Christus toti Apostolorum Collegio praesenti atque adstanti praetulit, eiusmodi tam disertae Christi voluntati opponentes litigiosam imo reprobatam, ipsorumque auctorum sententia dubiam pseudocanonum auctoritatem sessionis 4ae et 5ae Concilii Constantiensis: quodque inde sequitur perperam eosdem denegasse Romano Pontifici in rebus fidei, atque morum infallibilitatem, quandoquidem et fundamenti qualitas, quae Petro in praedictis locis asseritur, postulat, ut doctrinam immobiliter certam fidelibus praebeat, et plena illa ac perfecta potestas adeoque etiam quoad intellectum per rectam fidem pascendum omnino exigit ut cum infallibilitate sit coniuncta, quia sine illa plane evanesceret, omnique vi ac iure destituceretur fidelium intellectus sibi subiiciendi.*

In hoc Corollario duae praecipuae propositiones deducuntur ex supra fidei statuta doctrina contra 2m et 4m articulos gallicanos; in 1. scil reprobatur majoritas concilii oecumenici supra Romanum Pontificem eiusque futilis probatio ex pseudocanonibus Constantiensibus: in 2. reprobatur gallicana doctrina de errantia Rom. Pontificis atque ad huius infallibilitatem adstruendam duplex praecipua ratio affertur, quae omnia sic breviter et ordinate evolvemus.

Prop. 1. Romanus Pontifex superior est Conciliis etiam oecumenicis, atque adeo falso nituntur Gallicani auctoritate pseudocanonum Concili Constantiensis, sess. 4. et 5.

Decl. prop. Usque ad magni occidentalis schismatis tempora dubitatum numquam fuit Rom. Pontificem Conciliis oecumenicis esse superiorem; nullus enim aut Patrum aut Theologorum afferri potest, qui vel latum quidem unguem a doctrina catholica discesserit qua asserebatur Rom. Pontificem indubitatum, cuius electio certo legitima fuit, aut qui saltem postea ab universali Ecclesia absque notabili aut probabili contradictione receptus fuit, supremam habere in Ecclesiam Dei auctoritatem ita ut a Conciliis etiam oecumenicis iudicari non possit, aut deponi, aut suspendi quamcumque ob causam. Ast ecce initio saec. XV, Gregorio XII, Ioanne XXIII et Benedicto XII., uno eodemque tempore de Papatu contendentibus, quidam insurrexerunt nebulones, qui toti retroantiquitati ignotam doctrinam in Ecclesiam Latinam inveherent affirmantes Rom. Pontificem etsi legitimum se solo fallibilem esse atque oecumenico Concilio inferiorem. Quae falsa doctrina numquam praevalere potuit, eam tum Romanis Pontificibus proscribentibus praesertim Eugenio IV. in Concilio Florentino et Leone X. in Concilio Lateranensi, nec non innumeris catholicis scriptoribus. Imo usque ad annum 1682 cum infesta Cleri gallicani conventus declaratio prodiit; nullibi hac de re apertiora atque fortiora testimonia edita fuere, quam in ipsa Gallia adeo ut mirum omnibus merito videri debeat *non solum quod* magnus Bossuet asserere ausus sit in sua defensione Decl. Cleri gallic. p. II l. X. c. XIX. « Nihil obstare quo minus illam sententiam, quae adstruit supremam et infallibilem Rom. Pontificis auctoritatem, sit haeretica; et quod qui eam propugnant an haeresi se satis purgatos putent, ipsorum sit videre ; a nota gravi certe immunem esse non posse »; sed etiam quod ad 35 sacri anti-

stites Galli foetulentae subscripserint Declarationi. Adeo in praeceps aulicismus atque studium partium proruit sublimia ingenia ut non modo sanam theologiam sed ipsam Catholicam fidem negligerent, contra quam falsissimum per plures annos Gallicanorum systema seu libertates, matrem suam dilaniantes, tuiti sunt !

Paucis Gallicanorum systema huc reducitur « Volunt Gallicani supremam Ecclesiae potestatem tamquam in proprio subiecto residere in toto Corpore Pastorum sive in Oecumenicum Concilium coalescentium, sive dispersorum, quorum omnium universitatis, vel saltem maioris partis suffragia legem irreformabilem condere valent: Romanus Pontifex habet quidem potestatem in universa Ecclesia, non vero in universam Ecclesiam h. e. in particulares tantum ecclesias singillatim sumptas, non in totam universalem collective acceptam, cuiusmodi in oecumenicis Conciliis repraesentatur, quae e contrario superior est Papa. Poterit quidem Papa convocare Concilia oecumenica, eis praesidere atque ea confirmare: sed in hac praesidentia et confirmatione ipse potiores partes potestatis tamquam Caput non habet, praesidet ut rite et more iuxta canones omnia fiant, atque in definitionibus praebet suffragium paris valoris ac suffragium cuiuslibet Episcopi, confirmat non ut addat robur decretis Conciliaribus sed ut authentice declaret synodum fuisse rite celebratam. Unde tria ceu dogmata tenenda. a) Concilii oecumenici decreto parendum esse ab omnibus et a Rom. Pontifice; etsi hic fuisset ante decretum in alia sententia prorsus, etsi noluisset tale decretum; atque ita Rom. Pontificem esse inferiorem Concilio oecumenico tamquam subiecto unico supremae potestatis in Ecclesia: hinc *b*) a concilio oecumenico rite convocato et celebrato tamquam a suprema potestate Romanus Pontifex potest emendari et iudicari ad quamcumque, etiam depositionis, poenam. Imo c) non solum cum Papa sit omnino dubius, sed etiam certus, cum non bene se gerat, universitas Pastorum seipsam cogere potest in Synodum auctoritate propria tamquam in casu extraordinario Cf. Bossuet in Def. Cleri Gallic. Porro Gallicani se tuebantur auctoritate Concilii Constantiensis Decreto sess- 4.ae quod sic habet « Et primo declarat quod ipsa S. Synodus in Spiritu S. congregata legitime generale Concilium faciens Ecclesiam militantem repraesentans potestatem a Christo immediate habet, cui cuilibet tenetur in iis quae pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis; cui decreto in sess. 5 addita sunt haec verba. » Et reformationem generalem Ecclesiae Dei in capite et in membris. » Decretum porro Sess. 5.ae erat. « Idem declarat quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi populis, qui mandatis aut praeceptis huius S. Synodi, et cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati super praemissis seu ad ea spectantibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit condignae poenitentiae subiiciatur et debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. »

Sed contra est: quod tum doctrina ipsa proscripta fuit, tum hi duo canones Constantienses absolute intellecti reprobati sunt. *a*) *Ipsa doctrina* Nam in Conc. Later. V. Leo X. sess. 21, decernit solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius et potestatem habere nedum ex SS. Scripturae testimonio, dictis SS. Patrum ac aliorum Ro-

manorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum sacrorumque canonum decretis ; sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat. »

Adde ceteras inter hac de re damnatas propos. ab Alex. VIII. 29. « Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis romani supra Concilium oecumen. auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate. »

Conc. Vatic. sess. 4, c. 3. « Et quoniam divini Apostolici Primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus eum esse iudicem supremum fidelium et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri ; *Sedis vero Apostolicae cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant qui affirmant licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.* »

Insuper ipsi canones Constantienses absolute intellecti reprobati fuerunt. Absolute eos receperunt Basileenses, cum sess. 32.ª tres propositiones asseruerunt : 1. Veritas de potestate Concilii generalis universalem Ecclesiam repraesentantis supra Papam. . est veritas fidei Catholicae. 2. Veritas quod eiusmodi concilium nullatenus potest auctoritas aut transferri... est veritas fidei. 3. Veritatibus duabus praedictis pertinaciter repugnans est vere censendus haereticus. » Qui profecto Basileenses absolute constituebant auctoritatem Concil. gener. supra Papam etiam certum. Iamvero Eugenius IV. *Constit. Moyses* data Florentiae sess. publica synodali solemniter in S. Mariae Novellae Eccl. anno 1439 pridie nonas Septemb. celebrata, ipso S. approbante Concilio damnavit et reprobavit ac damnatas et reprobatas nuntiavit eas ipsas propositiones iuxta pravum ipsorum Basileensium intellectum.

Hinc propos nostra de fide est contra Gallicanos damn. in Vaticano Concilio.

Prob. 1. pars. Petrus et hinc Romanus Pontifex ideo obtinet potestatem supra Ecclesiam quia est Petra fundamentalis — habet claves regni coelorum — plena fruitur potestate ligandi atque solvendi — quia debet confirmare fratres contra omnes Satanae incursus — quia denique est totius ovilis Christi Vicarius. Sed vi horum titulorum habet potestatem non modo in Ecclesia partiales dispersas sed in universam Ecclesiam ac proinde in Oecum. Concil. Ergo.

Ad min. Quia terminus quem respicit fundamentum, claves Regni, Pastor ovilis, confirmator fratrum est totum aedificium, totum regnum, ovile integrum, omnes fratres qui distinguuntur a Petro, et quidem hic terminus respicitur primo et per se quatenus sunt unum aedificium, regnum, ovile : et dein singuli. Sane *d)* haec est illa Ecclesia quae dicitur mea seu Christi, quae refert rationem aedificii in petra fundati, quae intelligitur, cum absolute pronuntiatur, contra quam portas inferi non esse absolute praevalituras Chr. promisit : *e)* eadem tota et universalis est in parabolis maxime Mth. : et sicut claves regni in omnes urbes collective sumptas traduntur, ita similiter de Eccl. : *f)* Tota universalis Ecclesia est quae maxime confirmari debet, quippe quae ea est, quam Satanas cribrare expetit, et prout distinguitur a Petro. *g)*

Absurdum denique est dicere pastorem debere curare de ovibus seorsim sumptis non de grege simul.

Insuper potestas convocandi concilia, convocatis praesidendi, facultas praescribendi normam in conciliis definiendis vel irritandi acta conciliaria, contraria probandi et roborandi constituunt veram superioritatem iurisdictionis in Concilia. Sed eiusmodi potestas competit RR. Pontificibus ut ex actis CC. Chalcedonensis et Ephesini patet.

Cf. quae diximus in Institut. canonicis l. 1, de Personis tit. XXIV, ubi inter requisita ad legitimitatem Conciliorum oecumenicorum breviter etiam historice indicavimus praecipuum esse ut ipsa a competente auctoritate convocentur et confirmentur, eisque praesideat competens auctoritas quae nonnisi R. Pontificis potestas semper fuit. — Imo si quis attente legat Conciliorum acta et generatim quae antecesserunt, comitata et subsecuta sunt ad quodlibet Concilium, certo reperiet ipsa concilia vel expresse vel exercite supra se superioritatem Romani Pontificis semper agnovisse. Ut pauca Concilia commemorem.

I) *ad Concil. Ephesinum oecumen.* III^{m} quod spectat, ex iis quae praecesserunt revocanda memoriae est S. Cyrilli Alex. epistola ad Coelestinum Papam, qua Nestorii narrantur impietas et blasphemiae, queis iste contra veram fidem in toto Oriente ingentem excitaverat procellam: narratur a Cyrillo omnes Orientis Episcopos idem sentire cum ipso Cyrillo, et tandem ab eodem Cyrillo imploratur auctoritas ipsius Coelestini « *Non prius autem, ait, illius communionem palam aperteque deserimus quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias praescribere; quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare qui eiusmodi erroneam doctrinam* (Nestorii) *foveat ac praedicat.* Concil. Ephes. part. I, c. 14 Tom. 3. p. 340 seqq. Qualis esset sententia Cyrill. circa auctoritatem R. Pontifici in negotiis fidei explicat ipse in Thesauris de cons. etc. lib. I, c. 21, n. 4. Ed Colon. 1648 pag. 334 « *Oportet nos tamquam membra adhaerere capiti nostro, Romano Pontifici, et throno Apostolico; ex quo nostrum est quaerere quid credendum, quid sentiendum, et quid tenendum sit, solius enim illius est reprehendere, corrigere, increpare, determinare, disponere, solvere et ligare.* — Et quamvis Evagrius testetur Rom. Pficem in huius synodi convocatione praeventum fuisse ab Imperatore, tamen certum est quod Caelestinus suam consensionem ei adiunxit ut S. Prosper in chronicis *hanc synodum Cyrill. industria et Caelestini auctoritate factam esse scribat.* Ipse Evagrius l. 1, c. 4 ait *Cyrillo Synodum disponente, et locum Caelestini veteris Romae Episcopi obtinente.* Dum epistolae Caelestini recitatae sunt in Concil. quibus respondit Firminus Epus quod « *revera Coelestinus etiam ante de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit, quam nos quoque secuti... formam illam exeutioni mandavimus, canonicum Apostolicumque iudicium in illum proferentes* ». Porro quis hic non teneat supremam auctoritatem Caelestini, qui praescripserat formam iudicii de causa Nestorii, quam formam Concilium esse secutum et executioni mandasse Firminus nomine ipsius concilii profitetur. Et hoc iussum erat a Coeletino legatis suis *ut quae a nobis autem statuta sunt, exequantur.* Postea ad Caelestinum mittitur epistola synodica ubi narrant Patres quae gesta hactenus scil. usque ad actionem V. Cetera inter certiorem faciunt Coelestinum quod confirmaverint eius decreta contra Pelagianos et Coelestianos. Quae profecto confirmatio intelligenda prorsus est sensu quo postea Leo M. ad Patres Chalcedonenses scribens ep. 93 ait

« *quae nostro prius ministerio definiverat Deus, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu* (1).

Neque huic Synodo deest R. Pficis confirmatio quamvis quoad ea quae de fide et de Nestorii persona decreta fuerunt, opus non esset expressa confirmatione cum decreta essent secundum rem iudicatam cf. Muzzarelli De auctoritate R. Pontificis in conciliis general· heic §. VII: Ipse R. P. Caelestinus quoad deiectionem Nestorii sic laudat Concilii Pates « *Cnius rei tam fideliter peractae vos executores nobiscum videmus fidei defensores.* Concilior. l. cit. pag. 1069.

Quoad Concilium Chalcedonense Imperator a Leone M. petit oecumenicam Synodum; et dum ei scribens id rogando agnoscit eum uti *possidentem principatum in episcopatu divinae fidei, quatenus ait* (tom. 4, Concil. p. 62), *omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei catholicae fiat ab omni scelere pura et immaculata consistens.* Annuit Leo ep. 42 et 43 convocationi Synodi, insistens ne tamquam reparata disceptatione tractandum sit utrum Eutyches impie senserit, et utrum impie Dioscorus iudicarit. Non cuiusmodi sit fides tenenda, tractandum est, sed precibus resipiscentium qualiter annuendum. Extat epistola Leonis ad Concilium chalcedonense, in qua laudet Imperatorem quod voluerit conventum *congregare Beatissimi Petri Apostoli Sedi iure atque honore servato.* Tum monet se misisse Paschasinum et Lucentium Episcopos, Bonifacium et Basilium presbyteros *per quos ait me a Synodo vestrae, Fraternitas praesidere existimet:* et rogat ne sinant contra fidem divinitus inspiratam disputare quam *plenissime* et *lucidissime* in suis literis ad Flavianum declaraverat Concil. Tom. 4 pag. 71. Ergo Concil. Chalcedonense convocatum et celebratum fuit auctoritate Rom. Pontificis. Notandum porro solemne testimonium legatorum Rom. Pontificis *adversus Dioscorum* editum in actionem 1ª huius Chalcedonensis Synodi, eo quod Concilium (quod Ephesinum Conciliabu-

(1) Adversarii dicunt si confirmavit Concil. eiusmodi decreta, hoc indicium est, quod dicta decreta egebant confirmatione ut obligarent *Resp. Nego prorsus:* Quod si examen decretorum contra Pelagianos susceptum sit a Patribus Ephesinis, illud fuit comprobativum non dubitativum. Non latebat enim Ephesinos Patres fides universae Ecclesiae quoad regulam fidei quae est Romana sede: ab Augustino praecise contra Pelagium et Caelestium explicatam « l. 4, ad Bonifac. c. 8. *Iam de hac causa, ait, duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt.* Causa finita est; utinam aliquando finiatur et error, Et l. 2. oper. extrem. advers. Iul. n. 103. Quid adhuc quaeris examen, inquit, *quod iam apud Apostolicam Sedes iam factum est?* Quod denique iam factum est in episcopali *iudicio Palaestino? Ergo haeresis* (Pelagiana) *ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus christianis.* Et l. 4 ad Bonif. c. ult. deridens Pelagianos oecumenicum synodum flagitantes addit « cum multae et incomparabiliter plures haereses sine synodi congregatione damnate sint: et post factum illis competens sufficiensque iudicium ubicumque lupi isti apparuerint, conterendi sunt.

Quam praxim testatur et S. Prosper in chron. ad ann. 418 Concil. apud Chartaginem habito 224 et amplius episcoporum ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt, quibus probatis per totum mundum haeresis pelagiana damnata est.

lum fuit,) absque Romanae Sedis auctoritate convocasset his nimirum verbis ab iisdem legatis, nemine refragante, probatis *Quod numquam factum fuit, mumquam licuit.* Dixi *nemine refragante:* adeo commune erat, certum, et notum omnibus nullam Synodum legitimam subsistere posse absque auctoritate Sedis Apostolicae; Praerogativae insignes a Patribus Chalcedonensibus tribuuntur Rom. Pontifici Leoni in relatione Concilii ad ipsum. Inter cetera fatentur se ita subditos Romano Pontifici ut nonnisi per praesumptionem eius consensus, imo eius inchoationis de hoc negotio, ad huiusmodi constituta non accessissent, ed 630 Episcopi in concilio oecum. congregati vocant Rom. Pontificem suum Patrem, Caput, et Summitatem, cui filiorum obsequia exhibent et preces exponunt — Adest confirmatio R. Pontificis cum S. Leo rescripsit ad Synodum se toto complexum esse definitiones ab ea factas ad confirmationem fidei. Et ne, ait, per malignos interpretes dubitabile videatur utrum approbaverit, quae a Concilio unanimiter statuta sunt significat se eamdem epistolam ad omnes Episcopos direxisse qui Concilio interfuerant « Ut omnes fideles cognoscant me non solum per fratres qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet fidei causa (quod saepe dicendum est) propter quam generale concilium et ex praecepto Christianorum Principum et ex consensu Apostolicae Sedis, placuit congregari. In altera parte epistolae reprobat quod statutum fuerat de primatu Ecclesiae Cpolitanae suis legatis contradicentibus declarans infirmum atque irritum fore quidquid a Nicaenorum Patrum canonibus discreparit. Et scribens de hoc negotio ad Augustam Pulcheriam definitivam sententiam his exprimit verbis consensiones vero Episcoporum sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes . . . in irritum mittimus et per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus » Unde facessere non possunt negotium ullum verba Leonis (ut obiicit Bossuet) epist. 93 Ad Concil. Chalcedon. et ep. ad Theodor. « *quae nostro prius ministerio definierat Deus, universae fraternitatis irretractabili firmavit assensu:* ubi praedicatum *irretractabili* Leo tribuit non doctrinae ab Episcopis traditae, sed eorum assensui, quod tunc assensus est irretractabilis cum doctrina, cui adhaeret mens, iam est ex se irrefragabilis, ideo scil. irretractabili firmanda assensu, quia est in se irretractabilis h. e. non amplius tamquam dubia tractanda; eam definivit Deus.

Neque VII. *Concili oecumen. i. e. Nicaeni II.* verba actionis VI praetereantur, quibus reiicitur Icommachorum concilium hac de causa, QUIA NON HABUIT COOPERANTEM ILLIUS TEMPORIS PAPAM, vel sacerdotes eius, neque per legatos, neque per encyclic. epistolam ut POSTULAT LEX CONCILIORUM. Ergo Concil. Nicaen. II.^{m} persuasum erat de superioritate R. Pontificis supra Concilia.

Idem quoque liquet de Octavo Concilio oecum. ex epistol. Adriani I ad Basilium Imperatorem ..

Sed veniamus praesertim ad ultima oecumenica Concil. scil Florentinum, Lateranense V, Tridentinum et Vaticanum, in quibus magis magisque patet R. Pontificis suprema potestas etiam in Concilio oecumenico. — In Concilio Florentino definitum est R. Pontifici in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. Ch. PLENAM POTESTATEM traditam esse. » Sed plena potestas profecto tradita non esset si Concilio oecumenico subiicere-

tur. Et ut haec definitio circa plenam R. Pontificis potestatem in universam Ecclesiam magis confirmaretur et fontes resignarentur, ex quibus exemplum huius Pontificiae potestatis petebatur, addunt. « *Quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.* »

Venit Concil. Lateran. V. ubi Leo X constitutionem edidit sacro approbante Concilio, in qua haec leguntur CUM SOLUM R. PONTIFICEM PRO TEMPORE EXISTENTEM TAMQUAM AUCTORITATEM SUPER OMNIA CONCILIA HABENTEM CONCILIORUM INDICENDORUM, TRANSFERENDORUM, AC DISSOLVENDORUM PLENUM IUS et potestatem habere, nedum ex S. scripturae testimonio, dictis SS. Petrum, ac ALIORUM ROMANORUM PONTIFICUM ETIAM PRAEDECESSORUM NOSTRORUM, SACRORUMQUE CANONUM DECRETIS, SED PROPRIA EORUM ETIAM CONCILIORUM CONFESSIONE manifeste constat. Praelecta fuit concilii Patribus haec constitutio quaesitunque num patribus haec placerent. Et omnibus placuerunt simpliciter (inquiunt Acta).

Concilium Tridentinum convocatum est a Paolo Tertio constit. *Initio nostri* XI Kal. Iun. 1542 qua illud indicitur omnibus Patriarchis. Translatum fuit Bononiam post session. VIII auctoritate eiusdem Pauli III ut costat ex ipsa sess VIII. Per praeceptum Iulii III resumpta postea fuit Concilii celebratio in civitate Tridenti: et bulla resumptionis ait ille ad eum et summos pro tempore Pontifices spectare generalia Concilia indicere, et dirigere — Praefuerunt autem semper Pontificum legati varii ut patet ex singulis sessionibus, quae omnes fere sic incipiunt *Sacros. Trid. Synodus in Spiritu S legitime congregata, in ea praesidentibus Apostolicae Sedis legatis.* — In ipsa celebratione vocatur *Romana Ecclesia mater* et *magistra omnium aliarum Ecclesiarum;* et ad ipsam utpote Matrem et magistram provocant Patres Tridentini simul congregati ut in sess. XIV c. 3. Sess. XXII. c. 8.; Sess. XXV Decret. 2. Sed si Rom. Ecclesia declaratur omnium aliarum Ecclesiarum mater, quomodo mater nisi per Petrum *a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit* ut scribit S. Innoc. I ad Synod. Chartaginensis? utique mater et genitrix in Petro *qui fundavit Rom. Ecclesiam et a qua per auctoritatem Petri veluti de natali suo fonte aquae cunctae procedunt et per diversas totius mundi regiones puri capitis incorruptae manant* » ut subdit idem S. Innocent. — *Mater* et magistra dicit quod ipsa sit vinculum et centrum totius unitatis catholicae — Quidquid ll. cc. Concilii Tridentini praedicatur de Romana Ecclesia intelligendum esse patet de Romano Pontifice. Sed et de auctoritate Romani Pontificis in particulari enunciavit Tridentinum quod ea sit suprema in Ecclesia, ubi decernit quod R. Pontifex suae supremae Sedis auctoritate possit in absentes episcopos animadvertere Sess. VI de Ref c. 1; ubi docet quod merito Pontifices maximi pro suprema auctoritate sibi in universa Ecclesia tradita causas aliquas criminales graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare Sess, XIV c. 7. At si auctoritas R. Pontificis est suprema, non habet ergo supra se aliam potestatem; alias potestas Pontificis non esset suprema, sed subordinata: potestas suprema et potestas subdita implicat — Et sess. 25 c. 21 cum Concilium dicit Postremo *S. Synodus omnia et singula sub quibuscumque clausulis et verbis quae de morum reformatione... in hoc S. Concilio statuta sunt declarat ita decreta fuisse ut in his salva semper Sedis Apostolicae auctoritas et sit et esse inteligatur* « quibus profecto declaretur implicite nullum ipsi praeindicium inferri supremis iuri-

bus ex Tridentini decretis... » Confirmatum tandem fuit Concil. Trident. a Pio IV. Acta est haec confirmatio ex postulatione ipsius concili et commemoratur ab eod. Pio IV in bulla confirmationis factum fuisse *a S. Synodo pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam conciliorum vestigiis inhaerendo.* Idem Pius IV. ad observanda decreta S. Oecum. Concilii Tridentini docet « Ad SS.m Conciliorum decreta ac canones *auctoritas ac confirmatio Apostol. Sedis et debet et solet accedere,* et quod *si qua super eis exorta sit dubitatio, eiusdem Sedis iudicio et declaratione tollenda est.*

Tandem ut concludamus si ad Concilia a) appellari non potest a Papa, sed potius ab iis b) ad Papam appellatum fuit.. cum *iudex ad quem* superior sit *iudice a quo* appellatur: sequitur R. Pontificem esse superiorem Concilis. Anteced. I.m constat ex Pii II Constit. *Execrabilis* et Iulii II. Constit. *suscepti.* Audiatur Nicolaus I. ad 1m et IIm prob. in Act. I. Concil. Constant. ait Nicolaus apud Scheltr. dissert. 3. C. 4. « Cum secundum canones ubi est maior auctoritas iudicium inferiorum sit defendendum ad dissolvendum, scil. vel roborandum, patet profecto Sedis apostolicae, cuius auctoritate maior non est IUDICIUM A NEMINE FORE RETRACTANDUM, neque cuiquam DE EIUS LICEAT IUDICARE IUDICIO: si quidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus. Iuxta quod et Bonifacius atque Gelasius SSmi Praesules, non suis adinventionibus sed Ecclesiae romanae consuetudines non ignorantes dicunt. — Ad IIm a conciliis contra ad S. Sedem appellatum esse testatur Liberatus Brev. c. 12 de Flaviano a Concilio II Ephesino suis verbis *Flavianum autem contra se prolata sententia per eius legatos Sedem Apostolicam appellavit libello*; ab eodemque concilio ad S. Sedem appellasse Theodoretum patet ex eius ad Leonem epistolae verbis « Ego autem Apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam, et supplico et obsecro vestram sanctitatem ut MIHI APPELLANTI IUSTUM VESTRUM ET RECTUM IUDICIUM opem ferat.. — Quin imo sententiam eorum qui tenent ad Concil. generale posse appellari a R. Pontifice *haereticam esse* dixit s. Antoninus Archiepis. Florent. sic *sed* nec ad Concilium generale a Papa appellari potest: quia Papa omni Concilio superior est.. *Sentire ergo quod ad Concil. a Papa appellari possit, est haereticum.* Sic plures alii DD. — Quae horum DD. sententia magis patet per

CONCILIUM VATICANUM legitimum convocatione, celebratione et approbatione Pii IX an. 1869-70 lamvero hoc Concil. Sess. IV *Constitut, de Ecclesia* c. 3 §. 2 ait, « Docemus proinde et declaramus Ecclesiam Romanam disponente Dno super omnes alias ordinariae potestatis obtinere PRINCIPATUM et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est immediatam esse: erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli, QUAM SIMUL OMNES, officio *hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur* non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent, ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesiae Christi sit unus grex SUB UNO SUMMO PASTORE. Haec est Catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. »

In §. 5. Et quoniam, ait, divino Apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus eum esse iudicem

supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri, Sedis vero Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. QUARE A RECTO VERITATIS TRAMITE ABERRANT, QUI AFFIRMANT LICERE AB IUDICIIS ROMANORUM PONTIFICUM AD OECUMENICUM CONCILIUM TAMQUAM AD AUCTORITATEM R. PONTIFICE SUPERIOREM APPELLARE.

Prob. 2. p. « *Falso ac perperam Gallicani et Febronius ad hanc tuendam doctrinam circa potestatem Rom. Pontificis ad decreta Constantientia provocarunt.* » Nam praeter dicta haec facere possunt. 1. Martinus V, ea decreta absolute intellecta reiecit. Nam cum hic non acquievisset Polonorum quibusdam postulationibus, cumque adeo appellarent hi ad futurum Concil. generale, Martinus in sua Constit. ad perpetuam rei memoriam facta et promulgata in Concistorio generali celebrato Constantiae VI idus Martii, Pontificatus sui an I. decrevit quod nulli fas est a supremo iudice videlicet Apostolica Sede seu Rom. Pontifice Iesu Christi Vicario in terris appellare aut illius iudicium in causis fidei declinare » quod decretum testatur et impugnat Ioan. Gerson in suo tractatu *Quomodo* et an liceat a Summo Pontifici appellare. Ideo porro impugnat quia videt illud esse contrarium decreto Constantiensi.

Idem Martinus V. 8 Kalendas Martii Constantiae edidit decretum *in Eminenti* confirmando res in Conc. Constantiensi decretas: Sed in eo solum, definitiones, reprobationes, mandata, condemnationes.... confirmantur Latae contra Ioan. Wickleffum, Ioan. Hus, et Hieronymi de Praga a Io. XXIII. in Concil. rom. ad quod Patres quoque Constantienses provocaverint et statuta Constantiensis Concil. contra prop. Wickleffi et Hus atque errorem Boehmorum circa communionem sub utraque specie.

Decretum sess. IV ad solum tempus illius schismatis refertur ut regula statueretur pro eo schismate tollendo (etsi possit intelligi pro tempore quoque sequenti cum in paribus conditionibus Ecclesia versaretur) Nonne sermo ibi de synodo constantiensi et de extirpatione illius determinati schismatis (Haec S. synodus Constantiensis, generale concilium faciens, Eccl. Catholicam militantem repraesentans, potestatem a Christo immediate), et dicitur ei obediendum in iis quae pertinent ad extirpationem dicti schismatis. Qui ergo etiamsi Papa sit, obedire debet, est Papa huius temporis scil. dubius. Tribus enim eodem tempore contendentibus de Papatu, cum ius pro nullo liqueret, aliud remedium non restabat Ecclesiae quam consequens ex lege naturali divina. Ex lege enim naturae quaelibet societas in talibus adiunctis habet ius sibi consulendi: quod vero in societatibus naturalibus praestat simplex ius naturae in societate supernaturali positivae institutionis confertur a iure divino prospicere scil. electioni supremi Pastoris. Porro nisi illi dubii Papae obedirent huic Concil. schisma non potuisset auferri.

Dictum est ibi in iis quae pertinent ad fidem obedire debere quemlibet etiam Papam ut securius pervenirent ad depositionem contendentium de Papatu. Sicut enim in Concilio Pisano quo securius pervenirent ad depositionem contendentium de Papatu, quoniam in iure cautum erat Papam haereticum iudicari ab Ecclesia posse, statuerunt haereticum quoque esse qui facto vel opere suo adversaretur dogma. Sed dogma fidei est, unitas Ecclesiae quam duo Pontifices scindebant.

Prop. 2.a Est divinitus revelatum dogma in Vaticano Concilio definitum Rom. Pontificem cum ex cathedra loquitur i. e. cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit per assistentiam divinam ipsi in B. Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit: ideoque eiusmodi Rom. Pontificis definitiones ex sese non autem ex consensu Ecclesia irreformabiles esse.

Decl. 1.o Distingue inter infallibilitatem passivam Ecclesiae et eam quae competit magisterio : illa prius est intenta a Deo quam posterior, et est vera infallibilitas secundum essentiam eo quod professio fidei totius Eccl. immunis sit ab errore ob assistentiam Spiritus S. Si vero ratio habeatur causae efficientis illam infallibilitatem, prior est infallibilitas magisterii quam totius coetus : hoc enim est principium efficax — Quaestio est de subiecto infallibilitatis magisterii. 2.o In verbis prop, quae est Vatic, Conc. continetur I. *formalis ratio* sub qua Rom. Pontif. dicitur infallibilis scil. cum fungitur munere Doctoris et Pastoris omnium Chnor. pro suprema sua auctoritate apostolica doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit; atque declaratur quid sit tandem *loqui ex cathedra* scil. ut a) Pontifex loquatur tamquam Doctor et Pastor supremus : b) ut doceat in rebus de fide vel moribus : c) ut definitivam sententiam ferat cum intentione manifestata obligandi: d) ut ad consensum obliget universam Ecclesiam. Cathedra formaliter est auctoritas docendi: ergo Romanus Pontifex loquitur ex cathedra utique sua (non omnium Eporum cathedra sive consensu) cum ex auctoritate Primatus Ecclesiam docet.

II. In verbis Vatic. Conc. continetur *causa infallibilitatis* nempe assistentia Spiritus S. a Christo promissa.

III. *Extensio infallibilitatis Pontificis* h. e. ipsam eo se porrigere quo porrigitur infallibilitas Ecclesiae.

IV. *Intrinseca vis Pontificiae definitionis,* quae nempe ex sese sunt infallibiles et irreformabiles, non ex consensu praevertente, aut concomitante aut subsequente Ecclesiae.

3.o Tandem animadverte quod cum sit Ecclesia Christi regnum veritatis et non possit suprema auctoritas sub poena damnationis aeternae exigere assensum intellectualem populi christiani, idque nomine Dei, quod proponitur ad agendum et credendum debet esse omnino verum atque honestum, atque proin ubi suprema auctoritas regendi Christifideles, ibi suprema auctoritas docendi.

Prob. I *Ex SS. Script. 1.o Mth. XVI.* Petrus ratione Primatus erat infallibilis : ergo et Pontifex Romanus. Nam heic factus est Petra Eccl: i. e. principium unitatis et stabilitatis ipsius : ergo petra fidei Ecclesiae. Est enim petra fidei Ecclesiae quia formaliter prout Ecclesia societas est credentium. Sed nequit esse petra fidei nisi per fidem veram ; fides enim totius Christi Ecclesiae vera est, ergo et fides Petri, cuius fides iuxta PP. et Scripturas est soliditas, immobilitas, firmitas fidei Ecclesiae. Unde sic

1. Fides Ecclesiae firma non est sine fide Petri : 2. fides proinde Petri est ex se firma : 3. Non est maior firmitas in fide Ecclesiae, quam in fide Petri. Sed fides labilis, deficiens, non est fides firma. Ergo Petrus prout est petra h.

e. prout refertur ad Ecclesiam sibi innixam infallibilis est; ergo prout est caput Ecclesiae. Atqui illa verba in sua intentione et extensione diriguntur et ad omnes successores Petri. Et re quidem vera portae inferi numquam praevalebunt seu inferni aggressiones et arma, quae sunt potissimum schismata atque haereses, ideo quia fundata est supra Petram petraeque fidem. Ergo ista fides Petri, cui innititur, durare quousque Ecclesia durat seu durare debet fides Petri in suis successoribus i. e. Romanis Pfic. Porro fides Ecclesiae contra haereses pendet a firmitate fidei Petrae, quae ex se firma est nec minus firma esse potest, quam ipsa Ecclesia. Ergo R. Pontifex qui est eiusmodi Petra et infallibilis etc.... est ex sese infallibilis. Dixi *ex sese infallibilis*. Consensus enim Ecclesiae sive Eporum vel antecedens (qui tamen posset aliquando esse obiectivum medium quo Pontifex perveniat in doctrinam ut definibilem) aut concomitans, sive consequens, nullo modo est necessarius per modum iudicii authentici concurrentis cum iudicio seu definitione Pontificis. Gallicana sententia hunc consensum Ecclesiae postulans velut necessarium ad infallibilitatem definitionum Pontificis ita ut subiectum unicum infallibilitatis esset Eccl. corpus docentis, Pontifex nempe cum Epis. iam haeresis est directe et explicite damnata a Concil. Vatic.

2.ª *Est Io. c. XXI.* Petrus et quilibet eius successor constitutus l. c. a Christo Pastor supremus universalis immediatus omnium fidelium quotquot ad Eccl. spectant et sunt agni et oves Christi, fideles scil. et Epi. omnes qui contradistinguuntur a Petro tum singillatim tum collective sumpti. Sed universa Eccl. pascenda est verbo quoque doctrinae, quae authentice proponatur: ergo munus pastoris Ecclesiae est etiam authentice docere, cuius magisterium universa Ecclesia sequi tenetur, quodque proin est universale et supremum: sed magisterium huiusmodi infallibile esse debet. — Habet porro Rom. Pontifex ius et officium pascendi immediate a Christo et prorsus independenter ab Ecclesia, quae pascenda ab ipso est, non pascit eum; actus proin quae potestatis valorem habent independenter a consensu Ecclesiae, ergo et eius magisterium vim obligandi habet universam Ecclesiam atque citra huius consensum est irrefragabile.

II. *Ex traditione* sufficit indicasse 1.º ius perpetuum et praxim iuri conformem viguisse, ut causae fidei ad Sedem Apostolicam deferrentur: 2.º Concilia oecum. confirmata semper vel antecedenter vel consequenter fuisse ab Apostolica Sede. 3.º Concil. oecum. VIII.m nil aliud probavit quam formulam Hormisdae Denzing. Enchir.

Ad n. IV et Coroll. IV. Contra autem retinendum esse Primatus Rom. Pontificis naturam eiusmodi esse, ut

a) Non sit tantum consociationis, ordinis et inspectionis meraeque directionis, sed verae proprieque dictae iurisdictionis». Vidimus supra quid Febronius sibi voluerit verbis *consociationis* et quae profecto non dicunt potestatem cogendi omnes, quoad omnia, seu legiferam iudiciariam coactivam in omnia quae spectant ad finem huius societatis obtinendum quaeque ad totius societatis regimen pertinent ita ut omnis quaecumque alia potestas ab ipso primate sit directe dependens: sed ad summum vix est potestas Praesidis in republica: Atqui ex probatione propositionis Rom. Pontifex habet ut subiectum unicum iurisdictionis i. e. potestatis legiferae; iudiciariae, coactivae, quae competat societati perfectae. — Febronius semper abhoruit a voce iuri-

sdictionis adhibens vocabul. *auctoritatis*. Sed e contra nos *iurisdictionis* nomen usurpabimus semper, cum ad supremam plenamque R. Pontificis potestatem in singulos et omnes Xfideles significandam usu ecclesiastico firmatum sit, cum verissimum sensum exprimat, cumque haereticis non placet.

b) Non sit potestas extraordinaria tum denique exserenda cum Epi suum officium deserant, vel ab eo deflectant sed omnino ordinaria ». Haec vox *ordinaria potestas* non eo sensu est quo in iure eccl. privato dicitur iurisdictio dignitati vel magistratui vel praefecturae ipso sive divino, sive humano iure adnexa est, quam quis proinde non vi specialis delegationis sed vi suae dignitatis suique officii exercet. Ast hoc sensu Febron. admittit: quam enim ipse exercet, sive ordinaria sive extraordinaria ea sit, vi sui officii semper exercet: negat porro quod sit ordinaria et *immediata* in omnes et quoad omnia, negat sc. curam totius ovilis X.i immediate ad R. P. pertinere, sed huius esse censet solum *praesidium et directorium universi* in eo positum quod R. Pontifex bonum unitatis curet advigilando, et dirigendo consilio non coactione, atque in casu negligentiae aut malitiae Eporum posse administrare, regere, iudicare, absolvere a peccatis . . . Et hoc casu excepto gaudet mediata auctoritate. At nos contra admittere ex fide cogimur.

c) Ut non sit potestas mediata per pastores seu Epos. exercenda in singulos sed plane immediata. — Per verba enim *Io. XXI.* X.us Dominus immediate subiectos fecit quotquot sive singillatim sive collective pertinent ad ovile Christi. — Sed declaranda est melius notio iurisdictionis *mediatae et immediatae*. *Mediata* in aliquos est, quae habetur in eorum immediate superiores, per quos veluti medios ipsa attingit eorum subditos: immediata vero iurisdictio in aliquos est, quae in ipsos tamquam in proprios fertur subditos absque ope alicuius interpositae potestatis. Unde patet, quod immediata iurisdictio possit quoad unum eumdemque populum vel subditum residere in pluribus, diversimode tamen et cum subordinatione, e. g. sit in uno *princeps* in aliis subordinata, etsi utraque immediata e. g. in rege *princeps* in gubernatoribus provinciarum subordinata. Porro sicut immediata iurisd. in suo genere non dicit eam posse omnes actus quibus subditi regantur e. g. in gubernatoribus, ita non exigit ut per seipsam ponat omnes actus ad regimen subditorum immediate necessarios. Exemplum est tum auctoritas regis tum gubernatorum provinciarum in regno quamvis rex possit omnes actus quoad regendos subditos: tamen non ponit immediate per se omnes actus necessarios ad subditos regendos. Pariter gubernatores non ferunt e. g. leges quamvis eas applicent, et tamen legislatio est actus necessarius ad subditorum regimen. Unde iurisdictio immediata spectari potest a) *generice* et est ea quae subditos actibus suis regit, non quatenus alios regit a quibus illi reguntur sed quatenus illos ut subditos proprios regit; b) *specifice* iurisdictio immediata eademque *princeps* in soc. est ea quae omnes ad societatem spectantes actibus suis regit ut proprios subditos absque ope intermediae auctoritatis, quaeque ex se iuridice potest omnes actus, qui requiruntur ut subditi bene regantur, x) dixi *iuridice*; quia aliud est posse omnes actus *physice* aliud posse omnes actus *iuridice*. Iuridice quidem potest omnes actus iurisdictione immediata princeps ita ut semper validi sint cum ponuntur: *physice* vero alios potest princeps per seipsum, alios per delegatos suos, imo praesertim si societas ampla sit, impossibile est ut ponat omnes actus

quoad omnes. Unde d) cum princeps supremus dicatur superior magis *mediatus* et alii intermedii sunt plus minus immediati *per id* non significatur distinctio subditorum, qui *alii* sint pro distinctis superioribus sed designatur ordo praesidentium inter seipsos, diversumque officium in exercitio potestatis.

d) Non sit denique ullimode circumscripta, sed plena et universalis tum ratione materiae circa quam versatur, dummodo ad Ecclesiam pertineat, neque ius divinum obstet, tum ratione eorum qui eidem subiiciuntur sive de populo sint sive pastores dummodo per baptismum in gregem Xi fuerint aliquando cooptati. « Ratio est quia X. D. conferens Petro potestatem dixit quaecumque *alligaveris, quaecumque* solveris, nihil prorsus excepit relate ad Ecclesiae finem: et fundamentum supremum in ipso constituit scil. potestatem incircumscriptam quoad omnia et quoad omnes.

e) Unde etiam sequitur eiusdem Primatus essentiam non in eo tantum atque unice consistere quod sit tantum centrum unitatis et communionis, quemadmodum adseruit Febron. sed in eo quod sit plena ac perfecta potestas pascendi sive gregem coniunctim *sive agnos atque oves singillatim quae ad Christum pertinent.*

Scil. iuxta adversarios R. Pontifex diceretur primas seu Caput Ecclesiae, quia *a)* est primus inter Hierarchas, B) ad universum gregem nonnisi per singulos hierarchas refertur.... Iamvero ex ratione fundamenti quod est Petrus patet ipsum efficere unitatem plena et perfecta potestate, quae in societate perfecta est suprema, ipsum omnes quotquot pertinent ad aedificium sive seorsim singulis sive coniunctim omnes regere et sustentare.

f) *Adeoque vanam et commentitiam essa Febronianam iurium Primatus divisionem in essentialia quae officio unitatis servandae necessario cohaerent, et in accidentalia, quae cum praedicto officio necessario non cohaerent.*

Vidimus essentialia iuxta Febr. esse quae sint in unitate legitimo modo curanda, legitimum autem modum esse solum in advigilando et in dirigendo consilii scil. non coactionis more: caetera iura esse adventitia, quae possunt et plerumque abesse debent. Sed vidimus pariter Rom. Pontificem ex essentia et natura primatus iurisdictionis suprema, universalis, independentis, profluere *omnia iura* et quidem *necessario* scil. ut possit omnes actus in omnes tum distributive tum collective sumptos quoad omnia quae pertinent ad Ecclesiae finem et imperium iure divino non determinata.

N. 15.

Corollaria in specie.

In specie autem ex praedicta propositione, cum plurima alia, tum nonnulla, quae magis usui sunt dimanant et in quibus proinde operae pretium est aliquantum immorari.

Et 1. quidem inde sequitur perperam affirmatum esse a Gallicanis et deinceps a Ianseniani R. Pontificis POTESTATEM AUCTORITATEM AUCTORITATE VETERUM CANONUM, QUOS ANTIQUITAS CONSECRAVIT IMO ET PARTICULARIUM ECCLESIARUM CONSUETUDINIBUS RESTRINGI ET COARCTARI. *Manifeste enim id repugnat naturae primatus quem ita a Christo constitutum esse vidimus ut*

nulla humana auctoritate coarctetur. Ut ea facilius ea caligo dispellatur, quae ab assertoribus praedicti erroris offunditur, haec sunt animadvertenda:

Praen. *R. Pontificis potestatem canonibus coarctari...* vox Gallicanorum est in conciliabolo parisiensi extra chorum canentium art. 3. suae Declarationis. « Hinc apostolicae potestatis usum moderandum per canones spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta » Regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines, tantae sedis et ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant « Quid porro sibi voluerint hisce verbis Gallicani auctor nobis est Bossuet Def. Declar. l. XI. tam sensum quam finem gallicanae sententiae explicans, ita ut dicat quod huius 3.i art. auctores censent manere quidem penes unum Rom. Pontificem plenitudinem potestatis: hanc tamen quoad exercitium moderandam esse per canones iam a tota antiquitate consecratos... qui nihil aliud sunt nisi regulae quas R. Pontifex sequi debet in exercitio potestatis suae: sub his regulis comprehenduntur canones recepti et totius mundi reverentia consecrati pro condendis futuris legibus toti Ecclesiae, tum consuetudines a Rom. Sede approbatae etiam in regimine particular. ecclesiarum ut est Ecclesia gallicana. Sunt autem regulae non directivam tantum sed coactivam vim habentes in Rom. Pontificem; adeo R. Pontifex nedum novas leges oppositas praecedentibus caoonibus condere potest, sed in dispensando in casibus particularibus, si desit iusta causa dispensatio non valeat. Idem dicite de canonibus et consuetudinibus particular. eccles. Imo addunt ipsos Romanos Pontifices teneri his legibus quae a tota ecclesia fuerunt prius admissae aut consuetudine approbatae, etiam in peculiaribus Ecclesiis. Finis porro est quoad exercitium finis potestatis pontificiae ne unius R. Pontificis arbitrio gubernetur Ecclesia, atque in praeceps ruat. Hic autem 3.us art. consonat cum toto art. 2.º, quo asseritur potestatem supremam Ecclesia esse in Concilio.

Iamvero ut hic 3: articul. penitus refellatur iuvat distincte sic procedere per seq. prop.

Prop· 1. Facta I) distinctione tum duplicis sensus verbi *posse, tum inter canones divini et ecclesiastici iuris* II) *docemus canones divina auctoritate innixos 1. non posse, 2. posse autem canones qui merae ecclesiasticae auctoritati innituntur mutari valide semper, 3. licite vero tunc tantum cum regulae serventur honestatis. Und* III. *patet, gallicanos errare valde cum cum R. Pontificis potestatem asserunt mere ecclesiasticis canonibus quos antiquitas consecravit, aut Eccles. partic. consuetudinibus restringi et coarctari.*

Decl. 1 p. quoad duplicem distinctionem verbi posse Cum quaestio fit utrum Sum. Pontifex *possit* contra canones antiquos et vetustas consuetudines sive generales sive particulares aliquid statuere duplex sensus distinguendus sedulo est verbi *possit* quod simul significat et vim ac facultatem aliquid faciendi et rei agendae *honestatem*: ita ut fieri non posse dicatur et id, quod si fiat ex defectu virium ac facultatis invalidum esset, et id quod licet validum, tamen illicitum fieret ex honestatis defectu. Hoc autem postremo sensu locuti sunt Sum. Pontifices cum negarunt adversus canones se quidquam posse, nulla scil. accedente iusta causa, cur ab illis discedi oporteret.

Haec porro doctrina clara est apud moralistas et canonistas, aliud enim est liceitas, aliud validitas actus, qui potest esse validus tantum quin sit licitus: iamvero inter nos et gallicanos proprie quaestio est de valore actus. Scil. nos non asserimus quod actus eius alienus sit ab honestate, sed quod ut sit validus non requiritur conformitas praecedentibus Ecclesiae canonibus. Uterque actus sive licitus simul et validus sive validus tantum solet exprimi verbo *potest*. Hinc cum Pontifices se non posse SS. canonibus contradiscere affirmant, το *non posse* excludit quidem honestatem, sed non potestatem ac vim valide ponendi actum.

Diximus *de qua honestate unus R. Pontifex iudex est.* « Cum in eadem quaestione ait Tarq. de mera honestate sermo est eiusdem rei iudicium R. Pontifici ipsi est relinquendum tum quia absurdum est supremam potestatem inferiorum iudicio subiici, tum quia rectum ea de re iudicium ab uno Rom. Pontifice ferri potest, qui altiori scil. utitur consilio, non modo ob particulare Spiritus S. auxilium, qui eidem speciali modo adest, verum etiam quia nemo praeter ipsum est, cui omnes perspectae sint Ecclesiae circumstantiae ad cuius bonum universale res componenda est. »

Qua in re hoc unum advertendum est quod dubium sit de honestate actus et tunc dicimus, quod unus R. Pontifex iudex est, si vero contingeret actum esse evidenter iniustum tunc non opus est iudicio, et lex iniusta non obligat.

Secunda distinctio facienda est inter canones divini et ecclesiastici iuris, quod praestat Tarq. n. III. « Distinguendum item est inter ipsorum canonum qualitatem utrum scil. humana tantum auctoritate innitantur an etiam divina, ita ut vel directe a Deo ipso constitutae sint, vel saltem cum iis, quae a Deo constituta sunt; essentialiter sint coniuncti: e. g. canones quibus ius appellationum ad R. P. constituitur, qui profecto essentialiter coniuncti sunt cum natura ipsa primatus, eiusque officio divinitus R. Pontifici imposito ».

Quod expresse a Deo revelante suamque voluntatem significante constitutum est, ius *divinum audit*: id autem quod ab auctoritate ecclesiastica instituitur, Deo solum conferente potestatem, non tamen a se condente legem, dicitur *ius ecclesiasticum*. Quod autem de iure divino est potest esse etiam de jure canonico: quatenus a) Ecclesia auctoritate sua illud idem statuat, quod divina auctoritas iam decrevit, confirmans idem, suas addens poenas e. g. ne res sacra aut persona sacra violetur ex divino iure est. Ecclesia autem idem statuens suam apposuit sanctionem, b) quatenus Eccl. specifice determinet quod Deus iussit generatim e. g. contractus matrimonialis in genere elevatum est ad dignitatem sacramenti, in specie nonnisi qui formae tridentinae satisfacit, vel c) quatenus Ecclesia determinat exercitium iuris, quod Deus quidem concessit, cuius tamen exercitium prudentiae Eccl. suae reliquit e. g. audire sacrum diebus festis, confiteri peccata semel in anno, SS. Eucharistiam tempore Paschalis participare. « Distinguendi etiam sunt canones qui cum iis, quae a Deo constituta sunt, essentialiter coniugantur, et tunc ii sunt ex iure divino connaturali, qui scil. ab aliqua divina institutione dimanant in eaque implicite continentur, ut est exemplum allatum de appellatione ad R. P.

Prob. 2 *p. quoad 1m scil. quoad canones, qui auctoritati divinae innituntur manifestum est, eosdem quatenus tales sunt, immutari per R. Pontificem derogatione proprie dicta non posse.* Dixi 1. *quatenus tales sunt.* Complures

enim sunt canones, in quibus substantia ab auctoritate divina dimanat, forma ab humana: e. g. canones, qui decimas solvi imperant; in quibus substantia i. e. ut altaris ministri ali a fidelibus debeant, divini iuris est (1. Cor. IX, 4, 14), forma autem ut nimirum eiusmodi alimenta praestentur per decimarum solutionem humani est iuris « Dixi 2. *derogatione proprie dicta.* Si enim agatur de praeceptis divinis positivis nemo ambigit R. Pontificem potestatem imo et officium habere eadem interpretandi utrum sc. certis supervenientibus circumstantiis locum habere debeant nec ne ».

Ratio autem principalis assertionis sc. quod huiusmodi canones nequeant immutari est, quia immutare derogatione generali ac totali vel partiali est actus proprie dictae iurisdictionis in legem divinam. Sed iurisdictionem in legem divinam non habet R. Pontifex excepta interpretatione authentica. Dein probe advertatur sive canones sint formaliter iuris divini, sive cum hoc essentialiter coniuncti, illud ipsum quod Deus instituit, vel cum eo essentialiter coniungitur distinguendum esse ab eo, quod forte Ecclesia ipsa determinavit: in quibusdam enim contingere potest ut substantia divini, forma vero rei, de qua agitur, humani sint iuris e. g. in decimis.

Prob. 2 p. *quoad 2m scil valide semper mutare polest canones mere ecclesiasticos.* « Id in genere pariter manifestum est eosdem a R. Pontifice mutari et abrogari, posse cum nulla sit aut unquam fuerit mere humana auctoritas quae R. Pontificis auctoritate in rebus, quae ad Ecclesiae regimen pertinent, superior dici queat. »

Ratio patet: probata est enim huiusmodi potestas primatus quae sit a) *universalis* ligandi et solvendi *quaecumque*, b) *efficax* ita ligandi, ut quae ipsa ligat, immediate liget Deus; quae ipsa solvit, immediate solvat Deus; c) *independens* a quavis alia potestate utpote eius propria, qui unus habet claves huius regni i. e. Ecclesiae. Sed si Romanus Pontifex omnia solvere potest, poterit solvere et relaxare canones seu leges iam latas, si solutionem ipsius immediate sequitur solutio Dei, nulla est solutio in Eccl. quae P. Pontificis solutionem impediat, et si potestas eius est independens, repugnat ut ab aliis ligetur Pontifex.

Insuper hi canones mere ecclesiastici spectantur vel prout procedunt ab uno R. Pontifice, vel a ceteris Epis, vel ab omnibus simul. Sed quovis modo procedunt, valide semper mutari possunt a Rom. Pontifice. Nam eatenus non possent mutari quatenus vel procedentes ab omnibus Epis, R. Pontifice excepto, ligare potuissent legiferam potestam primatis, vel quatenus procedentes a solo R. Pontifice ligarent ipsum vel successores, vel quatenus procedentes ab omnibus simul maiorem vim haberent in Rom. Pontificem, quam si procederent ab ipso solo. Atqui, nullum ex his elementis: non 1m quia coeteri omnes Epi seiuncti constituunt corpus reliquum inferius capite: non 2m quia nemo in seipsum vim coactivam exercere potest, neque in successores qui eadem potiuntur potestate: non 3m quia ut vidimus ex constanti traditione concilia oecum. sine R. Pontificis confirmatione nullam vim habuisse.

« Imo eiusmodi canones quandoque abrogari debere cum scil. rerum circumstantiis mutatis, eiusmodi canones mutari Ecclesiae necessitas vel utilitas iubet (Cf. Epist. S. Gelas. ad Epos Lucaniae C. 1, imo et Conc. Basileense eo ipso tempore quo a R. Pontifice dissidebat ep. Synod. V ante dimidium). »

Ratio huius ass. patet ex varietate circumstantiarum et locorum, temporum praesertim cum de canonibus agatur, qui ex adiunctis temporum exacti sunt. Necessitas est praesertim cum periculum ingruat alicuius erroris in mente fidelium, aut magni incommodi: cum e. g. circa disciplinam versatur qua haereticis abutuntur pro sui erroris defensione uti contigit tempore Gregor. M. Cf. Zaccar. Lasciamo star le cose come stanno. §. VI.

Ex fundamento generali; quidquid in societate constituitur et imponitur sociis id ratio finis Eccl, suadeat necesse est. Sed fieri potest ut ratio finis obtinendi suadeat mutationem.

Prob. 2 *p. quoad.* 3^{m} scil. *R. Pontifex licite non semper potest mutare canones mere ecclesiasticos.* Nam si ab universa Eccl. canones conditi sunt in bonum Ecclesiae, cum haec a Spiritu S. regatur, tenendum est ,eos canones esse utiles bonumque Ecclesiae postulare generatim, nisi conditiones mutentur, ut ii observentur. Cum ergo R. Pontifex debeat ex officio bonum Eccl. procurare, ut id assequatur, tenetur ut ad normam canonum quatenus in adiunctis in quibus versatur, bonum Ecclesiae id postulat, gubernationem suam exigere vel meliori modo providere. Quod si non faciat divinam aut naturalem legem violabit: Deoque rationem peccati sui reddet. Adde regulam prudentiae in omnibus prae oculis Pontifici habendam.

Hac in re sedulo advertatur quod etsi utile non sit societati exercitium non honestum potestatis, est tamen utile quod eius actus validus sit etiam cum minus est licitus, *modo certe iniustus* non sit, lex enim iniusta est nulla. Ratio 1.^{i} est quia sub praetextu perpetuo legis minus honestae et licitae nulla lex servaretur, et si lex invalida quia illicite lata sit, quot inde obvenirent dubia, lites, iurgia, brevi totius socialis ordinis perturbationes.

Licite quoque mutare valet cum regulae serventur honestatis. Praecipuae autem honestatis regulae servandae in mutandis SS. canonibus sunt seqq.

aa) *Ut mutatio R. Pontificis auctoritate fiat,* cui soli (praeter Conc. gener. in quod R. P. consentiat) potestas est in ius commune. Nam mutatio ab eo fiat oportet cui legitima potestas est, quia nemo potest ligare aut solvere vinculo legis subditos nisi is, qui vi Constitutionis societatis legifera gaudet potestate.

bb) Ut fiat *rationabili de causa.* Abusus enim est potestatis et quoddam levitatis genus, canones temere mutare praesertim cum non sine gravi causa fuerint constituti. Rationabilis autem causa in genere est necessitas, vel evidens utilitas boni communis: idque maxime exigitur cum de iis agatur, qui totius antiquitatis reverentia donentur. Hinc merito Tarq. ait sequi ea, quae institutionem habent mere apostolicam atque perpetuo servata sunt, licet per se mutari possint, tamen videri nunquam mutanda esse tum propter Apostolorum reverentiam, tum propter excellentem quamdam et absolutam efficaciam, quam perpetua atque universalis experientia testatur.

cc) *Ut gravioris damni nullus prudens sit metus praesertim circa rectam fidem.* Qua quidem regula usa est Ecclesia in deneganda sub utraque specie communione, et lingua vulgari in lithurgia, licet his concessis complurium populorum reditus ad Ecclesiam catholicam promitteretur. Cf. Zacc. l. c. §. VI. et VII. ubi praeter cit. exemplum communionis et alia ad investiturarum usum profert Ioannis Archiep. Lugdunensis verba « che licet exteriores investituras

per laicos factas non satis proprie haeresis nomine censeamus: sentire ac defendere *fieri debere* indubitata haeresis est. Dal che in fine (pergit Zaccar.) egli traeva, che non poteva la Chiesa più oltre permetterla, senza dubbio acciocchè occasione non si desse che questa, diciam così, eresia *riflessa* non si dilatasse viemaggiormente. Vuol questo dire, che quando pretendesi d' introdurre una disciplina contraria alla dominante per altro mutabile, se il nuovo costume per se stesso tollerabile sia fiancheggiato da qualche errore nella fede, come era l' uso delle investiture per la massima che non pure lecito lo spacciava ma *dovuto* e necessario; la Chiesa deve contrariarlo con tutta la forza, non badando che il litigio é di variabile disciplina, ma occorrendo al deposito della fede che per la rea massima ad essere viene assalito.

Et haec est ratio quam Tarq. dat « Cum enim haec debita et necessaria esse dicerent, concedi sine rectae fidei periculo eadem non posse merito existimavit. Pari ratione cum principes aliquid petunt sibi concedi, quod ad Ecclesiam pertinet, eodemque tempore id sibi tamquam iuri regio insitum deberi affirmant, hanc ipsam ob causam inhabiles ad obtinendam gratiam se faciunt. » Idque ob duplex momentum maximum *a*) ob damnum ecclesiasticae libertatis *b*) ob errorem in fide, praesertim cum supponatur Ecclesiam errasse atque aliena iniuste invasisse.

dd) *Ut uniformitatis ratio quoad coeteras Ecclesiae partes, quantum fieri potest, non laedatur.* Uniformitatem enim vehementer Ecclesiae cordi esse et spiritus unionis et charitatis docet. quo ipsa alitur et plurimi hac de re canones confirmant. — Quae vel sola ratio sufficit ut neque inviolabiles neque immutabiles sint sed ad ius commune redigendae Eccles. particularium consuetudines.

ee) *Iudicium autem de praedictis regulis in casibus particularibus, utrum scil. et quatenus locum habeant, relinquendum est R. Pontifici.*

Prob. 3. pars Ex dictis probatum manet perperam Gallicanos affirmasse R. Pontificis potestatem mere ecclesiasticis canonibus.... restringi et coarctari. Gallicani asserunt quidem 1) inesse RR. Pontificibus plenitudinem potestatis, qualem Petro contulit Deus — sed 2) aiunt huius potestatis usum moderandum esse per canones. Sed haec 2.ª prop. contradicit 1.ae prop. quae est certissima. Nec valet effugium cum aiunt manere ipsam plenitudinem sed limitari tantum exercitium potestatis. *Resp.* limitare ita exercitium ut actus contrarius si fiat, sit invalidus, idem est ac limitare ipsam potestatem. Quia licet possit concipi potestas in habitu tantum sine exercitio, tamen concipi et esse nequit sine ordine ad actum ita ut si e. g. actus sit impossibilis iam ad illum non est amplius potestas, cum potestas in potentia sit quae potest exire in actum, restringitur ipsa potentia.

Potestas iurisdict. *plena* in Ecclesia est illa quam habuit Petrus, quae scil. potest omnes actus, quibus iurisdictio in Eccl. exercetur sed talis non est potestas per canones limitata....

Prop. 2. *Plura affirmantur a Gallicanis a) falsa et proponitur regula b) quae sit putida contradictio, c) quaeque tantum valet ad ecclesiasticam subordinationem evertendam.*

Constat. 1.m quia potestas praesentis Eccl. non est eadem quae veteris Eccl. cum tum in R. Pontifice tum in Conc. oecum. sit limitata SS canonibus:

b) quia veterem Eccl. ceu insipientem faciunt utpote quae canones statuerit numquam ex toto abolendos a legitima auctoritate etsi penitus mutatis adiunctis, novisque exortis necessitatibus : c) affirmatur veteres canones novi, et tamen progessu temporis plures canones omnium iudicio meliores sunt quam veteres e. g. praesens disciplina circa electionem Eporum, impedimenta matrimoni...

Constat. 2.m Volunt Gallicani canones novos exigi ad normam veterum quia nolunt canones contrarios veteribus. Bossuet l. c. c. 14. Libertas nostra igitur ut paucis absolvam posita est in observatione *iurium novorum*, quae statuantur propter motiva pietatis aut necessitatis ita tamen ut ob oculos semper habeantur veteres, ad quos semper recurrere oportet ne disciplina relaxetur. » Concedunt scilicet canones novos fieri posse cum ratio pietatis aut necessitatis id exigit : sed pietas et necessitas exigere possunt ut canones statuantur prorsus oppositi e. g. abolitio calicis pro laicis et remotio populi in electione R. Pontificis et Eporum. Sed minor non admittitur a Gallicanis cum adstruitur in principio : ergo putida habetur contradictio.

Constat. 3.m Nam ex hac Gallicanorum regula id unum sequitur quod praetextu novitatis conantur reiicere omnia recentia decreta R. Pontificis vel Conc. oecumenicorum quae non placeant. Ea sc. statuta regula nemini persuadebitur obedientia alicui decreto recenti nisi sibi contradicat. Forma porro regiminis Eccl. a X.o Domino statuta subvertitur penitus cum per hunc 3. art. gall. R. Pontifex haberet tantum supremam potestatem executivam non legiferam, quae iuxta Gall. resideret in Conc. oecum. cui R. Pontifex subiiceretur sicut obtinet in regno constitutionali. Sed in thesi fundamentali n. 12. probatum est R. Pontificem accepisse a X.o Domino plenam potestatem ligandi et solvendi seu pascendi universam Eccl. independentem a qualib. humana potestate ut ipse sicut Petrus a Nazianzeno *Legislator noster* valeat appellari.

Praeter documenta supra citata conferatur in Append. Breve *Paternae charitati* 11 April. 1682 ad conventum Cleri gallicani ab Innoc. XI directum contra Gallicani Cleri declarationem.

Ad n. 16

Alterum ex praedicta propositione Corollarium quod item in specie animadvertendum esse, operae pretium ducimus hoc est: nonnisi per summam iniuriam a Febronio affirmari catholicam primatus notionem ab Isidoriana canonum collectione natam esse. Cum enim perspicue ab ipsis X.i verbis dimanet, fabula illa febroniana vacare ab impietate nullo pacto potest.

In exponendo systemate Febroniano satis superque vidimus Febronianos conari sibi aliisque persuadere per decretum Isidorianum bona fide susceptum factum esse ut disciplina Ecclesiae mutaretur, R. Pontifex ingentem potestatem super omnes et omnia sibi usurparet, atque ita induceretur forma illa monarchica, quam Rom. Sedis adulatores tuentur. — Quae porro quam iniuriosa sint Catholicis omnibus et Sedi Apost. quamque menti repugnent divini Fundatoris ex prop. patet. — Tarq. n. I. indicat ubi et quando haec pseudo Isidori collectio: n. II. exponit quid asserant adversarii : et n. III. respondet eorum assertis.

Quoad I. seu historiam adverte quod annus fuit circiter 845 vel 846, locus quo proditur haec collectio videtur esse Moguntia — Auctor probabiliter est ille

Benedictus Levita qui confixit capitula Adriani ad Engelramnum. In hac collectione non omnia profecto reprobantur sed falsitatis arguuntur Decretal. p. 1.ae a Clemente ad Melchiadem, et aliae in p. 3.a Has falsas decretal. vel ipse effinxit, vel ab aliis fictas ipse adoptavit : quarum tamen nullam profert sed omnia ex Adrianea collectione aucta duobus additamentis depromit Leo IV. (qui pontificatum iniit 847) scribens ad Epos. Britanniae docetque quibus Decretal. regulis, Conciliorumque canonibus Eccl. romana uteretur.

Quoad II. Dictos canones aiunt esse spurios a) quia cum sint IV et V saeculi tribuuntur R. Pontificibus ad tria priora saecula pertinentibus, b) quia in genuinis quoque scriptura codicum vetustate forte corrupta, integritatem sententiae Isidorus ipse restituit, vel adnotationes aliena manu factas textui inseruit: c) in quibusdam paris semper doctrinae sint. et errores continent quoad chronologicas notas: d) in iis stilus est semper uniformis.

Iamvero Tarq. respondet 1) eiusmodi causas vel futiles esse vel levioris momenti, vel quod plus aequo exagerentur epistolae decretal. 2) etiam supposita quarundam Decretal. falsitate, non sequitur quod adversarii contendunt. Verba clara sunt a) evertitur Febroniana assertio quod canones Isidori ex sententiis PP. scripti dicuntur. Id enim probat eam doctrinam de R. Pficis primatu quam Isidor. collectioni i. e. saec. IX Febron. tribuit IV. et V saec. iam traditam in Eccl. et probatam fuisse — b) Ex argumentis quae deducuntur ex interpolationibus... recte deducitur eas partes interpolatas esse... praepostere tamen deducitur ab iisdem primatus doctrinam natam esse, cum doctrina quae ibi continetur a doctrina coeterorum canonum nullo pacto dissonet. — c) Exaggerantur ultra sanam criticam argumenta ab uniformitate stili et a notis chronologicis... Coeterum satis est , doctrinam genuinis canonibus minime contrariam ibidem tradi, ut Febronii calumniam de primatus origine ab iis repetenda protinus evanescat.

Atque ad melius evertendam febronianam deductionem adnota: *Argum. indirectum.* a) Intrinsece repugnat quod Isidorus tot ac essentiales mutationes induxerit in disciplina et regimine Eccl. quot et quales sunt, quos reprehendunt adversarî, et quod Eccl. latina acceptaverit eam collectionem quin suspicaretur, quin reclamaret tales mutationes. Ergo tunc temporis doctrina Isidori non erat nova quamvis novos testes eius adduceret. » b) Sed neque erat nova saec. IV et V, ait enim Blondellus et plures cum ipso, quod doctrina contenta falsis decretal. affixis et relatis scil. ad tria priora saecula, sit saec. IV et V. *Argum. directo* prob. quod a falsis decretal. nova non fuerit inducta doctrina. Missa facio argumenta directa ex SS. Script. et ad traditionem quod spectat, dico novitates quae circa R. Pficis potestatem ab advers. recensentur, sunt 1. R. Pficem esse Epum universalem 2. causas omnes maiores ad Sedem apost. referendas: 3. causas Eporum ab uno R. Pfice diiudicandas definitive: 4. ius excipiendi appellationes a quovis iudicio Eporum: 5. non oportere, praeter sententiam R. Pficis oecumenica concilia celebrari: 6. Ius ex his ortum mittendi quocumque legatos suos. Ex quibus omnibus, concludit Febr. usurpatis a R. Pfice, constitutum est regimen monarchicum. Atqui haec omnia iura iam ante collectionem pseudo Isid. certa, rata ac fixa erant in universa latina Eccl. Nam 1. quoad titulum Episcopi universalis competentem Romano Pontifici tam ante quam post Gregorium M., Romanus Pontifex vocabatur Episcopus Episcoporum Pa-

triarcha oecumenicus., sacerdos sacerdotum, Pastor pastorum. « Teste Hieron. ad Ageruch. ep. 123 n. 10 « Ante annos plurimos cum in chartis ecclesiastici iuvarem Damasum Romanae Urbis Epum et Orientis atque Occidentis consultationibus responderem ».

2. Ad causas maiores quod attinet ratum antiquitus fuit ut eae ad Sedem Apostolicam referrentur, teste Inn. I ad Victricium n. 6 « Si maiores causae in medium fuerint devolutae ad Sedem Apost. sicut Synodus statuit et beata consuetudo exigit, post iudicium epale referantur. » Quod et S. Leo ep. 5 ad Metrop. Illyr. confirmat. Inter causas maiores recensentur iudicia Eporum, horum depositio, translatio, confirmatio.

3. et 4. Ad ius appellationum quod spectat et ius iudicandi definitive causas Eporum constat synodorum provincialium de Epis sententias fuisse appellabiles. Contra Hincmarum Rhemensem asseritur vetus consuetudo appellationis probata per factum Athanasii, Basilidis et Martialis, qui iussi sunt restitui a Stephano Papa in proprias sedes postquam appellaverunt ad ipsum. Testes huius consuetudinis. sunt et Leo M. in controversia cum Epo Arelatensi, ep. X; et S. Aug. ep. 43 « Posset (Caecilianus) conspirantem multitudinem inimicorum non curare cum se videret et Rom. Eccl. in quae semper Apostolicae Cathedrae viguit *Principatus* . . . ubi paratus esset causam dicere. »

5. Quod Concil. oecum. non sit celebrandum praeter sententiam Rom. Pficis testatur Lucentius Rom. Sedis Legatus in Conc. Chalced. act. 1 ubi Dioscorum reprehendit, quia « Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae quod numquam licuit aut factum est. »

6. Quoad potestatem mittendi quocumque Legatos suos patet. Nam cuicumque iurisdictioni ordinariae inest potestas delegandi etiam ad universalitatem causarum in quoscumque subditos: sed R. Pfex habet potestatem iurisdictionis immediatam in omnes et quoad omnia.

N. 18

Tertium COROLLARIUM, QUOD SPECIALI MENTIONE DIGNUM EX EADEM PROP. DEDUCITUR, HOC EST PERPERAM AB ALIQUIBUS AFFIRMATUM ESSE AD IUS DIVINUM ATQUE AD IPSAM ECCLESIAE CONSTITUTIONEM PERTINERE UT ELECTIO EPI PROPRII A PLEBE FIAT.

Decl. prop. 1) Nos de proprie dicta electione agimus non de testimonio reddendo, aut de postulatione ut rite distinguit Tarq. Et primo quidem animadvertendum est res esse longe diversas eligere, petere, testimonium reddere. Neque enim qui bonum testimonium pro aliquo reddit, vel eumdem eligi petit, ius aliquod ad dignitatem aliquam obtinendam eidem parit; sed tantum obsecrantis vel laudantis personam gerit. Contra autem dicendum est de iis qui eligunt. Qui enim eligit canonice vocat ad dignitatem ad eamque obtinendam ius verum tribuit . . . 2) Hinc factum ipsum quod populus quandoque una cum Clero concurrerit, ad electionem Eporum non statim arguit ius praesertim divinum *insitum ipsi,* sed potest esse vel a) requisitum ad tutius eligendum e. g. testificatio idoneitatis, b) vel petitio, propositio, postulatio alicuius personae ut eligeretur, c) vel si quandoque ipso suffragio christiani populi electio facta est,

id nonnisi ex concessione quadam haud vero ex necessitate repetendum est. Nam d) licet ius eligendi Epos., uti probabimus mox, ad unum R. Pontificem vi primatus per se unice pertineat; nihilominus eius vel lege vel approbatione ac consensu potuit ad alios recte deferri: quod enim cuiuspiam lege vel consensu fit, eiusdem innititur auctoritati.

Prob. prop. 1.° Ex demonstrata principali thesi (n. 13) qua asserebatur Petro eiusque successoribus RR. Pontificibus potestas a Christo Dno. instituta omnino plena ac perfecta nullaque humana auctoritate circumscripta immediate fluit enuntiatum Coroll. « Si enim Eporum. electiones plebi reservatae essent hac saltem ex parte Romani Pontificis potestas restringeretur, neque ea esset qualis demonstrata est plena ac perfecta . . .

2.° *Pariter* ea est natura primatus ut vel ipse R. Pontifex eligat Episcopos vel praescribat eligendi modum Cf. Bellarm. de Cler. l. 1 c. 18. Iure enim divino qua primas est pastor supremus universalis et immediatus Ecclesiae atque ius proin habet et officium praeficiendi singulis portionibus gregis praepositos, qui vocantur in partem sollicitudinis; nec nisi eo consentiente possunt alii sibi assumere pascendos eos, qui iam illius sunt subditi immediati. Sed qui ius habent et quidem plenum atque independens praeficiendi pastores Ecclesiis, is pariter habet ius eligendi: eliguntur enim tantummodo ut praeficiantur. Ergo per se nullam vim habet electio, quae sine auctoritate illius fiat, qui ex divina institutione ius habeat praeficiendi quos censeat idoneos. Quod confirmatur ex eo quod R. Pfex totius ac cuiuslibet portionis gregis Christi sicut curam ita et officium cum iure habet iudicandi definitive quid congruum vel incongruum sit universae Eccl. et quis idoneus sit gregi pascendo, non modo propter Spiritus S. adsistentiam, sed quia ei perspectae esse debent circumstantiae omnes personarum, temporum locorum . . .

Neque dicatur quod *cumulative* cum plebe ipse R. Pfex habeat ius eligendi. Nam praeter quam quod duo facta argumenta probant ius hoc *uni* Romano Pontifici *insitum esse*, adest

3.m Argumentum ex natura potestatis supremae in societate. Nam ius eligendi magistratus nisi in ipsa societatis constitutione aliud statutum fuerit, per se ius est potestatis supremae; neque enim quispiam potest populum obligare ut cuipiam pareat, nisi is, cui populus subest: atqui suprema Eccl. potestas residet in uno R. Pontifice. Ergo nisi demostratur Christum aliter statuisse, per se ad unum R. Pficem pertinet electio Episcoporum. Addatur et illud quod in Ecclesia quaecumque potestas est supernaturalis: unde is habet cui a Christo est tributa, unde donec probetur tributa esse a Christo *etiam aliis*, dicendum praeter unum Rom. Pficem, cui potestas quaecumque solvendi et ligandi incircumscripta collata est, tale ius eligendi habere neminem. At nullibi scriptum aut traditum reperiri ius tale divinitus aliis quoque concessum.

Oggerunt adversarii « historia teste reperiri vestigia certae traditionis plebi etiam tale competere ius. Sed nos reponimus adeo falsum esse historice probari pertinuisse ad plebem ceu insitum ius eligendi proprios Epos, ut contraria prorsus sit historia.

Hoc argumentum ex traditione et praxi Ecclesiae praestat efferre verbis Tarq. *Quo brevius* ait Tarq. *edversariorum error innotescat:* 1.° *Ecclesiasticae praxi circa Eporum. electionem brevem conspectum a primis usque tempori-*

bus trademus: 2.° *quae adversus praedictum errorem inde consequentur adnotabimus*: 3.° *Praecipuas adversariorum obiectiones referemus ac refutabimus.*

N. 18.

In Ecclesiae praxi referenda de Episcoporum electionibus id primum animadverti volumus: licet variae aetates distingui possint, quibus varia electionis methodus servata est, nihilominus nunquam eandem fuisse omnibus locis plane communem, ita ut varietas non mediocris non modo in omnibus aetatibus collective, verum etiam in singulis facile deprehendatur. Itaque quod per singulas aetates communius actum est, exponimus. Fuit autem eiusmodi.

I. In ipsis Ecclesiae exordiis Episcopos ab Apostolis, vel eorum mandato constitutos esse, et ex SS. litteris patet (Act. XIV. 22; Tit. I. 5.) et ex traditione (cf. S. Greg. M. L. V. Ep. 60; VI. 37; VIII. 35; S. Hieronym. in Cap. I. et III. Ep. ad Titum etc.)

II. Apostolis mortuis, vel etiam adhuc viventibus (cf. S. Clem. Ep. 1 ad Cor.) usque ad Concilium Nicaenum I Episcoporum electiones ceteris eiusdem Provinciae Episcopis constat fuisse attributam; atque ita quidem, ut populus aliquando etiam expresse fuerit repulsus. Cf. Conc. Laodic. Can. XII, et XIII; Antioch. I. can. XVI., et Conc. Nicaenum I. can. 4 ubi eadem doctrina non modo confirmatur, verum etiam *antiquis moribus* conformis esse dicitur. Unde sequitur:

a) Verba καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, quae veluti altera conditio adiecta legitur a Patribus Concilii Nicaeni I in Synodica (Theodor. Hist. Eccl. L. 1 C. 9) post primam conditionem « *ut digni esse videantur* » quoad eos, qui in locum demortuorum Episcoporum sufficiendi erant, non ita esse vertenda « *et* (eos) *populus elegerit* »; sed « *et* (eos) *populus optaverit* ». Utrumque enim sensum et eligendi et optandi habet graecum αἱρεομαι; sed eligendi sensus praedicto Canone 4. eiusdem Concilii excluditur.

b) Item si qua pars in huius aetatis monumentis tribui plebi videatur in eligendis Episcopis, id ita intelligendum esse, quemadmodum concinne explicat *Goffridus Abbas Vindocinensis opusc.* 2; qui ait: *Populus concurrebat ad electiones postulatione, et bonae vitae testimoniis: Clerus vero iure suffragii. Neque enim populus in re ecclesiastica dare poterat ius electo.* Quod expresse videre est apud *S. Cyprianum* Ep. 68 al. 67, ubi asseritur, *plebem praesentem oportere esse eligentibus ad testimonium ferendum,* facta nimirum distinctione inter *electores* et *plebem*, eique tantummodo *testis parte assignata.*

III. A Concilio Nicaeno I. ad Concilium Constantinopolitanum IV. quod est VIII. ex ecumenicis, eadem disciplina repetitur, idest ut a ceteris Provinciae Episcopis Episcoporum electio fieri deberet (Cf. S. Iulium Rom. Pont. apud S. Athanas. in eius Apol. contra Arianos; Canones ad Gallos Episcop., quos Constantius Siricio tribuit, Cap. V. Canones Nestorianorum, qui seculo V. ab Ecclesia recesserunt, *in Collectione Ebediesu Tract. VIII. in ipso initio apud Maium* in eius nova serie script. Vet. Tom. X.; Concil. Nicaenum II. Act. VIII. Can. III.; Conc. C. P. IV. post Act. X Reg. XXII; Stephanum V aliis VI in Decr. Gratiani Can. 12. dist. 63 etc.): atque ita quidem, ut, quod attinet *ad populum*, haec firma haberentur:

a) Opinionis popularis habendam esse rationem *hoc sensu*, ut ab Episcopis electoribus is non eligeretur, qui communi populi opinione censeretur indignus;

vel contra is eligeretur, qui dignissimus communi consensu haberetur; quo quidem sensu etiam eorum testimonium, *qui foris sunt*, attendendum esse monuit S. Leo Ep. 10 alias 89 ad Episcopos provinciae Viennensis.

b) Praeter hoc testimonium nonnisi facultatem *postulandi* populo competere posse, ita tamen ut electores imprudenter populi votum sequi minime deberent, eiusmodi sententia axiomatis loco in hac materia electionis iisdem proposita « *Docendus est populus, non sequendus* » S. Caelestin. I. ad Episcopos Apul. et Calab. §. III. collato II; Canones Siricio attributi ad Gallos Episc. Cap. V. Stephanus V. aliis VI. in Decr. Grat. Can. 12 Dist. 63.

c) Regulariter populum in electionibus *silere oportere ac attendere sibi, usquequo regulariter a Collegio Ecclesiae suscipiat finem electio futuri Pontificis*, quae verba sunt *Concilii Constantinopolitani* IV. post Act. X. Reg. XXII.

IV. Circa dimidium seculi IX usus *investiturarum* in Occidente inolere coepit; quae quidem *investiturae* primum post electionem canonicam ritu minime damnando dari consueverunt; at deinceps electionum libertatem coeperunt sensim opprimere, ita ut ab ipsis principibus saecularibus electiones re ipsa fierent, pravam eiusmodi consuetudinem Romanis Pontificibus reprobandibus, summaque vi adversus ipsam obnitentibus. Cf. Acta S. Greg. VII et insequentium Pontificum; Conc. Pictav. an. 1078 Can. 1; Conc. Claromont. anni 1095 Can. 16, praesertim vero Conc. Lateran. I. Oecumenicum anno 1123, quod praecipue ad investituras abolendas coactum est.

V. Seculo XII ad solum Ecclesiae cathedralis Capitulum ius eligendi devenisse constat ex toto Decretalium titulo, qui est *de electione*.

VI. A Clemente V. (*Extrav. Etsi in temporalium De Praeb. et Bened. XII Extravag. ad regimen eod. tit.*) idest ab initiis seculi XIV. ac deinceps a ceteris Pontificibus per Regul. 2. Cancell. ius Episcopos eligendi revocatum est ad Apostolicam Sedem, ut primum quidem absolute, deinceps vero facta principibus laicis potestate praesentandi unum, vel plures, ut plurimum tamen tres sacerdotes episcopali munere dignos, ex quibus Apostolica Sedes, si revera dignos reperiat, eum eligat, quem ipsa magis idoneum existimet. Atque haec quidem hoc sensu.

a) Ut eiusmodi facultas Principibus laicis concessa, inniti intelligatur mero indulto Apostolicae Sedis, non autem iuri cuipiam sive eorum proprio, sive populi, cuius scilicet personam ii gerant; quandoquidem dogmatica doctrina Concilii Tridentini ses. XXIII. declaratum est « *in ordinatione Episcoporum, sacerdotum, et ceterorum ordinum nec populi, nec cuiusvis secularis potestatis et magistratus consensum sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio; quin potius eos, qui tantummodo a populo, aut saeculari potestate ac magistratu vocati et instituti ad haec ministeria exercenda ascendunt, non Ecclesiae ministros, sed fures, et latrones per ostium ingressos habendos esse* » Quae quidem omnia, addito anathemate adversus eos, qui secus dixerint, ita confirmata sunt in Can. VII. eiusdem sessionis, ut si qui *missi sint* a populo, iidem dicatur *aliunde* venire, eorumque missio opponatur *missioni ecclesiasticae et canonicae* (1).

(1) De tota hac electionum disciplina quam hoc n. 18 complexi sumus Cf. Bianchi Dell' esterior polizia della Chiesa l. 1. c. IV.

N. 19.

Iamvero ex hoc brevi conspectu ecclesiasticae praxis de Episcoporum electionibus ab Apostolica aetate ad haec usque tempora deducto manifestum est. 1.° populo numquam tributum fuisse ius proprie dictae *electionis*, sed tantum *postulandi* facultatem eidem fuisse concessam, aut *testimonii ferendi* de eligendorum meritis; quod quidem a iure electionis quantum alienum sit ex S. Leone evidentius factum est, qui etiam eorum *qui foris sunt* (infidelium scilicet et Haereticorum), attendendum esse testimonium edixit: 2.° Quin imo partem omnino nullam saltem a seculo IX. ad hanc usque aetatem, i. e. per decem secula eidem populo in electionum negotiis relictam fuisse: 3.° Quod gravius est, a primis temporibus ad haec usque tempora, i. e. a Conciliis Laodiceno atque Antiocheno ad Tridentinum, fuisse saepe expresse edictum, populum ab electionibus excludendum esse, eumdemque docendum esse non sequendum: 4.° Dogmatica doctrina fuisse definitum, in Episcoporum, ceterorumque Clericorum ordinationibus nedum vocationem et auctoritatem, sed ne consensum quidem populi necessitate aliqua exigi; imo qui ab ipso populo missi sint, eos non a canonica potestate, sed aliunde venire. Atqui haec omnia repugnant doctrinae, qua asseritur ad ius divinum pertinere, ut electio Episcopi proprii a plebe fiat. Ergo etc.

N. 20.

Quae vero pro sua sententia afferunt adversarii, haec praecipue sunt:

I. Mathias Act. I, 15, ad 26, et septem diaconi Act. VI. 1. ad 6 per universum populi electi sunt.

R. Ad utrumque exemplum.

a) Ex iis, quae facta sunt, licet ab Apostolis gesta fuerint, non licet illico *ius divinum* arguere.

b) Mira securitate asseritur, *universum populum* ad illas electiones convenisse. De Mathia cf. Act. I, 15, ibique « *fere centum viginti* » cum I. Cor. XV, 6, et ibi « *visus est plusquam quingentis fratribus simul,* » praeter quos, nullos alios extitisse fideles, eadem securitate, stulta scilicet, affirmaretur. De septem vero Diaconis etc. Act. II, 41, et ibi « *appositae sunt animae circiter tria millia* » et Act. IV, 4, ibique « *Multi* (occasione claudi a Petro sanati)... *crediderunt, et factus est numerus virorum quinque millia* » praeter quos nullos alios per ipsum Petrum, nullos per alios Apostolos, atque discipulos in Ecclesiam adlectos fuisse, pari stultitia, collato praesertim Act. VI, 1, pro certo vendicaretur. Tantam vero multitudinem in unum locum (eo scilicet tempore) Hierosolymis convenisse ad Diaconorum electionem, qui sanus credat?

c) Quicumque in utroque casu convenerunt, ii non elegerunt, sed *praesentaverunt.* De Mathia cf. Act. 1, 23, ibique nota verbum *duos;* et 24, ibique nota verbum *elegeris.* De septem Diaconis cf. Act. VI, 3, ibique nota verba *considerate viros boni testimonii... quos constituamus* (nos apostoli).

d) Quae illi egerunt, eo non iure proprio, sed vi concessionis Apostolorumque mandato egere, nimirum *Petri* quoad electionem S. Mathiae, Act. 1, 21, et ibi S. Io. Chrysost.; *Apostolorum* quoad Diaconos, Act. VI, 2, 3.

II. Cyprianus Ep. 68, aliis 67, ait: *Ipsa maxime* (plebs) *habet potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi: quod et ipsum videmus de Divina auctoritate descendere ut sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico iudicio ac testimonio* comprobetur.

R. Cyprianus 1.° expresse distinguit *plebem* ab *eligendibus;* ita ut plebi nonnisi *praesentem esse* concedat iis, qui electionem peragant: 2.° iudicium plebis *ad testimonium* de *idoneitate* restringit. Unde patet in iis verbis *Plebs habet potestatem vel eligendi* etc. vocem *eligendi* latiori sensu sumi (Cf. Tacit. in Agric. 9, sub fin. et quae supra dicta sunt de verbo αἱρεομαι num. 11, a); quod ex ipsi verbis, quae sequuntur: *vel indignos recusandi*, manifestius apparet; ea enim indicant electionis ius penes alios esse.

Quod si ex Cypriani loco id saltem eruere velint, plebi *divino iure* competere, *ut praesens sit electionibus*, licet extra thesim hoc sit, non est tamen ullo modo admittendum. Nam

a) In genere hoc certum est, *divinum ius* ex uno vel altero cuiuspiam Patris loco probari non posse, praesertim cum diuturna Ecclesiae praxis repugnet (cf. S. Thom. 2, 2, quaest. X, art. XII in corpor.)

b) In specie quoad S. Cyprianum haec sunt animadvertenda:

aa) Singularem Cypriano consuetudinem ac persuasionem fuisse alia etiam graviora negotia oportere (non quidem debere) non modo cum presbyteris, verum etiam cum plebe agi. Cf. *eiusdem epistolam* XXVIII et Bellarmin. L. I, de Rom. Pont. Cap. 6.

bb) In verbis *de divina auctoritate descendere* vocem *auctoritate* non significare hoc in loco *praeceptum* sed *exemplum*: quod patet ex iis, quae sequuntur l. enim sententiam hanc suam probat Cyprianus *exemplis* Veteris Testamenti in consecratione Eleazari Aaronis filii (nota, ibidem neque de electione actum fuisse, hereditaria quippe erat Pontificum hebraeorum successio, neque constare eundem ritum in subsequentium Pontificum consecratione fuisse servatum); Novi autem Testamenti in electione S. Mathiae et septem Diaconorum (de quibus scilicet supra dictum est); 2. fatetur non in omnibus provinciis praesentiam plebis in electionibus fuisse adhibitam « *quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur* », quod sane fieri non potuisset, si divino iure praesentia plebis exigeretur, praesertim cum ne Cyprianus quidem eas provincias, quae plebem excludebant, reprehendere ausus fuerit.

III. Vetus Ecclesiae praxis Episcoporum electionem ad populum pertinere docet.

R. Falso haec affirmari, toto numero 18 demostratum est.

IV. Obiicit recens auctor 1. Ius populi Episcopum proprium eligendi a iure quidem divino *constitutivo* non dimanare, sed a iure divino *morali* omnino descendere; atque hac distinctione opinionum varietatem componi (hinc scilicet Lutheri et Calvini plebi ius eligendi divino iure asserentium, inde vero Ecclesiae Catholicae haec denegantis); 2. Desuetudine electionem popularium Ecclesiae statum in peius ruisse, eundem vero facile restitutum iri, iisdem restitutis.

Resp. ad singula, et ad 1um animadverto, distinctionem iuris divini in *constitutivum* et *morale* novam esse, quibus novitatibus in theologicis controversiis agitandis caligo imperitis offunditur, et errores facile foventur. Iam vero ius

divinum *morale* aut *naturale* intelligunt, aut *ius improprie dictum*, idest congruentiam quandam. Si *primum*, in errore sunt Marsilii Patavini, qui summam Ecclesiae potestatem in ipsa plebe *iure naturae* constituit, cum contra omnis Ecclesiae potestas a positiva Christi voluntate repetenda sit, idest a iure divino positivo, vel ut ipsi aiunt, *constitutivo*; sin alterum, plura sunt animadvertenda, idest

a) Quidquid ad meram *congruentiam* pertinet, appellari *ius* nullo pacto potest.

b) Congruentia nulla est, ut *electio proprie dicta* a plebe exerceatur; imo maxima in ea re habetur *incongruentia*.

c) Congruentia *quoad meram populi praesentiam* in Episcoporum electionibus ad testimonium de vita eorum ferendum absolute concedi nequit; sed ita est de ipsa distinguendum. Congruum est Episcoporum electoribus plebem adesse, si ex temporum ac personarum circumstantiis prudens timor habeatur turbarum, factionum, aliorumve incommodorum, *nego*; si nullus eiusmodi sit timor, *subd.* ita congruum habendum illud est, ut tamen contrarium haberi incongruum non debeat, si alia via possit idem finis obtineri, qui ex praesentia populi quaeritur *conc.* secus *nego*. Finis autem, qui ex praesentia populi quaeritur, hic est ut testimonium de vita eligendorum habeatur, atque ut ii dignosci queant, quibus populus libenter obediat, quod quidem alia etiam via obtineri posse, nemo non videt.

Ad 2^um^ respondeo, ut ea quae supponuntur, et ea quae affirmantur, admitti nullatenus posse. Itaque

a) Falso supponitur, Episcoporum proprie dictam electionem a populo superioribus aetatibus exercitam fuisse. (cf. num. 18).

b) Alterum suppositum, quod praesens Ecclesiae status prae superioribus aetatibus in peius ruerit, Iansenianis quidem familiarissimum est, a viris autem sapientibus probataeque fidei, singulis praesertim circumstantiis perspectis, haud ita facile concedi solet.

c) Quidquid sit de huiusmodi mutatione, falso affirmatur, eandem in deterius idcirco abiisse, quod populus ab electionibus exclusus fuerit, tum quia conventus illi populares perniciosi potius saepissime comperti sunt (cf. 5. Can. 5. Dist. 61; Can. 2. Dist. 62; Can. 12. Dist. 63; Can. 16. ca. 8 quaest. 1 etc.); praesertim cum turbas et factiones frequenter gigneret (cf. Epist. Stephani V. alias VI. *ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem* in d. Can. 12. Dist. 63); tum quia quidquid adducitur ab obiecta incommoda demonstranda omnino versatur in enumerandis malis, quae a facultate Principibus facta praesentandi novos Episcopos oriri existimant; quae quidem mala *transmitti* aut etiam *admitti* possunt, et tamen asserta electionum popularium congruentia iure potest negari. Quod enim deterius quippiam sequutum fuerit, non ide sequitur, id quod praecessit, esse bonum.

d) Denique non est omittendum, quid congruum, quidve incongruum in societatibus sit, eius tantum iudicio posse definiri, qui omnes totius societatis circumstantias perspectas habet; proindeque sapientis esse, in ecclesiasticis negotiis Ecclesiae iudicium sequi: eum vero, qui Ecclesiae iudicium contemnit, seditiosum turbulentumque ingenium portendere.

Ex dictis patet quod cum ius constituendi Epos uni Romano Pontifici competat iuri proprio ac nativo, si Episcopi comprovinciales vel capitula Ecclesiarum Cathedralium vel Principes saeculares atque alii laici aut clerici partem aliquam in nominandis Episcopis habuerunt scias id esse semper repetendum es R. Pontificis expressa vel tacita concessione. — 2) patet etiam quod a saec. XIV Roman. Pontifices sibi coeperunt reservare provisionem canonicam Episcoporum: atque ita paullatim ius electionis iuxta Decretal. caepit in variis regionibus commutari in ius seu disciplinam liberae collationis Episcopatuum per Romanum Pontificem; et in iis praesertim ubi remanet ius electionis iuxta Decretal. semper confirmatio electionis Episcoporum Romano Pontifici reservata est.

Iterim notamus a) ad sarctam tectamque servandam legitimam missionem atque institutionem episcoporum statutam esse excommunicationem l. s. speciali modo Rom. Pontifici reservatum in dignitates et canonicos Ecclesiarum Cathedralium ac illos qui deficientibus capitulis Vicarios deputant, aut vacantes Ecclesias legitime administrant si ante exhibitionem liberarum apostolicarum concedere et transferre in nominatos et praesentatos de. b) Iam ab initio huius saeculi triplicem esse formam provisionis canonicae episcoporum in praxi receptam scil. liberam collationem Romani Pontificis, electionem Capitulorum Cathedralium, nominationem seu praesentationem regiam. At modum seu

Praxim praesentem, in praeficiendis Episcopis suis dioaecesibus iuvat exponere verbis Card. Segna qui op. cit. n. 55 postquam explicaverit nullum prorsus gravioris momenti negotium a Romano Pontifice transigi prius non explorato consultorum SS. Congregationum et Cardinalium plurium voto; — ad negotium electionis Episcoporum sermonem convertens ait « Haecque nominatim obtinent etiam in Episcoporum electionibus, in quibus praesertim Protestantes vim facere solent, morem receptum in iis peragendis novitatis insimulantes eo praecipue ex capite quod ex arbitrio ac pro lubitu fiant, aditusque ad eas populo fidelium fuerit praeclusus. Praxis in Ecclesia Romana hodie obtinens est, ut Congregatio Concistorialis, aut Summi Pontificis Auditor processum super vitam, mores, merita in Episcopum candidati etiam qui vi Concordati cum Sancta Sede initi fuerit praesentatus a civili potestate, quam maxima diligentia conficiant. Exinde paucos ante indicti Concistorii dies Acta, seu Propositiones ut vocant, ad singulos Cardinales transmittuntur qui easdem examini subiiciant. Postmodum Summus Pontifex in Concistorio coram Cardinalium eorumdem Collegio singillatim cuiuslibet Candidati nomen profert, Ecclesiamque cui illum praeficere animo destinaverat, et Cardinalium sententiam et votum pro unoquoque exquirit solemni adhibita formula « Quid vobis videtur »? Cardinales in electionis probationem assurgunt: nec ulla intercedendi aequa ratio ut plurimum esse potest, quippe omnia in antecessum ad trutinam diligenter excussa sint. At si casus obtingeret cuipiam ex Cardinalibus pro sua conscientia electionem minime probari, is pro sui officii debito, modeste quidem at non minus firmiter eidem obsistere teneretur. Liceat in rei probationem ad testem certe non suspectum Benedictum XIV de Synod. dioec. l. XIII c. I n. 7 iterum provocare « Cardinales, quia sunt Assessores, Collaterales et Coadiutores Papae, uti eos vocat S. Bernard. l. IV. *de Considerat. ad Eugenium*, ideo « cum a Papa in consilium adhibentur, teneantur, quid coram Deo sentiant « ingenue aperire. Cum per ipsum Romanum Pontificem (verba sunt Nicolai

« III in cit. cap. *Fundamenta de Elect.* in 6.°) in quibuscumque negotiis con-
« tingeret eorum peti consilia, in consulendo per omnia liberi, eidem Romano
« Pontifici in omnibus, quae pro tempore imminent, libere consulant et assi-
« stant. Nec possunt, sine culpa, consilium suum reticere, aut ambiguis ver-
« bis obductum proferre, etiamsi praevideant, illud ab aliis Cardinalibus, atque
« ab ipso Pontifice respuendum : quod recte tradunt Ioannes Hieronymus
« Albanus de Cardinalatu q. X. et Hieronymus Platus *de Cardinalis dignitate*
« *et officio* c. 28. »

At aiunt plures esse Episcoporum electiones, quas summus Pontifex per Brevia peragit ac in Concistorio Cardinalibus effectas iam esse renuntiat. At vero in his etiam (missis episcopis in partibus, aut si quando urgens necessitas postulet extra ordinem Episcopum absque mora Ecclesiae praefici : quibus tamen quoque in casibus praecedit semper processus et diligens inquisitio in vitam et merita Candidati) eadem methodus servatur. Huiusmodi enim electiones obtinent ut plurimum in Vicariatibus Apostolicis, aliisque regionibus, quae a S. Congregatione de Propaganda Fide reguntur. Itaque in illis mos est ut Clerus tres eligat candidatos, notato etiam in quem maior minorve suffragiorum numerus conspiraverit ; sicubi Dioeceses constitutae iam fuerint ; ut e. g. in Statibus Foederatis Americae, comprovinciales Episcopi una simul convenientes factam electionem aut probant aut corrigunt : demum nomina processuumque acta ad Congregationem Cardinalium a Propaganda Fide transmittuntur, qui ad examen omnibus rursus revocatis suffragia ferunt, isque qui plura consequatur Summo Pontifici nuncupandus proponitur — At nihilominus reprehendunt vitioque vertunt Catholicae Ecclesiae nullum in Episcoporum electionibus fidelium plebi, ut olim, patere locum — Sed si obiurgatio aut expotulatio haec aliqua veri specie ab illis proponi queat, qui potestatem regendae et administrandae Ecclesiae a Christo Dno primo et principaliter fidelium plebi collatam autumant, nullam prorsus aequam causam penes alios habere potest. Etenim ut quisque sanus videt in fidelium suffragiis Episcoporum electiones hodie conferre, idem profecto foret ac partes turbasque in illas invehere, quae in politicis obtinent ; quo bono et utilitate Ecclesiae quisque perspicere per sese potest. Quare etiamsi fuisset olim moribus receptum et praesente et testimonium dicente fidelium plebe Episcoporum electiones fierent, experientia postea duce ac magistro consultius visum est disciplinam nativae indoli et origini ecclesiastici ministerii magis consonam subrogare, scilicet ut ab iis qui legitima in rem missione et potestate a Christo data sunt praediti praesides Ecclesiis praeponerentur. Idque eo vel magis quod methodus etiam sit securior, quippe et diligens praecedat inquisitio in candidatorum merita, et plurium suffragiis electiones fiant, at una simul absque partium studio, pacate, sedateque, ut, quantum humanae res patiuntur, pastores Ecclesiis nonnisi dignissimi praeficiantur.

« De Immunitate Romani Pontificis a laica iurisdictione, deque eius Principatu civili »

Corollarium IV. Ex supra demostrata propositione « Romano Pontifici competere potestatem iurisdictionis plenam, perfectam, nullo limite circumscriptam, atque adeo independentem prorsus ab omni aucto-

RITATE HUMANA » PRONO ALVEO FLUIT QUOD ROMANUS PONTIFEX SIT IN REGIAE CONDITIONIS STATU TAM IN SPIRITUALIBUS QUAM IN TEMPORALIBUS, SEU IPSE EST REX NON SOLUM QUATENUS SUPREMA POTESTATE LEGIFERA, IUDICIARIA, COACTIVA GAUDET IN UNIVERSAM ECCLESIAM, QUAE EST SOCIETAS MAXIME IURIDICA ET INTERNATIONALIS, SED ETIAM REX EST QUATENUS PRINCIPATU CIVILI POTITUR IN PARTEM ITALI TERRITORII, QUAE STATUS PONTIFICIUS SEU ECCLESIASTICUS AUDIT, QUEMQUE DEUS SINGULARI PROVIDENTIA SUA EI ADIUDICAVIT IN TUTELAM PONTIFICIAE SPIRITUALIS LIBERTATIS ATQUE OMNIMODAE INDEPENDENTIAE.

Quae, quo pateant magis, hoc ordine exponenda et probanda, ut 1°) ostendatur ex iure divino immunitas Romani Pontificis ab omni humana potestate: cuius 2°) immunitatis perfecta actuatio est principatus civilis ceu medium ad illam necessarium. 3.° Principatus autem civilis legitimus prorsus est, a quo Romanus Pontifex nonnisi vi sacrilega et iniqua usurpatione deiectus est: 4.° unde rex tantus spoliatus in possessione dicti principatus restituendus est, ad quascumque manus ille devenerit, 5.°) etiam ex eo quod nunc et semper sit necessarius immunitati et independentiae Primatis in universam Ecclesiam prout R. Pontifex multiplici declaratione omnes docuit fideles : 6°) de cuius declarationis valore tandem inquiritur. *Uti rem momenti maximi*, ius Principatus civilis tractandum vult R. Pontifex nominatim Leo XIII ad Card. Rampolla epist. an. 1887 et ad Episcopos Italiae.... *et animis inculcandum.* « Quod enim saepe diximus saepiusque est dicendum in civili Principatu non humana *quaedam res*, sed *libertas vertitur officiorum Apostolicorum ac iurium*.... quid iustitia postulet quid Sedi Apostolicae ad divinum munus suum desideret. *Leo XIII epis. ad Episcop. Cremon. 20 April 1889.* Et cum alibi idem Pontifex dicat in hac quaest. causam agitari *iuris publici*, necessarius ab ipso dicatur Principatus civilis saluti totius humanae societatis et causa internationalis sit: ab ea, scribentes nos de iure publico non possumus abstinere quin praeclaram doctrinam Ipsorum Romanorum Pontificum (quam plurimi praesertim Itali catholici scriptores editis libris usque ab hanc diem pulcherrime explicarunt) in compendium contrahamus ita ut ferme ipsis R. Pficis verbis loquamur.

Assertum I. IURE DIVINO ROMANUS PONTIFEX a) GAUDET IMMUNITATE A LAICA IURISDICTIONE: b) CUIUS IMMUNITATIS IUS QUIDEM EST NECESSARIUM ET ESSENTIALE PRIMATUI A CHRISTO INSTITUTO, c) EXERCITIUM VERO NON ABSOLUTE NECESSARIUM EST UT ECCLESIA SIT, SED UT EA BENE SIT, VITAMQUE EAM SOCIALEM PERFECTE VIVAT, AD QUAM IUS HABET. Palmieri de Rom. Pontif. Thes. XXIV.

Decl. et prob. quoad 1.m Immunitas generatim est exemptio ab aliquo munere seu onere, quo alii tenentur: et distinguitur triplex personalis, realis, localis prout ipsa persona vel res, aut locus aliquis eximitur directe et immediate ab aliquo onere aut servitute. b) Immunitas personalis, de qua praesertim heic agitur, definiri quoque solet *privilegium, quo persona a communi aliqua obligatione* seu *onere eximitur :* et speciatim dici solet privilegium fori et canonis, cui consequenter adnectitur exemptio a tributis. Huc revocanda quae distinximus *tit. de Privileg. Clericor. in Instit. canon. l. de Personis* ad declarationem, quaeque attulimus

ad probationem pro iure divino immunitatis competentis omnibus clericis in communi - c) Neque heic quaestio est de immunitate quoad res spirituales, sacras, sanctas, et religiosas, sed circa res profanas et civiles ; *an Rom. Pontifex gaudeat exemptione* e. *g. a foro laicali tam in civilibus quam in criminalibus causis: an ipse curis saecularibus an onere tributorum gravetur?* — d) Ut autem probetur Romanum Pontificem gaudere tali exemptione et immunitate a iurisdictione laica sufficit probare eumdem esse divinitus auctum ea qualitate vel dignitate, qaae excludat dictam laicalem iurisdictionem. Et re quidem vera

1.° Potestas coactiva, ut arguamus cum Palmieri l. c., quae propria est iurisdictionis, requirit talem vim in alium, ut ab hoc illa nequeat superiori potestate impediri aut ligari. Atqui Rom. Pontifex potest impedire aut ligare quamlibet potestatem coactivam, quae in ipsum exerceatur. Nam Rom. Pfex vi primatus habet ius praecipiendi quae maxime necessaria aut valde utilia sint Ecclesiae. Atqui maxime utile est ut in Rom. Pontificem non exerceatur vis legalis coactiva : quia esset maxime indecens 1.° quod Christi Vicarius, totius Orbis Pater in carcerem detrudatur, poenisque multetur, aut in rebus suis onere aliquo gravetur : 2.° id maxime officere existimationi, qua praecipue gaudere debet : 3.° id vehementer nocere recto ac tranquillo regimini Ecclesiae. Ius itaque habet R. Pontifex ratione auctoritatis suae superioris, quae est fastigium Primatus impediendi quamcumque vim legalem coactivam erga seipsum, atque solvendi quamlibet legem in seipsum ab alio latam — Insuper id R. Pfici competere prob. etiam seqq.

Dixi IURE DIVINO competere R. Pontifici dictam immunitatem. Nam *l. de personis c. de privileg. clericor.* vidimus excellentiam et dignitatem status ecclesiastici exigere talem exemptionem: ergo a fortiori id dicendum de R. Pfice, qui fastigium tenet dignitatis et excellentiae ecclesiasticae : atqui excellentia et dignitas status ecclesiastici praesertim ordinis presbyteralis et episcopalis est iuris divini : ergo.

Insuper Trid. *sess. 25 c. 20* docet personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus esse constitutam. Et in t. *de Foro comp. c. Noverit.* nec non *c. gravem de sent. excomm.* hoc idem ius canonicum, ipsum quoque comprehendens, statuit Rom. Pontifex, et in statuendo non erravit. Atqui non potuisset statuere nisi ex iure divino esset iam per se immunis, seu antecedenter ad ius statuendum non est iure subiectus: qui enim subiectus est iure, non potest sua voluntate se subducere. Ergo iam erat immunis, non iure humano; ergo divino consequente ex Primatu.

Accedit auctoritas DD. quos inter Suarez *Defensio fidei cath. l. 1 sect. l. c. 16* « Dicendum est, inquit, summum Pontificem *ex divino iure* habere exemptionem et immunitatem ab omni iudicio ac iurisdictione saeculari etiam imperatorum ac regum ».

Prob. assertum quoad II.m scil. ius immunitatis est quidem necessarium et essentiale primatui a Christo Dno instituto· Ut potestas essentialis, pergit Palmieri l. c. dicatur alicui opus non est ut eius exercitium sit subiecto essentiale et necessarium, sed satis est quod cum essentia rei ipsa sit necessario connexa: ita potestas quamlibet scientiam acquirendi est essentialis intellectui, potest tamen esse intellectus sine eius potestatis exercitio. Unde quamvis ratio potestatis sit finis; quia tamen quaestio esse potest de fine, postulari nequit, ut

norma iudicandi an aliqua potestas sit *subiecto essentialis* desumatur ex necessitate actus, propter finem : cognita enim essentia subiecti, desumi potest ea norma ex nexu, quem potestas habet cum essentia eius, Ex fine vero desumetur ratio iudicandi an actus necessarius et essentialis sit nec ne. Porro ius est potestas quaedam. Atqui ex probatis constat potestatem hanc cum essentia Primatus esse intime nexum, nec posse esse Primatum quin ipsa sit. Ergo ius hoc necesse est ut insit Primatui, eique est essentiale. Itaque sicut essentiale est Primatui potestas recipiendi ex toto orbe christiano appellationes a quovis primo iudicio episcoporum; sicut essentiale eidem est ius exercendi quoscumque actus iurisdictionis episcopalis in universam Ecclesiam, quamvis exercitium horum iurium non sit necessarium: ita essentiale dicendum est Primatui ius immunitatis a laica iurisdictione. Si ergo ius ipsum immunitatis spectetur et quaestio fiat an primario vel secundario iure seu praecepto divino naturali per ipsam institutionem Primatus constitutum sit : respondendum est ius illud seu eam moralem potestatem (ius enim potestas est quaedam) primario iure seu praecepto eonstitutum esse : voluit enim Deus ut ius illud esset de essentia Primatus, et ab eo proinde inseparabile » Unde merito immunitatum Ecclesiae vindex S. Anselmus Cantuarien. *epist 8 l. 4.* aiebat « nam nihil magis diligit Deus in hoc mundo quam libertatem Ecclesiae suae. »

Unde sequitur I. Romanum Pontificem vi Primatus seu Catholicitatis cui praeest, habere ius morandi in quolibet territorio absque ulla subiectione legis positivae humanae.

II. Statum convenientem Summo Pontifici esse tantum regalem, quia independentia de facto quae respondeat eius independentiae de iure, nequit re stabiliter haberi attentis circumstantiis et humana indole, quin polleat principatu civili prout infra melius patebit.

Seq. III Ius ipsum immunitatis quâ divinum, nequit a voluntate vel ipsius Rom. Pontificis dependere. Exercitium vero illius iuris cum absolute necessarium non sit potest quandoque non extare; sicut de facto aliquando non fuit ; et potest magis vel minus esse plenum. Quod immunitatis exercitium praeter ipsum ius divinum indiget aliqua determinante causa. Quae si *obiective sumatur*, erit utilitas Ecclesiae, sed *efficienter*, habebitur auctoritas illa suprema, quae omnia regit in Ecclesia scil. auctoritas Rom. Pontificis cui incumbit ex mandato divino (Pasce oves meas) consulere utilitati Ecclesiae universae. Unde in Rom. Pontificis potestate est tum praecipere ceteris ne immunitatis exercitium impediatur, tum determinare modum ut ius illud recte exerceatur, sed iuri ipsi non potest renuntiare.

Sequit. IV. Ius hoc immunitatis nullatenus est repetendum a potestate saeculari. Nam ius illud quippe quod est proprium et intrinsecum Primatui nequit originem ducere nisi ab ipso Primatus Institutore. Insuper non posset a civili constitui Omnis enim auctoritas sicut nequit seipsam simul et affirmare et negare, ita non potest conferre ius independentiae a seipsa quod habeatur independenter a suo consensu. Reges vel antiqui Italiae inhabiles erant sive ad conferendum Rom. Pontificibus sive ad auferendum ab eis : est enim ius superioris potestatis.

Unde ad *obiectionem*, quod Principes saeculares suis legibus ecclesiasticam immunitatem sanxerunt, quas leges Ecclesia amplexa est, imo ait iure divino

et *humano* ecclesiasticas personas constitui immunes. *respond.* quod eae leges spectant a) Ecclesiasticam immunitatem universim. Oportet autem advertere quod Ecclesia habet ius immunitatis et potestatem praecipiendi ut eius liberum exercitium a nemine impediatur, tamen si principes, qui vi materiali praevalent, impedire velint illud, non poterit *physice* ipsum haberi. Ut ergo actu immunitatis ius exerceatur, opus est ut Principes faciant id, quod iure debent, nempe desistant ab illicita violentia, qua illud impedirent, et leges condant, quibus tuentur in suis subditis immunitatem ecclesiasticam, quibus legibus non confertur quidem ius immunitatis, sed praesidium libertati Eccl. praestatur, iisque ligantur subditi laici. b) Cum vero canones dicunt immunitatem Ecclesiae esse ex divino et humano iure: si de iure constituente agatur ius humanum est ius Ecclesiasticum e. g. Tridentinum cum docet ius constituens immunitatem esse ordinationes divinas et canonicas sanctiones, aut cum Leo X. negat iure ullo humano aut divino competere laicis potestatem in personas ecclesiasticas. Si vero agatur non de iure constituente sed et de iure praecipiente laicis ne violent Ecclesiae ius, et de iure removente id, quod prohibeat exercitium legitimum iuris ecclesiastici, dici potest ecclesiasticas personas gaudere immunitate etiam iure civili.

Prob. assert. quoad III.m sc. exercitium non est absolute necessarium ut Ecclesia sit, sed ut bene ea sit . . . Dixi non est necessarium ut Ecclesia simpliciter sit quia cum primis Ecclesiae saeculis Rom. Pontifex non gauderet huiusmodi exercitio, Ecclesia tamen stabat. At addimus: necessitas tamen est huiusmodi exercitii ut Ecclesia bene sit seu vivat eam socialem vitam perfecte, ad quam ius habet. Nam omne ens ius habet non tantum ut sit, sed etiam ut bene sit perfecto modo convenienti naturae suae praesertim illud ens, quod non propter alia est, sed propter quod sunt alia, quale est Ecclesia, propter quam cetera existunt. Sed ut Ecclesia bene sit, necesse est evidenter, ut in actum deducantur omnia eius iura, inter quae potissimum sunt iura sui capitis, cui non frustra Deus dicta iura contulit.

Et re quidem vera ut perfecta sit vita socialis Ecclesiae, necesse est 1) ut supremum eius caput semper gaudeat actu plena et perenni libertate docendi scil., ferendi leges poenisque coercendi omnes reos etiam reges 2) ut pax et tranquillitas regiminis ecclesiastici sit *ex se stabilis* independens prorsus a voluntate mutabili hominis, cui Ecclesiae cura non est commissa: 3) ut exercitium potestatis Capitis Ecclesiae *ita certo constare possit* omnibus fidelibus et excludantur exceptiones probabiles quas promovere possent contumaces aientes Rom. Pontificem libere non agere. 4) ut Pastor immediatus omnium fidelium *alienus* sit a contentionibus inter fideles populos fervescentibus, ne ut ipse amittat debitam fiduciam et reverentiam suorum fidelium, eiusque decreta suspicione laborent, quod in favorem unius Principis sint edita: 5) Ut eo sensibili splendore cultus et honoris honestetur Primatus, qui idoneus sit penes omnes homines (qui in sensibilibus intelligibilia percipiunt) ad conciliandam ei existimationem convenientem summae suae auctoritati, et ad amovendum periculum ne auctoritas sua apud homines vilescat.

Atqui haec omnia exigunt immunitatem omnimodam a laica iurisdictione in quavis hypothesi socialis hominum conditionis. Si enim R. Pontifex non esset immunitate hac praeditus 1. morali necessitate ob naturam depravatam

eveniret ut Principes auctoritati suae nimium studentes vellent prohibere Pontificem ab iis quae sibi non placent, vel aulici saltem prohiberent, atque ita R. Pontifex non gauderet plena et perenni libertate docendi, ferendi leges, puniendi etiam ipsos principes excommunicatione etc. — 2. Contraria hypothesi tranquillitas regiminis ecclesiastici non foret *stabilis per se* h. e. ex virtute intrinseca auctoritatis: nam haec tranquillitas penderet etiam ab extrinseca voluntate principis, qui Pontificem cogere et eius actiones impedire posset: et quamvis id non faceret, tamen si vellet, physice semper posset; atqui principis voluntas est mutabilis: unde etsi promitteret iuramento se id non esse facturum, tamen cum voluntas sit mutabilis, finis intentus precario obtineretur et per accidens, non per se. — Neque obtinetur 3.m et 4.m elem. mai. Certo enim non excluderetur probabilis exceptio contra non spontaneum exercitium pontificiae auctoritatis. Et quia natio quaevis adversatur civiliter iis omnibus, qui ad inimicam pertinent nationem, Ecclesiae Caput evaderet frequenter obiectum aversionis eorum Christianorum qui cum suo Principe bellum gererent, suaque decreta quae forte non placerent, suspicione laborarent quod forte in gratiam Principis sui edita sint: atque proinde erunt semper contemptui obnoxia. Hinc tandem non obtineretur 5.m i. e. ille sensibilis splendor cultus, qui Primatui posset magnam apud populos conciliare existimationem. Nam si R. Pontifex posset traduci ad laica tribunalia, atque a laica potestate paenis multari non secus ac reliqui cives, eius auctoritas apud hominum multitudinem certo vilesceret: qui enim fieri potest ut ab omnibus maior certo habeatur iis, qui possent illum iudicare et punire?

Assertum II. Perfecta porro a) actuatio huius immunitatis est Principatus civilis, qui providente Deo institutus est, ut R. Pontifex ad Ecclesiam regendam eiusque unitatem tuendam plena illa potiretur libertate b) quae ad supremi apostolici ministerii munus obeundum requiritur. *Palm. l. c.*

Prob. Assert. quoad I. *Principatus civilis est perfecta actuatio immunitatis* Rom. Pontificis. Et re quidem

a) ratione patet: Si spectetur immunitas in actu 2° quoad essentiam poterit esse sine Principatu civili etiam nunc *si* Princeps in cuius territorio sit R. Pontifex, eius independentiam admittat, adeoque ex perspecta pietate Principis sive ex pactis initis cum nationibus christianis sive alio modo, quod scil. Princeps numquam vindicaturus sit ius contra R. Pontificem. Atqui 1) si consideretur Principem vel quicumque suprema potestate aucti, pronos esse ad amplificandum territorium suum. 2) Cum ratio territorii, quo quis versatur, sit ratio cur hi subditi sint huius vel illius, sequitur quod quicumque iugiter sit in territorio alicuius regis connumeretur per se subditis eius: 3) atque ideo hanc exemptionem R. Pontificis induere rationem privilegii quoad exercitium concessi a voluntate Principis. 4) Principes plerumque eos esse, quibus haud infrequenter sunt a Pontifice praecipienda, quae ipsis non placerent: hinc 5) summum periculum est, ne, si R. Pontifex suo officio deesse nequit, Princeps saecularis potestate sua physica abutatur.

b) auctoritate magistri infallibilis. « Illud omnes facile intelligent aiebat Pius VII (Allocut. 16 Mart. 1800 contra Napol. I) Romani Pontificis quamma-

xime esse libertatem summi sui temporalis imperii tueri, quod non minus a Deo est, quam ab eodem sint imperia ceterorum Principum; *quodque tam arcte cum liberiore, expeditiore, promptiore usu supremi sui spiritualis Primatus, ideoque cum summis ipsius Religionis rationibus, utilitatibus, commodis, coniunctum et colligatum est.*

Pius IX *encycl. 19 Ian. 1860* Epis et Catholicis fidelibus congratulatus *ob praeclaras* ut ipse ait, *significationes omni certe laude ac praedicatione decorandae et aureis nobis in Catholicae Ecclesiae fastis inscribendae*, sic congratulatus inter cetera protulit « Ipsum Principatum civilem Romanae Ecclesiae constanter tuentes profiteri et docere gloriati estis, eumdem singulari divinae illius omnia regentis ac moderantis Providentiae consilio datum fuisse Romano Pontifici *ut ipso nulli civili potestati unquam subiectus supremum Apostolici ministeri munus sibi ab ipso Christo Duo divinitus commissum plenissima libertate ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat.* » Leo autem XIII docet epist. ad Card. Rampolla « Principatui civili Romanorum Pontificum bellum inferre idem esse ac ipsam eorumdem spiritualem potestatem aggredi. « Si animadvertatur, inquit, bellum Romanorum Pontificum Principatui illatum Ecclesiae hostes semper auctores habuisse, atque ultimis hisce temporibus perduellium coniuratorum sectas, quibus in dominatu evertendo civili mens fuit, ad ipsam spiritualem Pontificum potestatem aggrediendam atque oppugnandam viam sibi aperire: hoc idem manifesto confirmat etiam *dum regium Romanorum Principatum in divinae Providentiae consiliis esse tamquam medium ad pacificum Apostolicae ipsorum potestatis exercitium quum eorumdem autonomiam libertatemque efficienter tueatur.*

c) patet ex probata 2ª parte assert. quae est seq.

Prob. Assert. quoad 2m Scil. Civilis Principatus ad hanc independentiam est *unicum medium* ratione certorum adiunctorum. Finis est ut Ecclesia vitam suam socialem non solum agat, sed *perfecte* agat, fruatur proinde R. Pfex perfecta libertate — pax ecclesiastici regiminis sit ex se stabilis, cum omnibus fidelibus ita libere communicet R. Pontifex ut certo constare possit omnibus decreta eius ab ipso sponte procedere, eique omnes plenam fiduciam et observantiam praestent. Atqui si res historice spectetur, et ratio morum habeatur, quibus regi solent humanae societates affirmari generatim potest quod difficile prorsus seu moraliter impossibile sit, ut haec bona obtineantur sepositis miraculis, si R. Pontifex non gaudeat civili Principatu. Nam 1) si non iure, saltem facto esset obnoxius Principi territorii, qui vi sua abuti semper potest in R. Pontificem inermem. Hinc 2) neque integra neque omnibus evidenter constans esset libertas Rom. Pontifici necessaria « Omnibus enim compertum est fideles populos gentes, regna numquam plenam fiduciam et observantiam esse praestitura Rom. Pontifici si illum alicuius Principis vel gubernii subiectum, nec liberum esse conspicerent. Si quidem fideles populi et regna suspicari ac vereri numquam desinerent ne Pontifex sua acta ad illius Principis vel gubernii, in cuius ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc praetextu saep' refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus, et Apostolicae Sedis, qui nunc Romae dominantur, quanam fiducia et observantia ipsi essent excepturi monita, hortationes, mandata constitutiones Summi Pontifices, cum illum cuiusvis Principis vel gubernii subditum esse agnoscerent, praesertim vero, si cui subesset Principi inter quem et Romanam ditionem diuturnum aliquod ageretur bellum? Alloc. Pii IX.

Quod argum. ex fine sic quoque efferri potest. Ille est plane evidenter liber qui non solum iure, sed et facto seu effective immunis est ab aliorum dominio, et sibi est sufficiens. Atqui talis est qui est princeps civilis effective status alicuius amplitudinis. Nam a Rege temporali concessi honores vel quaecumque personalis immunitas exhiberet quamdam precariam libertatem non permanenti modo: in qua hypothesi non esset insuper evidens R. Pontificem gaudere omnimoda libertate et independentia ab influxu territorialis Principis.

2. Dixi supra *si historice res spectetur*. Quod argumentum ex historia atque experientia ut compleatur, dico quod ex historia evidenter patet sine Principatu civili plus minusve fuisse impeditam Pontificis Maximi libertatem. Ab initio enim ad Constantinum M. usque libertas Rom. Pontificis catacumbis fuit restricta aut martyrio. Pace reddita Ecclesiae per M. Constantinum, haec libertas relicta iacebat sub diro imperatorum, et barbarorum imperio atque arbitrio, adeo ut multifariam sacrum Primatus ministerium impediretur donec iure et facto civilis Principatus fuerit constitutus — Idem dicatur de 2.ª periodo scil. quoad Pontifices subditos Byzantinis imperatoribus, quod de 1.ª periodo h. e. quoad Pontifices martyres et subditos Romanis imperatoribus dictum est; numquam videlicet obtinuit Ecclesia libertatem atque independentiam. Hanc porro obtinuerunt Pontifices in 3.ª periodo cum scil. Pontifices simul reges temporales essent: quam plenissimam libertatem tunc solum non potuerunt exercere cum, licet ad tempus, vi deiecti fuerint throno. Iamvero cum ad argumentum ex inductione atque morale quaedam sufficiant exempla et pauci anni: quid ad hanc Principatus civilis necessitatem monstrandam facient exempla innumera saeculorum retroactorum decem et novem?

3. Hinc mirum non est si plurimi RR. Pontifices scil. a saec. VII.º ad nostram aetatem omnes et inter eos praecipui doctrina et sanctitate insignes illud dominium retineant et vindicent contra eos, qui invadunt aut turbant ejus pacificam possessionem. Leo XIII de facto suorum praedecess. et suo sic ad catholicar. ephemerid. scriptores. *serm.* 22 *Febr.* *1879* docet « Interest idcirco quam maxime, ne qua errandi relinquatur occasio, rursus in Catholicorum mentem reducere supremam Ecclesiae potestatem, quae Petro eiusque successoribus divinitus collata est, ut universam Christi familiam in fide contineret, et ad aeternam coelestis regni beatitudinem adduceret: ex divina ipsius Christi institutione, plenissimam sibi libertatem vindicare: ad hanc autem potestatem libere toto orbe exercendam providissimo Dei consilio factum esse ut post periculosa primae aetatis discrimina civilis Principatus Romanae Ecclesiae adiiceretur, eidemque longo saeculorum tractu inter infinitas rerum vicissitudines regnorumque ruinas conservaretur — *Hac autem ratione sane gravissima, non regni ambitio, ut saepius ediximus, non dominandi cupiditate permoti, Romani Pontifices quoties civilem hunc principatum turbari et violari senserunt, Apostolici muneris esse putarunt sacra Romanae Ecclesiae iura sarta lecta servare et pro visibus tueri: Nosque ipsi praedecessorum Nostrorum exempla secuti, haec eadem iura asserere et vindicare non praetermissimus, neque umquam praetermittemus.*

4. Neque mirum si Concilia omnia Generalia, quae per id temporis celebrata fuerunt scil. novem, non solum nil invenerunt in hoc dominio temporali re-

prehendendum: sed plura ex his specialia decreta constituerunt ad has possessiones defendendas. Nam Lateranense IV^m et Tridentinum in violatores temporalis dominii Ecclesiarum anathematis sunt interminatae (Trid. Sess. 22 c. 11); quin imo ipsum Constantiense Concil. quamvis vellet reformare Ecclesiam in capite et in membris nullatenus illegitimum putat Principatum Romanum et decreta pro administrando illo per suos legatos condidit.

Inter censuras speciali modo reserv. R. Pontifici n. XI habetur Invadentes, destruentes, *detinentes* per se vel per alias civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis nec non ad singula praedicta auxilium, consilium favorem praebentes. »

Inter simpliciter reserv. n. XII. « Omnes qui excommunicatione multantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos* 14^a Kalend. April. 1567 — Innoc. IX *Quas ab sede* pridie nonas Nov. 1591. Clemen. VIII *ad Romani Pontificis curam* 29 Iun. 1592 Alexand. VII *Inter ceteras* IX Kalend. Nov. 1660 alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. C. respicientibus. »

5. Quid plura? Nonne ipsi RR. Pontifices ligarunt se et successores suos iuramento retinendi et nullatenus alienandi, infeudandi? Cf. testimon. apud Ferraris *Biblioth. can. V. Feudum a. 2.* Cardinales in assumptione pilei rubri et Sede vacante idem iurant. His omnibus accedit proscriptio errorum quam deinceps Pius VI et Pius VII nec non Pius IX et Leo XIII pro civilis principatus defensione ac revendicatione per varias allocutiones addiderunt.

6. Mirus autem consensus totius Episcopatus catholici hac de re praeter allata argumenta per se apodictica exhibet aliud efficacissimum atque universale adeo ut quicumque hanc necessitatem non admittat catholici nomine indignus, atque ab Ecclesia extorris prorsus existat. Qualis sit hic consensus cf. integrum textum literarum, quas Episcopi omnes Romano Pontifici dederunt penes *La Civiltà Cattolica v. 2 Serie V, pag. 718.* Qui porro consensus laudatur a Pio IX in allocut. ad eosdem episcopos habita *9 Iun. 1862 in fin.* §. *Nihil item* dicimus de impia conspiratione. Hunc scil. consensum totius Orbis Episcoporum hac de re unanimem videre est in allocutione concistoriali ubi Episcopi ad quadringentos necessitatem hanc suo et omnium tam praesentium, quam absentium Eporum nomine agnoverunt et professi sunt. Eundem confer in quatuordecim vel 15 voluminibus contentum, quibus « La sovranità temporale dei Papi. *Civiltà Cattol. l. c.* Iamvero potestne error haberi circa assertum tam universale, tam expressum, tam solemniter proclamatum non ab hominum perduellium caterva, non a Massonum nefariorum secta, sed ab illo venerando praeclarissimorum virorum caetu, qui a Deo institutus promissum in docendo Sp. S. accepit, idque praesertim vel magis quod ipsis Epis ita docentibus simul doceat R. Pontifex, seu prob.

7. Ex *Roman. Pontificum doctrina.* Nam praeter dicta, innumera a Pio VII a Pio IX et Leon. XIII documenta prodierunt.

Ad Pium IX quod spectat sufficit in memoriam revocasse monumenta quibus vel proscribuntur errores de civili Romani Pontificis Principatu, ut in Syllabo praesertim *n. 76*, vel disertissimis et clarissimis verbis adstruitur doctrina Catholica de eiusmodi Principatus necessitate quam proin Catholici omnes firmissime retinere debent cf. Allocut. *Quibus quantisque* 20 April. 1849; Alloc.

Si semper antea 20 Mai 1850; Litt. Apost. *Cum Catholica Ecclesia 26 Martii 1860*; Allocut. *Novos 20 Sept. 1860;* Alloc. *Iamdudum 18 Martii 1861;* Alloc. *Maxima quidem 9 Iun 1862.*

Propos. 76 syll. proscribitur « *Abrogatio civilis imperii quo Apostolica Sedes potitur ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret* » — Et in *alloc. 18 Iunii 1859 Necessarium esse palam edicimus huic S. Sedi civilem Principatum*, ut in bonum Religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit. » Et citt. litt. Apostol. *Cum Catholica Eccl.* ait Et quoniam ad libere, ut par erat agendum *iis indigebat* (Ecclesia) *praesidiis*, quae temporum conditioni ac necessitati congruerent, *idcirco singulari prorsus divinae providentiae consilio* factum est ut cum Rom. corruit imperium et in plura fuit regna divisum *Rom. Pontifex* quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit civilem assequeretur Principatum quo . . . summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam.

Addantur Pii IX dictis praeclara Leonis XIII testimonia, qui vix ac gubernaculum naviculae Petri teneret encycl. *Inscrutabili 28 April. 1878* contra coeva mala remedium indicans positum in restitutione Principatus civilis Rom. Pontificis, aiebat « Nihil nobis potius esse debere cognoscimus quam ut Romanae Cathedrae suam dignitatem sarctam tectamque servemus » Quapropter ut in primis iura libertatemque huius S. Sedis adseramus, contendere numquam desinemus, ut auctoritati nostrae suum constet obsequium, obstacula amoveantur, quae plenam ministerii nostri potestatisque libertatem impediunt, atque in eam rerum conditionem restituamur, in qua divinae sapientiae consilium Romanos Antistites iampridem collocaverat — Ad hanc vero restitutionem postulandum movemus non ambitionis studio, aut dominationis cupiditate, sed officii nostri ratione: . . . Ac praeterea non solum ex eo quod Principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius — sed etiam quod exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis Apostolicae agitur, publici etiam boni et salutis totius humanae societatis causam agitari. Et ad Catholicarum ephemeridum repraesentantes 23 Febr. 1879 repetebat « Interest quam maxime rursus in Catholicorum mentem reducere supremam Ecclesiae potestatem, quae Petro eiusque successoribus divinitus collata est, ex divina ipsius Christi institutione, plenissimam sibi libertatem vindicare — *ad hanc autem potestatem libere toto orbe exercendam necessarium esse civilem Pontificis Principatum.*

Idem 24 April. 1881 ad Romanas Catholicorum societates « la Roma cristiana, inquit, ha per sè la sua storia e meglio della sua storia ha per sè i grandi disegni della Provvidenza divina, la quale ha voluto fare di questa Città il centro del Cattolicismo, la Sede augusta del Vicario di Gesù Cristo, la Capitale di tutto il mondo cattolico. Per molti titoli e tutti gloriosi Roma appartiene al Rom. Pontefice; Iddio gliel' ha data per tutela della suprema sua dignità ed indipendenza, per il libero esercizio del suo spirituale potere. E perciò i diritti che ha il Pontefice su di essa sono così sacri ed imperscrittibili che nessuna forza umana, nessuna ragione politica, *nessun corso di tempo, può giammai distruggere, nè tampoco menomare o indebolire.* E noi, cui per

divina disposizione incombe ora il debito di difendere e propugnare questi diritti, non falliremo per fermo coll' aiuto del Cielo all' arduo compito, anche a costo dei più grandi sacrifizi ».

In Alloc. habita in *Concist. 24 Martii 1884* « Quoniam igitur Ecclesiae romanique Pontificatus rationes quanto magis illi pessumdare adnituntur, tanto Nos studiosius conservare debemus idcirco hodierna die in hoc amplissimo consessu vestro denuo improbamus damnamusque, quodcumque est cum Apostolicae Sedis iniuria actum, itemque testamur omnia Nos iura eius ex integro *et in perpetuum salva velle.*

7. Nec quidquam contra efficiunt adversarii huic necessitati obiicientes scil.

a) Defectui Principatus vel exiguitati territorî supplere potest interventus legatorum gentium omnium qui caveant de libertate Pontificis.

Resp. Dist. Et hic interventus auferret hisce in adiunctis integrum malum *Nego.* Constitueret minus malum et precariam conditionem R. Pontificis *Concedo.*

b) *obiic.* Dominium temporale inferret impedimentum ministeriis spiritualibus: nam saepe, si Papa est Princeps temporalis, bellum alicui Catholico Principi indicere, aut uni favere potius quam alteri cogeretur; atqui id esset inconveniens et obstaret bono spirituali.

Resp. Id supponit imprudentem politicam Pontificis, et gratis supponit: et praeterea tale inconveniens esset per accidens.

c) *obiic.* Si Principatus civilis necessarius esset R. Pontifici pro suo ministerio spirituali, item erit necessarius Episcopis: ergo universus orbis iam destinatus esset regi ab omnibus principibus ecclesiasticis et non saecularibus.

Resp. Nego consequentiam antecedentis cum non eadem militarent incommoda. Si Episcopus privetur debita libertate, R. Pontifex praebebit remedium: at quis remedium ferret huic sua spoliato libertate, praesertim cum ab ipso doctore infallibili omnia fideles expectant? Addatur: ab Episcopis non pertractanda esse negotia internationalia, neque a Regibus, cum ipsis Epis, sed a Nuntiis et cum Nuntiis pontificiis.

d) *obiic.* Plura saecula praesertim a Constantini aetate R. Pontifex caruit Principatu civili: cur ergo Deus statim ab initio illum non instituit cum sit necessarius? Ergo indicium est quod non sit necessarius.

Resp. Ad anteced. 1) Divina Providentia res suaviter disponit et suum consilium exequitur ordinarie per ipsas causas naturales: cum ergo Romanum Imperium uni pareret, ut aliqua eius particula Romano Pontifici tribueretur, oportebat per humanas vicissitudines imperium Romanum dissociari et partem eius legitime subduci a potestate Principis: tunc enim nullus legitimus praetextus existere potuisset violati iuris, et tranquillissima possessione sua usus esset Rom. Pontifex. Id autem sensim sine sensu saeculo VIII.° tandem perfectum est. 2) Interea tamen divina Providentia ita res moderata est ut Romanus Pontifex liber in urbe Roma esset: et antequam omni specie regiae auctoritatis potiretur iam a saeculo V.° politica potestate utebatur Cf. *Brunengo Origine della sovranità temporale del Papa*, *De Maistre Du Pape lib. 2. c. 6.* Haec tamen conditio erat per se incerta et labilis atque obnoxia mutationibus et transitoria erat h. e. ordinata a Deo ad firmiorem statum et perfectiorem

obtinendum per Principatum. Quare ineptum esset postulare ut rursum ad eam conditionem redeatur.

Ad *consequent.* Ergo non est *absolute* necessarius *Concedo*: *relative* ad praesentem socialem conditionem *Nego.* Diximus enim in thesi necessarium esse Principatum civilem non ut Ecclesia simpliciter sit, sed ut perfecte et melius sit in ordine ad praesentes circumstantias h. e. ad mores hominum.

e) obiic. Ecce tibi Carolus Curci qui suo libel. *Dissidio* tra la Chiesa e lo Stato (opus iam damnatum) ait Quid si alius modus inveniretur Ecclesiae utilior quam temporalis Principatus ?

Resp. Nego suppositum, si moraliter contingentia considerantur : independentia enim et libertas quae obvenit Pontifici per Principatum civilem a nullo alio medio efficeretur. Quod omnibus Catholicis fixum certumque sit oportet, cum Pontifices summi non cessant unquam necessitatem illius proclamare : ergo omnis alius modus excluditur.

f) obiic. Consilium divinae Providentiae contrarium modo videtur evincere cum ipse Deus velit nationes suam servare unitatem politicam, nec non securitatem, tranquillitatem Italae gentis. Atqui per divisam in plura regna Italiam non obtineretur una politica natio, cum exponeretur semper excursionibus atque adnexionibus vicinarum nationum; ad minus ea semper conditione maneret qua Poetes Italiam pinxit *per servir sempre* o vincitrice o vinta.

Resp. 1. Si hoc bonum unitatis nationis aliter obtineri non posset, temporalis felicitas cedere debet spirituali bono et summo qualis est independentia et libertas Pontificis. — 2. Bono unitatis politicae consuleret alius modus e. g. confoederatio et auctoritas atque Protectio unius Rom. Pontificis super universam Italiam, cum ipse praepotens esset penes exteras nationes praesertim Catholicorum.

g) Quod si urgeatur « ex una parte in conflictum venit ius Ecclesiae ut ipsa melius sit seu ad perfectius obtinendum eius finem : ex alia parte confligit ius unitatis Italiae ut simpliciter sit societas regni italici. Atqui in conflictu duarum societatum iisdem membris coalescentium eam vincere debere quae rationem necessitatis pro se habet, eam vinci, quae ratione tantum utilitatis fulcitur. Ergo.

Resp. 1. Negatur suppositum quod heic pro Ecclesia militet tantum utilitatis ratio cum dominium temporale relate ad libertatem et independentiam Rom. Pontificis, quae et ipsa maxime necessaria est Ecclesiae, sit medium necessarium, quo libertate actionis R. Pontificis in tuto posita plures animae sanctificantur et salvantur, imo plures familiae, civitates et regna plura quam sine principatu civili : quo deficiente quot mala, quot peccata sequuntur, quot animae damnantur; porro sanctificatio et salus animarum aeterna est finis Ecclesiae 2. nego etiam suppositum veram esse regulam maioritatis deductam ex necessariis relate ad utilia : huc conferantur omnia quae ad confutationem dictae falsae regulae lib. I, n. 35, diximus Corollar. III.

Hoc corollar. cit. et typis iam impressum 1.o volum. omnino legatur ubi allato praecise exemplo de unitate Italiae quae in conflictum deveniat cum Principatu civili Apostolicae Sedis satis superque explicavimus ius Rom. Pontificis praevalere debere, ubi etiam ostendimus falsitatem regulae ex qua desumitur, praesens difficultas favore unitatis Italiae. Pauca Tarquini verba revo-

casse modo sufficiat. « In eiusmodi regula, ait, aut res ponitur extra quaestionis statum, aut falsum adstruitur... In eiusmodi regula *Utilia* necessariis cedant » utilitatis nomen aut necessitas omnis excluditur, quatenus scil. sine ullo detrimento possit societas aliis mediis uti, aut non; si 1.m extra quaestionis statum res ponitur; quandoquidem eo in casu nullus extat conflictus: sin alterum, falsum adstruitur; quandoquidem pari modulo societates impares iudicantur, et ea scil. quae altioris ordinis est, et ea, quae inferioris; quo fit ut bonum natura maius coaequetur bono natura minori et societas princeps societati subordinatae adeoque finis mediis: quae sane non modo falsa, verum etiam absurda sunt. » Et reapse omnis societas civilis relate ad Ecclesiam, est medium ad finem, atque adeo inferior et subordinata ipsi Eccl. quia tota felicitas temporalis inservit uti medium ad finem supernaturalem i. e. santificationem et salutem aeternam animarum. Tum dato et non concesso quod in casu ageretur de medio pro Ecclesia necessario ad finis sui perfectionem h. e. ut Ecclesia perfectius et melius sit; tamen in conflictu Ecclesia utpote societas altioris ordinis praevalere debet Italiae regno. Nam ut redeamus ad regulam, unde vis difficultatis obiectae. » Ea quae necessaria sunt, ait Tarq. ad perfectionem finis altioris ordinis respectu ad totum *finem in se spectatum*, qui sit ordinis inferioris, falso atque iniuria mere utilia dici, eaque ratione posthaberi. Utriusque enim vera est necessitas: illic quidem ad perfectionem finis altioris ordinis obtinendam, hic vero ad totum finem quaerendum natura viliorem. Cum autem inter duo bona, quorum aliud excellentius est, aliud vilius, illud praeferendum quod est excellentius: hinc tantum abest, ut ea, quae ad perfectionem pertinent finis ordinis altioris posthabenda sit iis, quae necessaria sunt ad finem ordinis inferioris obtinendam, ut contrarium sit imo statuendum ac tenendum. » Insuper relate ad salutem totius christianae reipubblicae Leo XIII affirmat simpliciter necessarium sibi esse Principatum civilem, quo solo tueri possit suam libertatem Primatui essentialem. Equidem, ut supra dicebam sine hac libertate, quae per principatum civilem obtinetur, innumeri fideles, civitates plures et cuncta regna terrae quoad plura membra finem ecclesiasticum non consequentur.

Ex parte autem nationis Italae negatur quod *de medio necessario* agatur: unitati enim Italiae per alia media, ubi modo dixi, occurri potest. — Insuper agitur non de simplici existentia *unitatis nationis* Italae; sed de unitate regiminis sub uno principe: quod pertinet ad rationem perfectionis, non ad simplicem unitatem nationis: sicut enim natio Germanorum una manet et est quin sub uno subsit dynasta, ita quoque manere potest et esse una natio Italorum. Tandem quantumvis exaggeretur unitas regiminis politici esse magnum nationis bonum ad quod quaelibet societas habet ius sibi procurandi *respond.* quaelibet natio ius habet sibi procurandi politicam unitatem salvo *aliorum iure Conc. absolute N.* Porro S. Sedi ius Principatus civilis est a Dei peculiari providentia concessum, pluribusque titulis quaesitum.

Assertum III. Breviter exposita 1) origine historica Principatus civilis Rom. Pontificis 2) asserimus varios ob titulos Romanae Sedi legitimam fuisse illius acquisitionem atque possessionem.

Declar. I.a pars De origine historica Principatus civilis R. Pontificis. In primis praenotandum 1. quod quamvis princeps mere saecularis h. e. subiectum

potestatis civilis non sit idoneum ut sic fiat subiectum potestatis ecclesiasticae; tamen subiectum auctoritatis ecclesiasticae idoneum est ut fiat etiam subiectum auctoritatis civilis. Ad rem Suarez de legib. l. 4, c. 10, n. 5. Princeps autem ecclesiasticus non ad hunc finem (ob lucra temporalia) accipit temporalem Principatum, sed ut Ecclesiae utilitati et fidelium commodis magis inserviat, et ideo illud temporale ita coniunctum spirituali non est saeculare omnino: sed aliquo modo sacrum; habere igitur talem potestatem civilem simul cum spirituali contra nullam legem divinam est, vel positivam, vel naturalem. Quod vero contra humanam non sit, per se notum est, nec indiget probatione. » Atque ita ceteri DD. unde quaestio reducitur ad factum.

Praenot. 2. quod *de facto* praeter dominia plurima proprietatis, habuerunt nonnulli Episcopi etiam iurisdictiones sic dictas seu Principatum in Regionibus, quarum erant Episcopi vel Abbates. Medio aevo in aliquibus Ecclesiis haec dominia obvenerunt ratione feudi, unde Episcopi et Abbates dicebantur Barones vel Feudatarii, comites aut marchiones vel duces — imo alii Episcopi Principes erant immediati et Electores S. R. I. e. g. Archiepiscopus Moguntinus; Coloniensis, Trevirensis, et Salisburgensis, quorum omnium principatuum causa, exorta est celeberrima de investituris quaestio, cum Henricus II, voluit comites suos in Episcopos convertere, seu sibi vindicare electionem atque institutionem Episcoporum et Abbatum ideo quia feuda ab Imperio obtinuerant. Haec porro quaestio finem habuit sub Callisto II an. 1124.

At, omnes inter Episcopos, Romanus Pontifex, sicut propter sapientiam prae ceteris aptior iurisdictioni exercendae in civilibus ac tum auctoritate sua tum divitiis, quibus pollebat, promptior erat iuvando populo, qui carebat omni auxilio et destituebatur defensore principe, ita evasit potentior prae aliis temporali etiam quarumdam regionum dominio. Unde si in dissolutione Romani Imperii, cum innumeris malis premerentur populi et auxilio indigerent, Episcopi eorum curam suscipientes, suis divitiis atque auctoritate illis succurrebant, id maxime praestabant Romani Pontifices populo romano et universae Italorum genti. Attilam e. g. flagellum Dei unus Leo M. nostris e regionibus avertit. Nemo enim est qui nesciat per S. Leonem factum fuisse an. 452 ut Attila Hunnorum rex, Romae parceret et cum copiis suis recederet. Paulo post an. 455 idem Pontifex a Genserico Vandalorum rege obtinuit ut Urbs servaretur : unde magis magisque in diem erga R. Pontificem *Romulei populi augescebat fiducia.* Cf. Vouters hist. eccles. an. 451-55. Itaque cum ex una parte Romani Pontifices quaerentes semper bonum populi, sint ex se valde idonei iurisdictionis, nec non divitiis atque *auctoritate* potentiores sive in hostes compescendos sive fideles ad defensionem patriae atque ordinis observantiam excitandos: ex alia vero parte cum societas christiana ius habens semetipsam salvandi, et deficiens organizatione civili aliunde praesto non haberet medium, quid mirum si ad Romanos Pontifices Christianus populus in Italia confugeret, ab iisque, commissa ipsis rerum summa, auxilium expectaret et regimen sequeretur ?

Dixi *populum praesertim Romanum et italicum deficientem defensore et civili organizatione.* Huc enim a) revocanda sunt quae historia nobis luculentissime suppeditat Cf. Brunengo Origini della sovranità temporale dei Papi. Orientis imperatores vel non valebunt nisi Romanos expoliare, vel pro populo

reclamantibus ad eos respondebant ut ipsi sibi meliori quo possent modo, consulerent; hinc omnium oculi in unum R. Pontificem convertebantur, ut aliunde auxilium ipsis provideret contra domesticas et externas discordias atque bella ab hostibus Longobardis excitata — b) Huc revocandum quoties a Romanis Pontificibus atque a populo vindicatae sunt Romanae Sedi *iustitiae* sic dictae S. Petri a Longobardorum avidissimis Principibus usurpatae.. c) Heic addite praeter restitutas iustitias S. Petri a Pipino et Carolo M. etiam exarchatum et Pentapolim quas *iusto bello* a Longobardis receperant iidem Principes Francorum, frustra et immerito Graecis reclamantibus earum restitutionem. Dixi *immerito*, cum Graeci ignavia et desertione sua omne ius ad eas provincias amiserant. *Ob ignaviam* dico et *voluntariam desertionem* non ob impotentiam historia teste Italiae provincias dereliquerunt, quibus certissime occurrere valebant. Dictarum provinciarum iuribus acquisitis et possessione firmatis apud Romanos Pontifices non obstat Francos Imperatores ceu Patritios Romanos coronatos esse: nam patritius nil aliud erat, quam Patronus populi et defensor Romani Pontificis, non quasi auctoritatem exercerent in Pontificem, sed honoris causa hoc munere defensoris Urbis Romanorumque Pontificum donabantur. Neque titulus Imperatoris Romanorum eis concessus iura maiestatica importabat. — d) Huc revocandum pariter est dissidium a Graecis excitatum ob bellum in sacras Imagines: et error Graecorum Imperatorum in hac re sufficiens ac iusta causa erat Christianis Italiae hos imperatores deserendi — e) Nec silentio praetereundae aliae validae donationes Romanos Pontifici factae e. g. Comitissae Mathildis, quae una cum dominio proprietatis dominium temporalis iurisdictionis auxere Romanae Sedi. — Unde vel ex his concludendum foret Principatum civilem fuisse legitimum iam a prima sua origine, immunem ab omnibus vitiis, quae ut plurimum comitari solent origines aliorum Principatuum. Nam a) ex supra dictis Principatus Romanus innititur spontanea populorum deditioni provocatae ex populorum indigentia et Pontificis potentia ac benevolentia quoad urbem Romam et vicinas civitates, quae Ducatus romanus dicebantur: b) quoad alias civitates innititur spontaneis principum donationibus, populis quoque acclamantibus.

Secundae partis erit singillatim titulos varios recensere, quibus legitimus constat Principatus Romanus. At in hac parte historica expedit prius exponere quomodo sese exceperint quibus ortus est, coaluit et adolevit Principatus civilis.

Mitto dicere quod haud opinate vel ex improviso vel a subitaneo facto politico dominium S. Sedis fuit constitutum sed diuturno tempore per saeculorum decursum disponente providentia divina ortus est: *saecula illud molita sunt regnum et bene molita.* Mitto nunc dicere veluti fundamentum huius principatus praebuisse patrimonia seu latifundia amplissima, quibus paullatim per pietatem tam fidelium, quam principum S. Sedes ditata est. Indicavi iam supremam vim auctoritatemque quam in res civiles summi Pontifices exercebant, quique postea in medium recurret. Venio nunc ad facta in tres epochas distincta quibus dominium illud proprietatis in dominium principatus civilis crevit: et *prima epocha* potius innotescit per quamdam civilem vim ac potentiam et graditur a scissione imperii orientali ab occidentali (395), et quod posterius veluti ad finem impulerunt successive regna Herulorum (475) et Ostrogothorum. Et quam-

vis imperium graecum Cpolitanum Italiam eiusque populos in suam redigere potestatem (554, 568) conatum sit, tamen nonnisi precariam possessionem Italiae, a Longobardis pluries impetitam, habuit.

Et quoniam contra horum Barbarorum invasionem seguiter valde ac plane inefficaciter Byzantini Imperatores Italiam defenderent, spes Italorum et salus patriae in RR. Pontificum interventione et auctoritate reponi caepit; atque ad eos tamquam ad principes suos ab omnibus coeptum est convolare. Hinc oritur *secunda epocha*, quae est veluti elaboratio primi nuclei dominii temporalis in statum Pontificium reipublicae Romanae cui haud multo post accedunt aliae partes Italiae Quem Principatum civilem agnoscunt et veluti confirmant dono quoad Ducatum Rumanum ad utramque Tiberis ripam Athalaricus et Theodatus successores Ostrogothorum regum (526-533). His addatur sanctio pragmatica Iustini Imperatoris Vigilio Papae concessa. *Tertia epocha est consolidationis* Principatus civilis.

Itaque tempore Constantini ad fidem conversi reddita pace Ecclesiae bona illa immobilia, latifundia amplissima aucta admodum sunt, praesertim occasione conversionis vel clericalis ordinationis, vel professionis religiosae quorumdam praedivitum, et etiam fidelium continuis oblationibus ita ut an. 600. Ecclesia Romana patrimonia sita haberet in Africa, Gallia, Sicilia, Corsica, Dalmatia et praesertim in Italiae meridionalis provinciis Campaniae, Calabriae, Lucaoniae, atque in Italia septemtrionali ubi Alpes Cottiae ad romanum spectabant patrimonium. Et prout ius et mos temporum ferebat tale patrimonium non solum ad *reales* possessiones ac proprietates sese extendebat sed etiam ad *personales* i. e. ad earundem agricolas, vinitores, conductores agrorum, pastores, rusticos pene universos, ad solum quasi alligatos, agrisque colendis ipsa nativitate mancipatos qui scil. servorum iure censebantur. Tam in hos omnes, qui magnam multitudinem constituebant, nexu servitutis suam exercebat iurisdictionem Ecclesia ita tamen ut pia Mater servile iugum mirum in modum leniverit. Quod si ob eiusmodi possessiones R. Pontifex et Episcopi ceteri non mediocrem auctoritatem in populum civiliter exercerent difficillimis currentibus temporibus, id obtinuit praesertim cum iam a saeculo IV. R. Pontifex et Episcopi permagna potestate in res civiles aucti sunt ab ipsis imperatoribus ita ut summi iudices atque administratores quoque civitatum et provinciarum constituerentur. Exemplo sit Patriarcha Alexandrinus Theophilus et S. Cyrillus, de quo Socrates vir rigidior et de rebus ecclesiasticis minus bene iudicans l. 7. c. c. VII. XIII queritur « Cyrillus sede episcopali collocatus maiorem principatum quam unquam Theophilus habuisset pariter sibi assumpsit... etenim ex illo tempore episcopus Alexandrinus praeter sacri cleri dominatum, rerum praeterea saecularium dominatum acquisivit. »

Idem Socrates pariter contra R. Episcopum ingeminat lamenta « Episcopatus Romanus, inquit, non aliter atque Alexandrinus ad saecularem Principatum erat iam ante delapsus.

Mediante saeculo V. cum prima barbarorum agmina imminerent Urbi suis summo periculo constitutis R. Pontifex praesto fuit. Nominatim S. Leo M. an. 452 effecit ut Attila Hunnorum rex Romae parceret et cum copiis suis recederet: anno vero 455 a Genserico Vandalorum rege obtinuit ut Urbs servaretur, et populus incolumis evaderet. Item sub Theodorico Gothorum rege

Ariano an. 488 R. Pontificis influxus in res civiles maximus habebatur; quod patet ex Cassiodoro Theodorici ministro (opp. t. 1. Epi. IX. 2) qui ad Ioann. II. Pontificem scribit « *Vos speculatores christiano populo praesidetis, vos patris nomine omnia dirigitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui divinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, vos omnia. Poscitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem, tamen nec ista potestis negligere quae corporis videntur substantiam continere, nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni patris est utraque refovere.* » Quae cura et directio quoad temporalia crevit deinceps. Nam Longobardorum tempore iam viget in Papa auctoritas, et protectio quam decet Principem habere in suos ita ut unicum refugium et tutum Italis praesidium in politicis apud unam. Apostolicam Sedem reperiri omnibus persuasum esset. Pontifex enim multoties pacem et pacta conciliat Italos inter et Longobardos, qui Pontificis dignitatem multo plus reverebantur, quam exarcharum imperialium potestatem. Quae Principatus paterni exeunte saec. VI et ineunte VII crevit magis magisque opera S. Gregorii M.: cuius scil. Pontificis labores tanti fuerunt ut eius moralis vis et potentia iam inde Principatui cuidam civili plane compar esset. Hinc Graecorum dominatione imbecille atque socordi effecta, in Longobardos invasores, Gregorio M. incumbendum fuit maiori negotiorum saecularium parti quam quisque ab ipso praesidium ac salutem peteret. Ipse Pontifex debuit impensas belli lombardis illati praestare, Romae et vastatis Italiae provinciis frumentum providere, securo otio habitantium invigilare, qui iustitia eius et mansuetudine nixi prompto animo ipsi obediebant. Hergenroether *Hist. Eccl. II.* Exeunte VII et ineunte VIII saeculo magis confirmatur regia protectio S. Sedis: Italique populi ipsum ut unicum sequuntur ducem. Unde fit ut dura et Italis exosa cum esset Longobardorum dominatio in maximam Italiae partem, eorumque rex Luitprandus Urbem iam obsideret Gregorius III omni spe destitutus accipiendi auxilii ab Orientis imperatore non solum derelinquente sed denegante quodlibet auxilium, cum posset, praestare: ad Carolum Metellum sese convertit Francorumque opem imploravit: Et quamvis C. Martellus tunc amicitia iunctus Luitprando Longobardorum regi armis R. Pontifici non subveniret tamen: apud eum obtinuit ut ab obsidenda Roma desisteret et in sua rediret dominia. Ast pax haec momentanea fuit et an. 741. S. Zacharias Gregori III successor cum Longobardorum rege tractat ut plures civitates et plura patrimonia R. Pfici restituat, quae maximam partem extra Ducatum Romanum erant sita, et quae Pontifici non vero imperatori Graeco ut possessio sua restituuntur. Quatuor insuper civitates redduntur ducatu Romano seu reipublicae Rom. in qua iam per longum tempus R. Pontifex *de facto* politicam habebat iurisdictionem.

Sub Pontifice Stephano II S. Zacchariae successore Longobardorum rex Aistulfus territoria mediae Italiae quae Byzantio adhuc subiecta erant, annis 751 et 752 occupavit atque Graecorum dominationem inde penitus extinxit — Hinc ab an. 752 omnimoda independentia R. Pontificis effulsit ab Orientis imperio: et Principatus civilis Rom. Pontificum ab hoc anno perfectus reputari potest, ac brevi post firmatus et ampliatus est. *Iungmann Dissert. hist. eccl. t. 3 diss. XIV. n. 29.* Aistulphus dein arma sua vertit ad expugnandum quoque Ducatum romanum: Stephanus II. pacem cum ipso iniit in annos 40: at iniquus

et periurus rex vix post aliquot menses faedera rupit. Stephano tunc auxilium Orientis postulanti Copronymus Imper. omnem denegavit opem, bello in S. Imagines intentus, Summi Pontificis et Romanorum arbitrio ceu derelictas Italiae provincias dimisit. Ad has incytas redactus Stephanus ad Francos confugit instituto in Galliam ad Pipinum invitantem itinere, qui Pontificem magnis iuvit auxiliis ita ut Longobardorum potestas depressa ac demum contrita prorsus fuerit.

At ecce mediante sacculo VIII ad regnum Francorum elevatur Pipinus, abdicata antiqua Merovingorum stirpe: nam eousque Maiordomus seu dux et princeps Francorum nomine regis Childerici III Morovingorum Pipinus fuerat. « Romani Pontifices, ait Inngman l. c., sua auctoritate atque interventione Pipini regnum firmiter stabiliverunt, atque inde grati animi debitum Pipino eiusque successoribus imposuerunt, ita ut iure subsidium in temporum istorum angustiis ab iis petere possent.

Sed hae nonnisi praeparatoriae causae sunt Principatus civilis R. Pontificis. Tempus est ut finalem Principatus S. Sedis constitutionem videamus. Mense itaque sept. 754 rex Pipinus cum copiis suis Alpes transgressus, Longobardorum regem Aistulphum praelio superavit fugatumque insequens Papiam obsedit. At Stephanus Papa timens ne christiani sanguinis nova fieret effusio Pipino suasit ut accepti ab Aistulpho iuramento obsedibusque pro restituenda Ravenna pax concluderetur. Pax inita est: at vix in Galliam Pipinus et Papa Romam reversus est, ille promissis non stetit ita ut sub fine eiusdem anni literis ad Pipinum datis, de Aistulpho sic conquereretur Pontifex « Nec unius palmi terrae spatium B. Petro Sanctaeque Dei Ecclesiae vel Reipublicae Romanorum reddere passus est ». Quin imo an. 756 cum Aistulpus ipsam Urbem Romam ingenti cingeret exercitu Pontifex Pipinum denuo obtestatus est, qui S. Urbem nova expeditione defenderet. Pipinus iterum iugum Alpium superavit et mense Aprili Ramam liberavit. Interim a Byzantino Imper. diplomatica negotiatione actum est ut Italiae provincia Orientis imperio conservaretur. Quam propositionem iure merito recusavit: Imperatores enim iamdiu Italiam non solum non tuiti erant contra Longobardos, imo hostili animo in Pontifices et Italos passim sese gesserunt: iure belli igitur poterat Pipinus vel sub supremo suo dominio retinere dictas provincias ut eas protegeret, vel eas tradere Pontifici Rom. ut sub eius dominio Itali sui iuris essent. Et hoc consilium sequutus est Pipinus. Instrumento porro authentico recensentur nominatim 22 civitates quae praeter dominium S. Sedis proprium, Papae restituuntur.

« Animadvertendum est, heic notat Inngman l. c. p. 135, in documentis illius temporis dici civitates reddi ac restitui B. Petro, Pontifici, reipublicae Romanae, Ecclesiae Romanae, quae voces significatione synonima adhibebantur — Haud alluditur ad donationes Constantini supposititicias quae aliquanto post confictae censentur. — In documento donationis Pipini non commemoratur ipse Ducatus Romanus quia de facto iam auctoritati Pontificis subiectus erat, nec in manus Longobardorum ceciderat.

Generatim ex eo tempore Principatus civilis Romani Pontificis plene constitutus apparet ita ut Romam reliquasque provincias suprema gubernet potestate. Habebat Papa in sua ditione eam fere auctoritatem ac iura, quae antea exarcha Ravennatensis nomine Imperatoris habuerat: sed R. Pontifex proprio

nomine iis fungebatur: erat rex independens *Iungman l. c. pag. 136.* — An. 784-800 Carolus M. non solum donationem a Pipino R. Ecclesiae factam confirmavit, sed novo diplomate a se et ab Episcopis, ducibus et comitibus sui comitatus subscripto, Rom. Ecclesiae donavit Exarchatum Ravennatensem totum, Insulam Corsicam, provincias Venetiarum et Istriae, ducatus Spoletanum et Beneventanum cum nonnullis civitatibus adiunctis. Addidit Parmam, Mantuam et reliquas partes Pentapoleos cum quibusdam regionibus Lombardorum, et Sabinorum et promissione de Sicilia subigenda.

Ex quibus factis historice ad summam expositis licet colligere quod dominium illud temporale R. Pontificis vi cuiusdam necessitatis fuerit constitutum, quod eo momento evenit quo imperii iura in mediae Italiae provincias de facto conciderat: neque interierunt haec iura arte aliqua vel influxu nocivo Romanorum Pontificum.

Iam facta nunc historica rimantes videamus in 2.ª p. varios titulos.

Prob. II. pars vari tituli legitimitatis Principatus civilis R. Pontificis. Tituli legitimi acquirendi supremam in aliquam civitatem atque populum iurisdictionem quatuor praecipui recenseri solent sc. 1. Electio, 2. Donatio seu cessio, 3. Bellum iustum, 4. Reipublicae necessitas.

Electio quidem a populo seu multitudine procedit, quae cum sit sui suris principem sibi eligere valeat ad iurisdictionem absolute, vel sub conditione possidendam, seu ad eam exercendam ex solo vel ex parte prout accidit inter antiquos Gothos atque Germanos, penes quos summus Princeps militum atque optimatum suffragiis creabatur. Aliis verbis tunc habetur electio, cum nempe nullo existente qui multitudinem regat, aut ad eam regendam ius habeat, multitudo datis suffragiis aliquem ad imperium assumendum vocat invitatque.

Donatio seu cessio ab eo fit, qui cum legitime statum quempiam possideat, hunc cum omnibus suis iuribus in perpetuum pactis conventis libere transfert in alium: cuius rei exemplum sat recens dedit Rex Sardiniae tunc cum Napoleoni III. totius sabaudiae iura publica cuncta concessit.

Oriri quoque potest publica potestas ex iusto bello. Si quis enim princeps cum suo populo adversus aliam quampiam gentem legitimum bellum suscipit, sane cum id ad laesi iuris perfectam compensationem, vel ad futuram securitatem requiratur, parta victoria, ius eam gentem gubernandi sibi vindicare in se transferre potest. Tunc vero politicae potestatis subiectum non modo non determinatur populi subacti consensu sed potius contra eius voluntatem. Quo in casu tenetur tali Principi populus obedire, quia ex legitimo bello huiusmodi victoriam ac ius sibi comparavit. Quod si iniustum bellum movit Principem ad subiugandos sibi victos, titulus est prorsus illegitimus vitioque nullitatis laborat; quod in populi favorem nonnisi praescriptione deinceps sanari posset.

Reipublicae necessitas. Tandem fieri potest ut multitudo aliqua principe careat, vel eum amiserit. Si nemo est, in quo Principatus ius praefulgeat , ac vis aliquis, qui potentia et rerum agendarum peritia ad hoc munus suscipiendum sit idoneus, multitudinem gubernare aggrediatur, populus vero eius se regimini duci sinat; quis neget hunc et licite hanc potestatem occupasse, et legitimum Principem esse ? Imo fieri potest ut certa quaedam persona non modo licite Principatum assumat, sed ad eum assumendum naturali humanitatis officio teneatur. Cf. Tongiorgi Ethic. n. 428. Tunc enim communis seu socia-

lis charitatis iure quis idoneus supremam arriperet potestatem; cum aliter societas in praeceps rueret nisi quis ad curandam atque defendendam rempublicam susciperet, atque ita fideliter obeundo onera cuncta gubernii per longum tempus omnia imperii iura consequi seu possideri tamquam dominus legitimus mereretur.

Atqui hi omnes titul. obtinent pro civili Principatu Romani Pontificis. Et re quidem vera.

Obtinet 1us titulus i. e. electionis cum Itali, populusque Romanus ingentia mala atque tyrannidem (quae ferri nullatenus posset) sub propriis dominis essent perpessi atque ab his omni defensione atque regimine destituerentur, Pontifices summos invocarunt, eisque pro suorum in posterum omnium salute veluti dictaturam perpetuam efficacius quam ceteris unquam gerendam commiserunt.

Sicundus et tertius obtinet titulus acquisitionis nempe ex bello, et donationis. Pipinus enim Francorum rex a Romanis Pontificibus in Italiae auxilium contra Longobardos accersitus, hos iustissimo profligavit bello, provincias omnes ab iis recuperatas, sibique victori partas Sanctae Apostolicae Sedi concessit, atque in perpetuam Petri successorum dominationem civilem solemni pacto et iuramento donavit.

Quartus denique titulus est suprema lex necessitatis romanae Reipublicae. Hanc enim iam aggressi erant Longobardi, eamque vincendo, iam iam eo adduxerunt ut ipsa illis subdita prorsus propriam non modo autonomiam atque independentiam amitteret, sed societatis iuribus privari omnino cogeretur. At Romani Pontifices praesto fuerunt defensione atque omne genus auxilio ut omnia ferrent onera regiminis universi atque ita cunctam politicam iurisdictionem mererentur.

Assertum IV. Ex dictis sequitur civilem S. Sedis Principatum Romanis Pontificibus fuisse singulari divinae Providentiae consilio datum ut medium necessarium ad tuendam independentiam et omnimodam libertatem eorumdem pro universa Ecclesia regenda.

Quod veluti corollarium descendit ex hucusque dissertis et probamus verbis cl. P. Palmieri l. c. « Illud merito dicitur institutum providente Deo, quod mediantibus quidem naturalibus causis divina Providentia non solum permittit sed positive intendit atque sapienti ratione assequitur. Hoc posito sic arguimus: singulari consilio divinae Providentiae referenda est in acceptis ea Institutio, quae efficaci modo ac suavissimo obtinetur, et quae cum bona in se sit ad finem intentum a divina Providentia vel maxime vel unice ratione habita historicorum adiunctorum conducit. Atqui talis est Institutio Primatus Rom. Pontificis. Ergo

Maior patet: tum quia proprium est divinae Providentiae efficaciter simul et suaviter, utpote omnium causarum dominae, finem suum assequi; tum quia quod bonum est et ad finem intentum conducit, non permissum sed volitum a divina Providentia dicendum est.

Minor autem probatur. Et *primo* quidem eo quod efficacia et suavitas praeclarissime splendescent in institutione Principatus civilis, qui sine vi et fraude, ipsis causis naturalibus iuvantibus, rerumque ordine veluti efflagitante, sensim sine sensu adolevit, suamque firmitatem omnibus consentientibus nactus est. Quod autem *secundo* per ipsum *maxime* hoc est perfectiori modo obtineatur finis, qui est independentia Pontificis, eiusque plena libertas, et ita perfecta quoad hoc caput, administratio Reipublicae christianae id est per se evidens. Quare etsi non unice conduceret ad finem intentum a divina Providentia Principatus civilis, illud satis esset ut diceretur iste Principatus romanus singulari consilio divinae Providentiae esse institutus.

Verum cum affirmatur Principatum civilem esse institutum singulari consilio Dei, illud quoque spectatur quod nempe ipse sit medium necessarium ad finem quem Providentia intendit; non quidem per se seu absolute, sed ratione habita certorum adiunctorum ita ut ipse in iis adiunctis unice valeat.

Assertum V. Unde Principatus civilis Romani Pontificis rationem habet rei sacrae.

Prob. 1. auctoritate DD. Vidimus enim DD. scholasticos praeeuntibus S. Thoma et Suaresio illud temporale dominium ita coniunctum esse cum iuribus spiritualibus et divinis Rom. Pontificis ut non saeculare omnino sit, sed aliquo modo sacrum,

2. Ratione ipsa patet. Res sacrae fiunt per connexionem ad res sacras et spirituales ita ut simonia iuris et quidem naturalis committatur si pretio vendantur etiam res spiritualibus aut sacris adnexae. Sacri canones habent uti sacra quaecumque bona et iura Ecclesiae temporalia: Cf. *Instit. nostr. canon. de reb. eccl. n. 3.* Res sacrae et ecclesiasticae habentur non tantum quae natura sua sunt tales aut aliquo sacro ritu ab Ecclesia secernitur a profanis et saecularibus sed etiam quae natura indifferentes quidem sunt ad finem profanum et ad finem ecclesiasticum tamen *facto Ecclesiae*, quae auctoritate gaudens constituendi quidquid necessarium est ad finem suum consequendum reapse constituit tale medium et sub dominio suo iam habet; vel *facto* tertii temporalia sive bona sive iura temporalia offerentis, quae ab Ecclesia sint acceptata. Porro Principatus civilis cum spiritualibus iuribus Primatus adeo est coniunctus ut medium maxime necessarium cum suo fine edicant Rom. Pontifices: ergo

Imo ipsae civitates cum suis omnibus iuribus etiam politicae iurisdictionis a Francorum Regibus in honorem et cultum specialem Dei s. Petro dicatae sunt: in bonum religionis, et sub dominio ipsius Dei vel Ecclesiae factae, ita ut ex dictis principum donationibus, imperatorum iuramentis et RR. Pontificum declarationibus *subiectum* iuris Ecclesia Romana sit seu Sedes Apostolica (Syllab. prop. 76 et Romanus ipse Pontifex non *absolutus dominus* sit, sed *legitimus administrator*, qui triplici solemni obstringitur iuramento iura et possessiones Romanae Ecclesiae integras ac inviolatas servare ac tueri : nec non sui successoribus intacta omnia transmittere. *Pii V Const. Admonet* 29 Mart. 1587 iunct Cancellar. Apostol. reg. 64, quam cf. penes Riganti n. 48 explicat. Cf. Encycl. Pii IX 19 Jan. 1860.

3. Accedit auctoritas Romanorum Pontificum : et 1.° Pii IX encycl. 26 Mart. 1860 Civilis enim Principatus Romanorum Pontificum, ait ipse, licet suapte natura rem temporalem sapiat, *spiritualem tamen induit indolem, vi sacrae*, quam habet *destinationis et arctistimi illius vinculi, quo cum maximis rei christianae rationibus coniungitur*. « Et Encycl. 1 Nov. 1870 Memineramus, inquit, cum s. Ambrosio (de Basil. trad.) Naboth, sanctum virum, possessorem vineae suae interpellatum petitione regia ut vineam suam daret, ubi rex succisis vitibus olus vile sereret, eumdem respondisse : *Absit ut ego patrum meorum tradam haereditatem* » Multo hinc minus fas esse nobis iudicavimus tam *antiquam ac sacram haereditatem* temporale scil. sanctae huius sedis dominium non sine evidenti Providentiae divinae consilio a Romanis Pontificibus tam longa saeculorum serie possessum tradere aut vel tacite assentiri ut quis Urbe principe orbis Catholici potiretur. — *Naboth vites suas vel proprio cruore defendit.* S. Ambr. ibid. Num poteramus Nos, quidquid tandem eventurum erat Nobis non iura possessionesque S. Romanae Ecclesiae defendere, quibus servandis quantum in Nobis est, solemnis iurisiurandi nos obstrinximus religione? 2) In quo quidem Principatu, merito inquit Leo XIII Alloc. 24 Mar. 1884 praeter legitimas causas titulosque egregios et varios *inest similitudo et forma quaedam sacra* sibi propria nec cum ulla republica communis propterea quod securam et stabilem continet Apostolicae Sedis in exercendo augusto maximoque munere libertatem. 3) Invasio tandem huius politicae iurisdictionis *sacrilega usurpatio* appellatur a Pio IX literis ad diplomaticum guberniorum coetum datis ex mandato ipsius 20 Sept. 1870: et *violatio iurium sacrorum* sedis Apostolicae declaratur a Leone XIII 27 Aug. ad Cardin. Nina.

Coroll. Ergo Principatus civilis Romani Pontificis compatibilis omnino est cum spirituali potestate Primatus. Vidimus enim supra cum Suarez. nulli iuris naturalis aut divini legi repugnare illud dominium, iustissimis variis atque egregiis titulis Romanae Sedi acquisitum, imo singulare divinae Provvidentiae datum, ut medium maxime necessarium pro primatus munere maximo cum libertate omnimoda exercendo atque adeo arctissimo vinculo cum Romanae Sedis sacris coniunctum iuribus. Ergo compatibilis est huiusmodi principatus civilis cum potestate spirituali Primatus. Cf. Bellarm. de Rom. Pont. l. V. c. 9, 10 et Suarez. l. c.; unde merito proscripta est a Pio IX prop. 75 Syllabi. *De temporali regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se Christiani et Ecclesiae Catholicae filii* ».

Assertum VI. Ergo sacrilega usurpatio et immanis iniquitatis actus fuit ille quo Romanus Pontifex suo civili Principatu spoliatus est.

Prob. 1) ratione. Vidimus supra Romanorum Pontificum et universae Ecclesiae doctrinam esse quod Principatus civilis habeat rationem rei sacrae et spiritualis: sed violatio rei sacrae et spiritualis qualis habetur usurpatio et detentio principatus civilis est sacrilegium. ergo :

« Nos satis scimus, ait Bossuet Romanis Pontificibus et sacerdotali ordini, Regum concessione ac legitima possessione bona quaesita, iura, imperia, ita haberi et possideri uti quae inter homines optimo iure habentur ac possidentur; imo ea omnia ut dicata Deo, *sacrosanta esse debere nec sine sacrilegio invadi*, rapi et ad saecularia revocari posse ». Defen. l. 1 sect. 1 cap. 16.

2. Audiamus iterum Romanos Pontifices hac de re loquentes quos inter a) Pius IX litt. *Cum. Catholica Eccl. 26 Mart. 1860* Verba quidem desunt, ait, ad tantum improbandum facinus, in quo *plura* et maxima habentur facinora. Grave namque admittitur sacrilegium, quo una simul aliena iura contra naturalem divinamque legem usurpantur, omnis iustitiae ratio subvertitur et cuiusque civilis Principatus ac totius humanae societatis fundamenta penitus evertuntur. — Et re quidem vera iura aliena usurpantur contra legem naturalem, quae vetat possessionem invadere alterius, quae etiam vetat bellum indicere sine iusta causa et absque ullo praevio monito.

Iura Ecclesiae usurpantur contra legem divinam « Uti enim (pergit Pius IX encycl. 1 Nov. 1870) praedecessor noster Pius VII aiebat Vim huic summo Sedis Apostolicae imperio afferre, temporalem ipsius potestatem a spirituali discerpere, Pastoris et Principis munia dissociare, divellere excindere nihil aliud est nisi opus Dei pessumdare ac perdere velle; nihil nisi dare operam ut religio maximum detrimentum capiat, nihil nisi eam efficacissimo spoliare praesidio, ne summus ipsius Rector, Pastor, Deique Vicarius in Catholicos quaqua terrarum sparsos, atque inde auxilium et opem flagitantes, conferre subsidia possit, quae a spirituali Ipsius per neminem impedienda petuntur potestate ». — Ipse Leo XIII item *sicut* Pius IX f. r. Decessor noster ita et nos Apostolicae Sedis iura tueri omnique contentione vindicare studuimus tum » Denuo improbamus, pergit, damnamusque quodcumque est cum Apostolicae Sedis iniuria actum, itemque testamur omnia nos iura eius et in perpetuum salva velle ». *Alloc. 24 Marti 1884.* Porro quomodo improbatur et damnatur a Pio IX 20 Sept. 1870 ad coetum diplom. cit. actus invasionis? Dicitur ibi SACRILEGA USURPATIO et *immanis iniquitatis actus.*

Quod sit immanis iniquitatis actus a) ex dictis quoque patet cum agatur de usurpatione illius Principatus, qui omnibus legitimis titulis nitebatur, res maxime necessaria erat Sedi Apostolicae et totius religionis, maxime conducens ad totius humanitatis bonum, quamque usurpationem vetabant omnes leges humanae et divinae, omnia gentium cunctarum iura.

Dixi contra omnes leges: est enim contra legem naturalem iura *aliena usurpare*, lex naturalis vetat possessionem invadere alterius, bellum indicere absque iusta causa. Est contra legem divinam dare operam ut Religio maximum detrimentum capiat idque eo magis quod qui tanta ausi sunt, ii profecto alii non sint quam iurati religionis et Ecclesiae osores nequissimi ac scelestissimi non alio sane consilio, ut asserunt Pontifices summi, nisi ut civili S. Sedis maiestate depressa atque eversa catholicam Ecclesiam facilius oppugnare queant. Est omnis iustitiae rationem subvertere ubi ius legitimae acquisitionis, praescriptionis tot saeculorum pacificae possessionis. — Quod si legitimus omnino est Principatus civilis a sua origine fatentibus adversariis ut nemini potiora iura esse possint, non nisi per *summum nefas* ut loquuntur Pontifices, conati sunt impii homines Romanam Sedem suo iure spoliare. Unde cum tanta ac tam sacra iura violari sacrilega usurpatione, occupari atque detineri impune valeant ab huiusmodi perduellionibus principe quolibet civili permittente nec ullo modo reclamante iam nullum ius quaesitum tutum firmumque erit. Europae inter nationes, iam nulla praescriptio pro iurium securitate invocari potest. Qui profecto stare poterunt aliorum iura principum, qui noluerunt Pontifici

opem ferre, cum Sedis Apostolicae iura tot titulis firmata et milliaria praescriptione stabilita impune sint proculcata. Nonne videmus per vicarios eosdem homines Nichilistas, Socialistas Francomurarios regnorum alia esse eversa iam, alia collabentia? Hic nempe fructus libertatis omnimondae qua a modernis gubernis permittuntur hi nefari homines plenis buccis praedicare atque executioni mandare praesertim illa duo pessima principia scil. legitimitatis rebellionis, et non interventus aliorum statuum. Quid mirum ergo si contra tantum nefas poenas statuerint gravissimas Romani Pontifices? aientes. Eo adducta res est ut suprema illa auctoritate utamur, qua cum solvere, tum etiam ligare Nobis divinitus datum est. Itaque auctoritate Omnipotentis Dei et SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra denuo declaramus eos omnes *qui nefariam* in Pontificiae Nostrae Ditionis provinciis rebellionem, invasionem, et alia huiusmodi, vel eorum aliqua perpetrarunt —, itemque ipsorum mandantes fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes..... maiorem excommunicationem aliasque censuras ac paenas ecclesiasticas incurrisse, et si opus est denuo ex communicamus et anathematizamus Pius IX encycl. 26 Mart. 1860: quam postea renovavit post captam S. Urbem 1. Nov. 1870 cuius verba infra referuntur.

Assertum VII. NEQUE ULLA CAUSA LEGITIMA EX PARTE USURPATORIS GUBERNII EXCUSAT IPSUM A TANTI FACINORIS IMMANITATE.

Decl. et prob. Duae secundum legisperitos dantur causae aggrediendi vi armata et debellandi regnum legitime constitutum: scil. legitima defensio ac necessitas repressionis. Sed neutram causam ex his adfuisse neque ex parte mitissimi Pontificis, neque ex parte possessionis suae evidentissimum prorsus est. « Neminem latet ait Pius IX *Encycl. Respicientes 1. Nov. 1870* insignis gubernii subalpini *impudentia et hypocrisis*, qua ad minuendam sacrilegae huius usurpationis invidiam, iactare non dubitavit se illas invasisse provincias ut principia moralis ordinis ibi restitueret, dum tamen reipsa ubique falsae cuiusque doctrinae diffusionem, cultumque promovit, ubique cupiditatibus et impietati habenas laxavit, immeritas etiam poenas sumens de sacris Antistitibus, de Ecclesiasticis cuiusque gradus viris, quos in custodiam abripuit, et publicis contumeliis vexari permisit, cum interea insectatoribus et iis, qui ne supremi quidem Pontificatus dignitati parcebant, impune esse pateretur.

Neque excusatur ex eo quod adiungunt usurpatores scil. sicut spontanea populi voluntate ab initio constitutus est Principatus civilis Romanae Sedis, ita eiusdem populi contraria voluntate amplius stare non debet. Nam

Resp. 1) falsum omnino est populum mutasse voluntatem, modo non intelligatur voce populi quaedam impiorum ac scelestorum turbae, atque catervae, quaedam omne genus perturbatorum ac nebulonum manus.

Resp. 2) *Nego suppositum* quod populus Italiae possit si velit mutare voluntatem ad validam translationem. Nam supponendo etiam uti omnino veram theoriam penes Doctores Scholasticos « auctoritatem politicam non immediate a Deo sed a populo conferri Principibus, designando personam, familiam vel dynastiam », si populus sibi dum carebat Principe et forma regiminis, elegit formam monarchicam et alligavit S. Sedi Romanae, contulit profecto supremam atque independentem potestatem irrevocabiliter. Nec dicatur populum in trans-

ferendo auctoritatem, conditionate eam conferre quandiu scil. ipsi placuerit. Cum enim expressa non fuerit conditio potestatis exercendae tantum ministerialiter, semper praesumitur Principem eadem potestate absolute potiri. Ius enim naturae non modo permittit sed et consulit imo in praesentiarum exigit potestatem exercendam esse independenter a populo.

Resp. 3. Negatur suppositum ac si una tantum populi electio fuerit legitimus titulus iuridicae originis dominî temporalis S. Sedis; vidimus enim supra plures alios eosque iure potiores quam ipsam electionem; qui tituli omnes desunt prorsus gubernio usurpatori. Utique exaggeratur ut paulo ante vidimus quaedam necessitas boni publici; et necessitatem tentarunt extendere ad omnem ditionem Pontificiam si (data et non concessa) particularis unius civitatis aliqualis forte esset necessitas. Et etiam nunc ad detentionem defendendam exaggeratur politia vigilantior quam in Statu pontificio et bonum quoddam materiale in meliori conditione esse quam etc. — Resp. a) Sed comparentur omnia simul lucra cessantia et damna emergentia relate ad solam temporalem felicitatem populi, et maxime relate ad spiritualem atque aeternam b) Corrigendum vitium, si quod erat in gubernanda una civitate, nec privandus princeps legitimus iure suo, dominio scil. iurisdictionis. Neque effutiatur illa necessitas boni communis, vel exigentia temporum: sub praetextu enim huius necessitatis temporum pededentim omnes Principes e throno suo deiicerentur atque ad id societatum provocarentur perturbationes uti passim videmus patrari a Francomurariis et eiusmodi.

Assertum VIII. Neque dicendum ob aliquod bonum publicum Romanos Pontifices Principatus civilis factae spoliationi iam ab initio acquievisse et suis tandem in illum iuribus renuntiasse.

Prob. Adeo falsum est acquievisse Pontifices facto completo, quod aiunt spoliationis sacrilega atque iuribus suis Principatus civilis renuntiasse, ut de facto reclamavint et semper reclament ac contra facinus tum usurpationis tum detentionis sacrilegae sint protestati et protestentur usque. Publicum autem bonum exigit ut non possint non protestari semper; neque iuribus dictis renuntiare valeant.

1) Et re quidem vera: protestatur et nunquam se iuribus dictis cessurum affirmat Pius VII. *Alloc. 16 Maii 1808* contra Napoleonem I protestatus est ob Status pontificii et Urbis occupationem. « Omnia quae contra Principatus a Deo Nobis dati iura sunt gesta reprobamus et testes invocamus hodie coelum et terram reprobata esse a Nobis et reprobari ne quis nunc in posterumve fallatur et occasione huius mansuetudinis et lenitatis spiritus, qua ducti hactenus, Deo largiente sumus, putet eorum quidquam a nobis fuisse comprobatum. Declaramus esse mentem, propositum, voluntatem nostram omnia huius S. Sedis dominia eorumdemque iura integra et inviolata ad successores nostros transmittere: ac quamcumque eorum occupationem sive iam factam sive adhuc faciendam, iniustum, violentum, nullam irritam esse declaramus eademque omnia Nobis Nostrisque successoribus debere restitui — Ita etiam Pius IX iam ab ipsa die usurpationis Urbis contra tantum facinus protestatus est literis datis 20 Sept. 1870 nomine suo ad diplomaticum guberniorum caetum, sufficit huius Pontificis encyclicae *Respicientes* 1 Nov. 1870 iam nonnulla excribere, qua, praemissa narratione eorum quae violentam captionem Urbis praecesse-

runt et subsecuta sunt ceùsurae iam latae confirmantur, et solemniori quo potest modo declarat: « Nostram Mentem propositum et voluntatem esse omnia huius S. Sedis dominia, eiusdemque iura integra intacta, inviolata retinere, atque ad successores Nostros transmittere : quamcumque eorum usurpationem tam modo quam antea factam, iniustam violentam, nullam, irritamque esse, omniaque perduellium et invasorum acta, sive quae hactenus gesta sunt, sive quae forsitan in posterum gerentur ad praedictam usurpationem quoquo modo confirmandam, a Nobis etiam nunc pro tunc damnari, rescindi, cassari, et abrogari — Declaramus praeterea et protestamur coram Deo et universo Orbe Catholico Nos in eiusmodi captivitate versari ut supremam Nostram Pastoralem auctoritatem tuto expedite ac libere minime exercere possimus.... Idem Pius IX encycl. *Ubi nos* 15 Mai 1871.

Leo XIII. iam ab initio Pontificatus sui protestatus est « Quapropter (encycl. *Inscrutabili* Dei 21 April. 1878) » Nihil Nobis ait potius esse debere cognoscimus quam ut Romanae Cathedrae suam dignitatem sarctam tectamque servemus — Tum petens dominii sui temporalis restitutionem addit « Ad hanc restitutionem postulandam movemur... sed Officii nostri ratione... ac praeterea non solum ex eo quod Principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius, sed etiam quod exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis Apostolicae agitur publici etiam boni et salutis totius societatis causam agitari. » *Alloc. 24 Mart. 1884* sicut Pius IX... Apost. sedis iura tueri omnique contentione vindicare studuimus... Denuo improbamus damnamusque quodcumque est cum Apostolicae Sedis iniuria actum itemque testamur omnia nos iura eius ex integro et in perpetuum salva velle ».

Imo dictis iuribus praecise ob bonum publicum renuntiare non valent RR. Pontifices: quod enim necessarium est maxime ad finem Ecclesiae et societatum civilium illud publicae necessitatis seu boni communis dicendum est « Neque profecto, ait Leo XIII (Encyl. Immortale Dei), sine singulari Providentis De consilio factum esse censendum est ut haec ipsa potestas Principatus civilis velut optima libertatis suae tutela muniretur. Talis ergo unionis iuribus renuntiare nefas est. Neque iurium legitimorum Principatus civilis S. Sedis Rom. Pontifex dominus est sed administrator, ergo nullatenus potest iis renuntiare, et tenetur semper vindicare praesertim cum agatur de medio necessario ad libere et expedite exercendam potestatem primatus spiritualis « Illud omnes facile intelligent... Romani Pontificis quam maxime esse libertatem summi sui temporalis Imperii quod non minus a Deo est, quam ab eadem sint imperia ceterorum Principum.. quodque tam arcte *cum liberiore expeditiore, promptiore usu supremi sui spiritualis primatus ideoque cum* summis ipsius Religionis rationibus, utilitatibus, commodis coniunctum et colligatum est » Pius VII *Alloc. 16. Mart. 1808.*

Propterea contra hanc cum Sede Primatus coniunctionem principatus civilis impii ac nefarii tanta moliti sunt ut omnia pessum darent religionemque catholicam everterent. « Impiarum sectarum machinatione non alia de causa suprema civilis Nostri Principatus iura tanto nisu fuerunt impetita nisi ut via ita sterneretur ad abolendum, si fieri posset, spiritualem Principatum, quo fulgent Petri successores, delendamque Catholicam Ecclesiam, ipsumque Christi

nomen, in illa viventis et regnantis *Pius Alloc. 22 Dec. 1872. All. 20 Iun. 1859.* — Certum exploratumque eos hoc assequi velle, una cum Capite Ecclesiae, totum corpus afficere et religionem extinguere *Leo XIII encycl. Etsin nos 15 Febr. 1882 Cf. ep. ad C. Rampolla* infra inter allegata.

Agitur ergo in hac quaestione Romana de animarum sanctificatione et salute aeterna credentium: agitur de dilecto Patre, Pastore supremo omnium Christianorum et societatum christianarum, agitur de maiestate primatus illius, de efficace eius actione in mundum universum : cuius est afferre maxima bona in omnes animas etiam infidelium. Primatus enim spiritualis de cuius libertate defendenda per principatum civilem peculiari Dei providentia concessum agitur, tantus est ut *in eo totius Ecclesiae vis et soliditas* consistat, uti solemniter declaravit Concilium Vatican. Constit. I. proaem.

« Cum de temporali Principatu Sedis Apost. agitur publici etiam boni et salutis totius humanae societatis causam agitari » *Leo XIII. encycl. 21 April 1878.*

Causa ergo agitatur iuris publici in qua, ut ait Pius IX, agitur de immani violatione quae contra universale gentium ius nequiter est patrata, quaque nisi omnino coerceatur, nulla deinceps legitimi cuiusque iuris firmitas ac securitas poterit consistere. — Causa agitatur ordinis publici in qua diiudicandum est de rebellionis principio ; ex quo pronum est intelligere quantum cuicumque Gubernio discrimen in dies comparetur, et quanta in universam civilem societatem redundet pernicies cum ita fatali communismo adytus aperiatur — Causa agitur pacis in qua occurrit ratio de violatis solemnibus conventionibus, quae uti aliorum Principatuum ita etiam civilis Pontificiae Ditionis integritatem sarctam tectamque servari omnino postulant.

Causa agitatur ingentissimi criminis cum homo ex humano consilio violenta manu diripuit Principatum illum quem singulari divinae Providentia consilium Romano Pontifici dedit ad Apostolicum suum ministerium in universam Ecclesiam plenissima libertate exercendum.

Ex dictis patet ius seu bonum publicum exigere ut R. Pfex nedum acquiescat et renuntiet, sed e contra reclamet semper et acquiescat nunquam ita ut si cederet Principatum civilem cessio nulla prorsus esset.

Assertum IX. Ergo restitutioni sunt obnoxii quotquot usurparunt ac detinent illum Principatum civilem Rom. Pontificis et quicumque cooperati sunt vel cooperantur huiusmodi usurpationi ac detentioni sacrilegae.

Probatio patet ex supra expositis: Ius enim et res quaecumque iniuste ablata profecto ex iure ipso naturae et gentium clamat ad dominum porro principatus civilis cum maxima iniuria seu per summum nefas a legitimo domino et possessore ablatus est.

Omnes vel ipsae iuris romani leges statuerunt quod spoliatus vi deiectus a possessione sua restituendus est ante omnia et plene cum omni causa. Sed probatum est supra quod Romanus Pontifex vi iniquissima deiectus est a legitima possessione iurium suorum, quibus in totum Ecclesiasticum territorium gaudebat. Ergo ante omnia et plene cum omni causa restituendus est.

Ad hanc restitutionem clamant ipsi RR. Pontifices 1.° quia aiunt se ea versari conditione, qua Primatum suum supremi scil. Pastoris munus exercere nequeant « Requiritur imo primo loco ait *Leo ad Card. Rampolla* et potissimum ut supremi Ecclesiae Capitis conditio, quae multis abhinc annis per vim atque iniurias evasit eo prorsus indigna atque Apostolico muneri insociabilis, prout decet et convenit, statuatur. Et *Alloc. 24 Dec.* Sacra Ecclesiae inquit et Pontificatus iura, quorum assertores ac tectores constituti sumus sarta tectaque servare volentes; iniurias, quae ipsimet Ecclesiae ac Pontificatui continenter irrogantur quaeque difficilius Nobis reddunt Catholicae Ecclesiae regimen, gravioremque ac prorsus indignam praesentem conditionem Nostram, palam propellimus atque universo Catholico Orbi notas facimus ».

Praeiverat Pius IX qui eadem die usurpatae Urbis ad diplomaticum guberniorum coetum dicit « Supremum Ecclesiae Catholicae Caput in ea rerum angustia versari ut spiritualem suam auctoritatem exercere nequeat *ea expedita libertate* ac independentia, queis pro sui ministerii ratione carere *nunquam* potest ». Et 20 Octob. eiusd. an. In hac luctuosa, ait, rerum conditione, cum Nos a libero expeditoque usu supremae auctoritatis nobis divinitus collatae multis modis impedimur....

Ad hanc vero restitutionem, pergit Leo (encycl. Inscrutabili Dei 21 April. 1878) *postulandam movemur* non ambitionis studio, aut dominationis cupiditate sed officii nostri ratione. Ac praeterea non solum ex eo quod Principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius, sed etiam quod exploratissimum est, cum de Principatus Sedis Apostolicae agitur, publici etiam boni et totius humanae societatis causam agitari ».

Restitutionem exigit ipsum pravum exemplum quod facto expoliationis exhibitum est. Multum enim nocere debet iuris ac iustitiae notionibus, ac proin fundamentis societatis civilis, nefastum istud exemplum a primatibus Nationum ipsis inferioribus datum et continuo oculis exhibitum VIOLENTA OPPRESSIO ET DIREPTIO SANCTAE SEDI ROMANOQUE PONTIFICI INFLICTA ! ! Ubi enim vident iura antiquissima et maxime sacra violari in persona Vicarii Christi Dni mutant in populis notiones veri et iusti, et commota sunt fundamenta, quibus innititur ipsa humana societas *Leo XIII ad Card. Nina.*

Hinc Clamat restitutionem *perduratic facinoris* in detentione Romae et *conditio intolerabilis* Summi Pontificis, quae constanter inquietudinem populorum fovent et summe *perniciosae sunt societati* non modo Ecclesiae sed et Italiae et totius Europae *Sed et Italiae inquam*: nam « Dicite tandem, aiebat *Leo XIII ad Scriptores Ephemerid.*, publicas Italiae res neque prosperitate florere, neque diuturna tranquillitate posse consistere nisi Romanae Sedis dignitate et Summi Pontificis libertati *prout omnia iura postulant*, fuerit consultum ». Si miseros facit populum peccatum iuxta August. quid faciet Italiam tantum nefas, tanta sacrilegia, tantus iniustitiarum cumulus quot et quanta sibi, suis, civitatibus et universae patriae infortunia e coelo inferunt quotquot tam sacrilegam usurpationem atque detentionem perpetrarunt aut quomodolibet ei cooperati sunt??!! Censurae ecclesiasticae maxima solent afferre damna in eos qui in illis insordescunt. Ad *ordinem et securam pacem recuperandam* universae societate haec restitutio principalior vix est clamat tandem *restauratio totius ordinis socialis.*

Ex dictis patet quoque quod Ipsae censurae inflictae clamant restitutionem Nam die 1 Nov. 1870 excommunicationem maiorem iam alias a se vel a praedecessoribus suis inflictam renovat et confirmat sic. « Auctoritate omnipotentis Dei et SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, universae Ecclesiae declaramus eos omnes qualibet dignitate etiam specialissima mentione digna fulgentes, qui quarumcumque provinciarum Nostrae Ditionis, atque Almae huius Urbis invasionem usurpationem, occupationem, vel eorum aliqua perpetrarunt itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios adherentes vel alios quoscumque praedictarum rerum exequutionem quolibet praetextu vel quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes, maiorem excommunicationem incurrisse. In encycl. 26 Mart. 1860 addebat in usurpantes provinciarum.... et si opus est, de novo excommunicamus et anathematizamus. Ita loquuntur Pontifices quia iam latae sententiae excommunic. R. Pfici speciali modo reserv. infligitur in pluribus constitutionibus RR. Pontificum, in Bulla Caenae, et nunc in Pii IX *Constit. Apostolicae Sedis* ubi sect. I excommunicationem ipso facto incurrunt sub n. XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loco, aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, aut favorem praestantes ».

Assertum X. NEQUE RESTITUTIONI OBSTAT 1°) IMPOSSIBILITAS QUAM EFFUTIUNT, AUT 2°) ULLA PRAESCRIPTIO.

Decl. 1. p. Non datur impossibilitas. Plurimi sunt qui admittunt quidem omnia iura S. Sedis ad civilem Principatum, fatentur immanem sacrilegae usurpationis ac detentionis iniquitatem; quae omnia ad ordinem moralem spectare dicunt; at, pergunt, si sistamus in ordine factorum haec si quis attente consideret, persuadeatur oportet dicti principatus civilis instaurationem esse prorsus impossibilem, quaecumque ineatur via: unde concludunt, cesset R. Pontifex a protestando et reclamando sua iura, quia rem impossibilem postulat: atque ita liberales et francomurarii vellent Rom. Pontificem de facto suis iuribus nuntium remittere. — Sed nonnisi falsissime et perperam impossibilitatem adstruunt. Nam 1° ipsi RR. Pontifices quin impossibilem redditu esse Principatum civilem habeant, reclamant illum iterum atque iterum tamquam absolute necessarium: ergo est possibilis restitutio. *Reclamant* semper: hic enim ille est Principatus, qui iuxta plures AA. plus quam centies est eversus, et Romanis Pontificibus reclamantibus et vindicantibus tamquam maxime necessarium et intime coniunctum cum spirituali Primatus potestate iterum instauratus est, quamvis ex adiunctis temporum restitutio pluries impossibilis videretur. Quod RR. Pontifices semper reclamaverint et iterum vindicaverint Principatum civilem sacrilege vel ex toto vel ex parte usurpatum testis est historia de Pio VII et aliis antiquioribus: sufficit duorum mentionem facere. Pius IX encycl. *Respicientes.* Declaramus praeterea et protestamur coram Deo et universo Orbe Catholico. Nos in eiusmodi captivitate versari, ut supremam Nostram pastoralem auctoritatem tuto, expedite ac libere minime exercere possimus. — Tandem monito illi S. Pauli obtemperantes *quae participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras?* quae autem conventio Christi

ad Belial? Nos palam aperteque edicimus et declaramus *nos nulli unquam conciliationi assentiri* vel assensum praestituros, quae ullo modo iura nostra atque adeo Dei et Sanctae Sedis DESTRUAT VEL IMMINUAT. Item Leo XIII ad Card. Rampolla 15 Iun. 1887. Equidem Nos aiebat inter cetera, Deo opitulante officio Nostro non deficiemus! *Praeter veram absolutamque nostri restitutionem in pristinum Principatum, alium conventionibus ineundis pacique firmandi adytum patere videmus nullum.*

Utique ad quaestionem Romanam solvendam excogitarunt quidam varia consilia variosque modos, quibus conditionem Summi Pontificis meliorem redderent: Sed vani isti sunt (ait Leo ad Card. Rampolla), atque inutiles conatus; itemque vana atque inutilia erunt omnia id genus molimina, quae sub praeclara eaque multiplici honoris specie Pontificem in obnoxia prorsus conditione reapse relinquunt. *Defectus est in ipsa rerum natura*, prout in praesenti constitutae sunt; nullumque externum temperamentum, quod adhibeatur nullaque ratio illum removere valebunt ».

Iamvero quis sanae mentis impossibilem credat restitutionem civilis Principatus, quem tot, tam sapientes ac pientissimi Pontifices summi semper reclamarunt cum illum praesertim vindicarunt et recuperarunt senties et amplius, ac semper sese vindicaturos esse modo firmissimo exhibent sub tot tantisque poenis quas usurpatoribus et detentoribus atque cooperantibus inflixerunt quousque ablata iura spoliatis reddita non essent?

Quod 2o) Si non reclamassent et silentio tam nefaria spoliationis facta tulissent, tunc ipsa res per se clamasset et clamat semper: agitur enim de iurisdictione temporali in territorium a piis Imperatoribus ac fidelibus donatum Sancto Petro, agitur de haereditate sancta, coniuncta arctissimo vinculo cum spirituali Primatu: agitur de re maxime necessaria prout declararunt plures Summi Pontifices, cui declarationi totus et integer universi Episcopatus Orbis sponte ac mirabili unanimitate assensit. Cessent igitur impossibilitatem asserere; neque Catholici desponderent animis, sed spem erigant, prout faciunt ipsi RR. Pontifices, in illam singularem divinam Providentiam, quae S. Sedi Principatum civilem concessit et quidem toties quoties deturbatus inde Pontifex restitutus est, quaeque modum practicum ad sua recuperanda iura R. Pontificis divinitus adsistens suggeret, dummodo omnes cooperentur ad quos spectat sive individui sint sive populi et nationes: causa enim est maxime nostra, pro qua per tot saecula tot tantique maiores nostri nulli labori neque vitae suae parcentes concertarunt: causa est quae tractat de S. Matre Ecclesia, de Patre communi omnium deque eius iuribus ad universum Catholicam Ecclesiam gubernandam maxime necessariis.

Decl. et prob. 2 p. Quod nulla datur vel dari possit praescriptio contra civilem Principatum Romani Pontificis. Nam omnes hic deficient elementa et conditiones ad praescribendum requisitae. Notum namque est ad id requiri quod noto vers. continetur scil. *Sit res apta-fides bona, sit titulus quoque iustus: Possideas iuste completo tempore legis:* ex quibus ut *de re apta* tantum heic quaeramus: quis contra ius naturae et gentium negare audet: quod furtum sive proprietatis sive iurisdictionis numquam praescribit? sed sacrilega fuit usurpatio principatus civilis, et RR. Pontifices legitimi Principes atque Romana sedes vera domina talis iurisdictionis semper vivens, numquam non reclamarunt sua iura?

Nemo profecto sanae mentis asseret quod valeant praescribi res sacrae et religiosae, res sanctae, res ad bonum publicum pertinentes, iura *maiestatis intrinseca,* quae audiunt, seu quae ita sunt propria Principis ut tamquam in signum supremae non tantum praeeminentiae sed etiam potestatis ei soli reserventur e. g. ius ferendi leges, sententia inappellabili iudicandi, ius potestatis administrativae, coactivae, iura spiritualia ecclesiastica. Contradicitur enim non modo iuri positivo Ecclesiae sed et iuri divino ac naturali, nec non iuri gentium. Porro ex dictis supra satis superque constat Principatum civilem Romanorum Pontificum esse sacrum, arctissimo vinculo coniunctum cum Primatu spirituali, qui est iuris divini, ad bonum publicum non unius societatis aut nationis sed universi Orbis pertinentem, maxime ecclesiasticum pernecessarium profecto sanctificationis animarum, tranquillitati regnorum; et cum induat rationem rei sacrae singulari divinae providentiae consilio datus, iterum iterumque restitutus unice Romani Pontificis proprius; hunc praescribendi incapax est laicus.

Ipsa Rom. Pontificum doctrina confirmat, Leo XIII ad Card. Rampol. contra eos qui solutionem quaestionis romanae a longitudine temporis repetunt ait « Speratur quidem temporisque confiditur, quasi vero si illud protrahatur Nobis tandem acceptanda sit ista rerum conditio sed causa propriae libertatis est pro Pontificibus et pro Ecclesia quaestio prima et vitalis. Ex quo fit ut certus quisque esse possit, ipsos eamdem libertatem et quidem modo perquam firmissimo securam tutamque semper expetituros. » Die 24 Maii 1889 Congressus laudat catholicos, qui suas faciunt expostulationes Sedis Apostolicae et addit « Pro qua caussa nos quidem maxime et ante alios ut debemus, diu propugnamus: ab eaque vindicanda nec longinquitas temporis Nos neque ulla difficultatum magnitudo deterrebit. Et *17 Dec. 1900 ad Colleg. Cardin.* in concistorio aiebat solemniter « Illud vero in primis calamitosum, quod quae vis Pontificem exuit principatu iusto ac legitimo et cum libertate sacri muneris eius coniuncto eadem continenter urgens tenere pergit alienae obnoxium potestali alienoque arbitrio. Huius in nobis acerbitatis sensum ea res renovavit quae paulo ante administratione rerum italicarum gerebatur, cum scilicet in alium ex alio transmissum vidimus imperium Urbis, perinde ac si iure quaesitum, quod est iniuria partum. His igitur circumfusi incommodis tam gravibus, officiique conscientia permoti, continuationem querimur iniuriae : *salvum et incolume Sedis apostolicae ius esse volumus: illudque nec* PRODUCTIONE TEMPORIS NEC POSSESSORUM SUCCESSIONE, INTERCIDERE, AUT MINUI ULLO MODO POSSE TESTAMUR.

Et sermonem habens ad peregrinos Anglos 8 Januarii 1901 cetera inter asserit « Tutti voi deplorate i mali che ci affliggono in questa situazione penosa che noi subiamo piuttosto che RINUNZIARE AI DIRITTI SACRI, E ALL' INDIPENDENZA CHE CI È NECESSARIA *per il libero esercizio del Nostro ministero Apostolico.* Ergo quidquid ad praescribendum talem principatum a liberalium secta effutiatur de necessitate temporum nostrorum nulla dari potest praescriptio. Iudicium autem de boni communis necessitate aliud exigens nonnisi successor S. Petri ferre potest. Sed iam protulerunt ut vidimus tale iudicium, Principatum namque civilem esse ipsis moraliter necessarium.

Instare quidem possunt Liberales et Massones ex ipso fine praescriptionis prout ius gentium dictat: praescriptionem scil. ideo dari quia bonum et tran-

quillitas gentium exigit. Certe nisi populis ex diuturna possessione et sic tacito consensu gentium tribuatur proprietas regnorum, provinciarum et urbium, quas saepe iniquo marte nec sine violentia acquisiverunt, vix ulla natio immunis erit ab infestationis et belli iusti timore. — Sed hoc principium a DD. admissum communiter supponit adimpletas omnes supradictas conditiones. Insuper ceteris paribus, quoad damna publica quae imminerent societati vel nationi Italorum minora sunt mala prae damnis quae sine civili Principatu obvenirent non modo Italis sed universae Ecclesiae, omnibus innumeris fidelibus cunctarum nationum: imo mundo universo. — Ecclesia est societas supernaturalis prima et maior societate civili: atqui cum duae societates in conflictum deveniant quarum altera princeps et maior est altera minor et subordinata haec vinci et cedere debet illa vincere et superare omnino, etsi agatur vel de perfectione finis sui. Quare restituatur oportet vel cum damno nationis Italae. Nam cum ad Ecclesiam et propter Ecclesiam omnia sunt, patet quod si populus italus deberet renuntiare cuilibet commodo aut iuri proprio, quod tradere debet Romano Pontifici etsi hic numquam acquisivisset quanto magis et a fortiori si per dominium temporale R. Pontificis omnia obveniunt ipsis bona et decora praeclarissima, quanto magis et a fortiori restituere debet si illud iam Pontifex per plurima saecula legitime possidebat; quanto magis et a fortiori si alius a R. Pontifice numquam evadere potest legitimus princeps territorii pontificii?!?

Assertum XI. VERBA Pii IX. e. g. 18 Iunii 1859 « *Necessarium esse palam edicimus S. huic Sedi civilem Principatum ut in bonum Religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit;* et Leonis XIII, e. g. encycl. *Inscrutabili 21 Apr. 1878* vel Allocut. ad script. eph. 23 Febr. 1879. *Ad hanc autem potestatem libere toto orbe exercendam necessarium esse civilem Pontificis Principatum*, et alibi, QUAE IN DECLARANDA NECESSITATE SUI PRINCIPATUS CIVILIS simpliciter et absolute prolata sunt, NULLAM TEMPORIS LIMITATIONEM ADMITTUNT.

Praenot. Ab adversariis multiplex affertur ratio ad eludendam restitutionem. Et 1.a quidem aiunt, populus plebiscito facto mense Octobris 1870 sibi vindicavit atque in alium dynastam transtulit politicum dominium iurisdictionis pontificiae ob easque rationes tale dominium exercet nunc alius Princeps ob quas Romani Pontifices iam ab initio cum territorii Romani evaserunt legitimi Principes.

2. Non tantum bona sed etiam iura praescribi possunt. Ergo 30 annos possessus hic principatus ab alio iam praescriptus est.

3. Etsi concedatur rerum novarum in Italia vitiatas origines; tamen novus hic status eorum venit factorum numero, quae expleta consummatione dici consueverunt. *Passaglia pro causa Italica arg. V.*

4. Novus rerum status in Italia a multis gentibus admittitur et probatur. Passaglia arg. VI.

5. Solemnes iterataeque Pontificis Declarationes immutabiles non sunt; a) quia non sunt illae e sacris Litteris haustae, non ex christiana traditione derivatae; neque ad fidem proponendam eiusque unitatem vindicandam ordinatae; c) illarum materies terrena est, humana, ac temporalis. Passaglia arg. VIII.

6. Summa utilitas et necessitas nationis Italae id exigit, ergo desinat Rom. Pontifex protestari — Neque timeat cedere propter iusiurandum. Ius enim iurandum, quo se obstrinxit R. Pontifex de non cedenda Ditione pontificia ad alias non spectat cessiones, nisi quae carne et sanguine impellentibus et in privatam utilitatem communi bono infensam peragantur. Passaglia arg. IX.

7. Ratio, ob quam Ditio temporalis Romano Pontifici necessaria proclamatur est ne independens Pontificis libertas periclitetur: atqui haec ratio periculi amplius non obtinet in praesenti libertatis ac civilitatis progressu. Nunc enim temporis a) Liberam Ecclesiam in libero Statu unanimes Moderatores regni proclamantes et opere complentes testantur se nihil vehementius discupere quam ut Ecclesia immuni solutaque libertate fruatur. Passaglia arg. X. et urgetur M. — b) Viget nunc quoque principium libertatis cultuum ita ut in quolibet statu permittatur quaelibet doctrina religiosa: ergo Romanus Pontifex iam non amplius indiget Principatu ad obtinendam eam libertatem quae per tolerantiam cultuum iam ipsi obvenit — c) Porro cum hic spiritus libertatis conscientiae omnes omnino nationes pervaserit, stabilis effectus est ac proin mutavit sociales conditiones et circumstantias adeo ut non sint amplius illae quas Pontifex praesentes asserebat et relate ad illas tantum Principatum civilem esse necessarium.

8. Tandem velit nolit Pontifex necesse est se accomodet exigentiis temporum, necessitati rerum, novo ordini politico, remota in perpetuum spe rursus Principatum civilem adquirendi. Impossibilis enim facta est restitutio: ergo desinat urgere, cedat sua iura pro semper. Ad rem Dnus Pacificus seu Benedictinus A. Tosti. « Il Re d' Italia non può restituir nulla perchè dovrebbe adoperar la forza, strapparlo dalle mani della nazione e scompaginar questo col ferro del parricidio o con quello dello straniero. D'altra parte questo stato di cose torna a scapito grandissimo delle anime; dunque il Papa rinunzi puramente e semplicemente al temporale senza nemmeno la città Leonina, anzi senza neppure le guarentigie. » Ergo iam Principatus civilis Romani Pontificis neque est necessarius neque restitui potest; sed ex necessitate seu ex mutatione sociali rerum, quae ita semper erit ab usurpatore gubernio dictus principatus praescribi debet.

9. Praesertim omnem sibi vindicandi Principatum spem adimit praepotens Francomurariorum secta quae cum fere dominetur ubique nunquam sinet ut R. Pontifex restituatur unde vi deiectus est.

10. In doctrina necessitatis principatus civilis nunquam Pontifices intelligunt eam absolute sed relative ad tempus praeteritum, non ad omne praesens et futurum.

11. Leges Cautionum quae audiunt *Guarentigie* loco civilis Principatus sunt ad tuendam libertatem Rom. Pficis, aut alius conciliandi modus erit potius quam restitutio, quae esset ingentissimum Italiae malum.

12. Has cautiones non accipit sed respuit Pontifex, caret autem Principatu civili et tamen eius decreta omnes Catholici absque suspicione suscipiunt, et is liber est in regenda Ecclesia Ergo.

Responsiones ad hasce omnes difficultates vel iam praeoccupatae et solutae manent ex assertis supra probatis vel resolventur postquam assertum praesens et sequens XII, probaverimus.

Decl. et prob. Pluries affirmatum est quod dominium temporale R. Pontificis necessarium quidem sit sed relative, non absolute; relative scil. ad tempus praeteritum aut praesens tunc cum dicebatur sed non quoad futurum. Ita enim episcopi et Archiepiscopi ad trecentos loquuti sunt in concistorio celebrato 9 Iunii 1862. « In praesenti humanarum rerum statu ipsum Principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri : et hoc sensu hanc doctrinam laudant Pontifices summi scil. ceu in praesentibus circumstantiis quae profecto mutabiles omnino sunt. Resp. falso omnino et perperam haec verba intelliguntur.

Sicut in antecedentibus ita et in hoc asserto exponimus doctrinam Romani Pontificis declarantis necessitatem principatus civilis. a) *Dicimus nunc et in futurum* idque deducimus saltem argumento morali quod ex communiter contingentibus seu ex moribus hominum et societatum dependet, cui non absimile est illud Prov. 22, 6. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet* ab ea » argumento scilicet quod pariat nobis certitudinem moralem qua nempe firmiter adhaeremus iis legibus moralibus, quae efficere ut serventur, ad providentiam divinam mimime spectat: puta qui passionibus hucusque indulserunt, generatim in posterum indulgendum quoties passiones vehementiores erunt. Sic in exemplo allato Prov. de adolescente viam iniquitatis ingresso ut iudicium prudenter ferre debeam, dicam Adolescens, ut ipse Spir. S. ait, Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea, etiamsi *possibile* sit oppositum. Ita in casu nostro non agimus de possibili aliquo casu extraordinario, aut miraculo, quem divina Providentia suscitare posset, sed ex communiter contingentibus prudenter iudicans dico « Si res historice seu experientia spectetur et *simul* ratio morum habeatur, quibus regi solent humanae societates affirmari *generatim* potest, quod difficile prorsus seu moraliter impossibile sit, ut sepositis miraculis, obtineatur Primatus exercitium sua plenissima gaudens libertate absque Principatu civili.

b) Distinguenda est necessitas affirmata a Romano Pontifice ab asserto Theologorum et Canonistarum, quod nos versamus. Doctrina Romani Pontificis refertur ipsius verbis : assertum TT. et CC. probatur etiam rationibus et fundamentis queis doctrinam suam RR. Pontifices fulcire solent. Unde si conclusio seu assertum formalibus et conceptis verbis reperiatur in documentis pontificiis: tanto melius: secus, videndum an contineatur rationibus, quae ceu fundamentum et caussa assertae Doctrinae a Pontificibus exhibentur.

c) Ceterum nostra doctrina seu assertum nititur etiam communi sententia scriptorum hac de re, quorum alii necessarium principatum civilem dicunt *in praesenti ordine generis humani lapsi.* Wernz Ius Decretal. tom. 2. pag. 683, alii ut Bellarm. de Rom. Pont. l. V. c. 9. principatum civilem exigunt propter *malitiam temporum.* Sed horum ratio profecto militat *pro futuro quoque tempore.* Alii demum sunt plurimi, quibus assentimur scil. qui simpliciter dicunt necessarium Principatum *civilem etiam in futurum* ideo quia verba Pontif. dicunt omne tempus ut B. O. S. opusculum novies recusum. La verità intorno alla questione Romana a Leone XIII specialiter probatum ubi pag. sibi obiicit. Si è detto adunque: « Il poter temporale è *necessario,* come fu più volte dichiarato, ma non *assolutamente:* è *necessario relativamente:* e forse la parola *relativamente* conservando la sua forza per il passato cessa pel presente e pel

futuro; et respondet. In questo sì avviluppato modo d' esprimersi, ciò che apparisce più chiaro si è il rossore che dovea provare chi l' usò, di dir chiaramente ciò, ch' egli volea pur dare ad intendere: si vuol dir in somma, che la dichiarazione, onde la Chiesa insegnò, anni addietro, la necessità del dominio *temporale nelle presenti circostanze* potè ben esser vera per lo passato ma si può ritenere per non più vera nell' anno corrente e nei venturi, atteso che le circostanze sono mutate. — Basta annunziare questo sotterfugio, per intendere come chi cerca con ogni studio di salvare le apparenze di ossequioso rispetto all' autorità della Chiesa, dovesse avvilupparlo in una formola equivoca; tanto esso è insieme temerario e puerile. — Potremmo osservare in 1.o loco, che le dichiarazioni de' Pontefici intorno alla necessità del dominio temporale non accennano a distinzione di tempi; e che quindi quelle parole nell' Indirizzo de' Vescovi, *in praesenti humanarum rerum statu* ossia nello stato presente delle cose umane ancorchè si vogliano tradurre nelle *presenti circostanze* non si possono intendere in senso limitativo.... Fino al giorno d' oggi il S. P. Leone XIII seguita a proclamare come i suoi Antecessori che il Principato civile dei Papi ha un' impronta sacra tutta sua propria perchè reca con sè la tranquilla e stabile libertà della Sede Apostolica nell' esercizio del suo augusto e supremo ministero.... E dopo ciò si può egli con serietà proporre che forse la Chiesa dichiarando la necessità del Principato civile pel Pontefice mirasse *ai tempi passati, ma non al presente, nè al futuro?* Da tali sottigliezze sofistiche ad un' aperta opposizione contro l' autentico insegnamento della Chiesa; non v' è che un passo. — a) Quo etiam dato et non concesso forte circumstantiae pro Pontifice et non contra ipsum mutatae sunt? Ipse Rom. Pontifex negative illico respondet e. g. Leo XIII cum 24 Mart. 1884 in S. Concistorio alloquebatur Cardinales « In quo quidem Principatu inest similitudo et forma quaedam sacra, sibi propria, nec cum alia republica communis propterea quod *securam et stabilem* continet Apostolicae Sedis in exercendo augusto et maximo suo munere libertatem. Nemo est enim quin sciat *id semper Pontificibus usu venisse* ut, amisso imperio civili in deminutionem incurrerint libertatis; quod rursus vel *in Nobismetipsis nunc idem perspici potest sub casus alieni arbitrii varios incertosque subiectis* ». Et ibidem addit « *Ista quidem acerba;* ACERBIORA PRAESENTIMUS *et pati parati sumus.* Iam ex his patet quod circumstantiae non sunt mutatae, prae quibus asserebatur necessitas principatus civilis.

Et re quidem vera illae circumstantiae relate ad quas iuxta adversarios loquitur R. Pontifex, non sunt mutatae neque mutabuntur usque ad consummationem saeculorum : το enim praesentes circumstantiae alludunt iuxta plurimos ad divisionem gentium Christianarum in plura regna, ex qua fit ut Papa sit independens a quolibet, ut sit plane liber et in nullo actu impediri possit quominus supremi primatus munus exerceatur, ut non sit subditus sed regia maiestas: quod a fortiori valere debet si esset unus Rex pro universo mundo, quod est impossibile. Unde το praesentes circumstantiae dicunt etiam tristitiam temporum iuxta Bellarm. de R. P. l. c. et iuxta Pii IX *Apostolicas literas 25 Mart. 1860.* « Cum Catholica Ecclesia a Christo Dno fundata et instituta ad sempiternam hominum salutem curandam perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit EA PROINDE LIBERTATE POLLERE debet ut in

sacro suo ministerio obeundo NULLI CIVILI POTESTATI subiaceat. Et quoniam ad libere ut par erat agendum *iis* indigebat *praesidiis*, quae temporum conditioni ac necessitati congruerent, *idcirco singulari* prorsus divinae providentiae consilio factum est, *ut cum Romanum corruit imperium et in plura fuit regna divisum*, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae Caput centrumque constituit, *civilem assequeretur Principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissimo consultum est ut* IN TANTA TEMPORALIUM PRINCIPUM MULTITUDINE AC VARIETATE *Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quae tanto opere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem* TOTO ORBE ABSQUE ULLO IMPEDIMENTO EXERCENDAM. *Atque ita* PLANE DECEBAT ne Catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, *ad quam propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam* ». Significant videlicet dicta verba praesentes passiones humanas, serpentes errores, religiosa schismata, politicam ambitionem et huiusmodi. Unde *praesens rerum ordo*, prae quo dicitur necessarius Principatus tunc cessabit cum desinant lites, contentiones, cum desinat orbis in plura regna partitio, cum desinat iniquitas, cum desinat dominandi libido, nec non cum Principum, Nationum, populorumque cupiditates penitus cessabunt. Ast quando haec cessabunt? Nonne diceres in consummatione saeculi? Dixi supra *dato et non concesso* quod R. Pfex Pius IX doctrinam trecentorum episcoporum imo omnium probaverit quatenus τὸ *in praesenti rerum humanarum statu* valeat relate ad *praesentes circumstantias:* quia non potest concedi tum ex modo dictis tum ex ipso Pii IX responso, quod ipos Epos laudat omnes, Orbis universi *qui numquam intermisistis....* ac simul *docere hunc civilem S. Sedis Principatum fuisse singulari divinae providentiae datum illumque necessarium,* suppresso commate *in praesenti rerum humanarum statu.* Nullibi vero, cum alias hac de re sermonem habuerint, reperitur additum exigens limitationem temporis. — b) Rationes vero variis occasionibus prolatae ab ipsis RR. PP. sunt.

Rationes supra allatae quae scil. pro necessitate Principatus civilis quoad anteacta tempora, vigent quoque quoad praesentia et futura humanarum circumstantiarum: ergo semper adest civilis Principatus necessitas Conf. dictas rationes expositas ab ephemeride La Civiltà Cattolica serie XIII, vol. VI, pag. 519. quae sunt. 1.° L' indipendenza del potere spirituale che socialmente non sussisterebbe quando la persona investita di questo potere non godesse insieme d'una reale cioè effettiva sovranità. 2.° La libertà del ministero Apostolico il quale non sarebbe sufficientemente guarentito se il territorio in cui il Pontefice dimora, sottostasse ad un'altra Podestà capace d' impedirne colla forza e colla frode l'esercizio. 3.° L'efficacia del Magistero ecclesiastico, la quale non sarebbe abbastanza assicurata se la voce che la promulga ai Re ed ai popoli non risonasse dall'alto di una Cattedra collocata in terreno neutro non soggetta all' influenza e al comando d'un Principe laico: 4. La libertà dell' intero Episcopato, il quale dovendo stare in continua communicazione e dipendenza dal Papa si vedrebbe impacciato tra i doveri Episcopali e civili quando il Sommo Pontefice non risedesse in territorio proprio fuori di qualsiasi dominio di particolare Sovrano. Quae profecto pro omni praesenti et futuro tempore faciunt.

c) Sed haec non est nisi vox discipuli referentis doctrinam magistri. Magistri enim authentici hac in re sunt Romani ipsi Pontifices tam Pius IX quam Leo XIII ut ceteros praeteream qua publicis Litteris apostolicis datis, qua sermonibus sive ad S. Cardinalium coetum sive ad fidelium multitudines habitis Principatus civilis necessitatem esse adhuc hisce temporibus tradiderunt: quibus respondet doctrina totius in Orbe universo Episcopatus. At qui hi profecto sunt iudices competentes eorum quae Ecclesiae sunt necessaria vel opportuna.

Pius IX 20 Sept. ad diplomaticum Guberniorum caetum ait per sacrilegam usurpationem atque immanis iniquitatis actum, quo suo Principatu civili spoliatus est, supremum Ecclesiae Catholicae Caput in ea rerum angustia collocatum ut *spiritualem suam auctoritatem exercere nequeat ea expedita libertate* ac independentia, queis pro sui ministerii ratione carere NUMQUAM potest « Iamvero nonne talis conditio, qua sine principatu civili, versatur R. Pontifex ut nequeat exercere Primatum supra Eccl. expedita libertate . . . nonne renovari potest et in futurum? nemo negabit: ergo et in futurum necessarius est principatus civilis.

Leo XIII. *Alloc. 23 Dec. 1880 ad Cardin.* ait « Tale è la condizione delle cose qui in Roma · tale la condizione del Pontefice nella stessa sua Sede, la quale non può evidentemente accordarsi nè colla sua dignità nè col libero esercizio dell'Apostolico ministero, nè colla divina missione affidata da G. Cristo al Pontefice Romano. Laonde *anche* in questa occasione che ci si offre innanzi al S. Collegio amiamo di dichiarare che *Noi lungi dall' acquietarci in quanto fu fatto in Nostro danno*, NOI NON CESSEREMO MAI DAL RICHIAMARCENE E DAL CHIEDERE QUELLA LIBERTÀ E INDIPENDENZA DI CUI FU SPOGLIATA LA S. SEDE COLL' USURPAZIONE VIOLENTA DEL SUO CIVIL PRINCIPATO.

Et alloc. 1887. È PER NOI IMPOSSIBILE ACCONCIARCI ALLA PRESENTE CONDIZIONE DI COSE. Noi sentiamo il dovere di rinnovare contro gli antichi ed i nuovi attentati le più formali proteste e di rivendicare a tutela della Nostra indipendenza le sante ragioni della Chiesa e della Sede Apostolica.

Atque ita semper sive Pius IX sive Leo XIII quotannis pluries prout sese offerebat occasio haec iura S. Sedis quibus continetur Principatus civilis edixerunt sacra, impraescriptibilia, *quae numquam possint ulla humana vi amitti, destrui, aboleri*, ESSE PRORSUS NECESSARIA.

d) Et civilis Principatus S. Sedis eo vel magis in diem necessitatem inclamarunt atque ad eius restitutionem provocarunt quo maiora incommoda viderunt et vident in diem crescere ex spoliatione et carentia dicti Principatus.

Nemo enim est sanae mentis, ait Pius IX *lit. 29 Sept. 1870* quin videat et fateatur, quod erepta Nobis suprema illa ac libera potestate, qua in publici cursus usu proindeque in publico epistolarum commercio civilis Nostri Principatus iure fruebamur — et cum fidere non possimus gubernio ipsi, quod eam sibi potestatem arrogavit, necessaria expeditaque via ac libera facultate prorsus destituamur negotia agendi quae Iesu Christi Vicarius et communis fidelium Pater, ad quem filii ex omni orbe confugiunt, omnino pertractare ac expedire debet. « Quibus adcenset et alia incommoda e. g. » Ii qui Vaticani Nostri domicilio egrediebantur, perquisitioni subiecti fuere, explorantibus gubernii militibus si quae illi sub vestimentis occulerent. — Quis nesciat quam

facili negotio huius modi allucinationes iterari atque aliae ex aliis suboriri possint? — In Lycaeo magno Urbis annuus disciplinarum cursus ob falsas erroneasque doctrinas et ob eorum ingenium qui eas tradunt, in eam conditionem prolapsus est, quae a veteri longe discrepant ».

Et haec sunt initia dolorum. Magis magisque inclamarunt, protestati sunt Romani Pfices, et reclamaverunt Principatum suum civilem cum ventum sit ad abolitionem Ordinum religiosorum. ad confiscationem bonorum Congregationis de Propaganda fide — ad confiscationem tot bonorum quae ad pias et beneficas pertinebant sodalitates; ad confiscationem et dispersionem immensarum Bibliothecarum, ad dispersionem multorum religiosorum a dominiis suis — ad introductionem nefariam divortii . . . . . Et ut cetera mittam, de vandalico crimine internationali et maxime sacrilego quod fuit confiscatio bonorum S. C. de Prop. Fide advertit Pontifex Litt. Apost. *Militans 12 Mart. 1886* agi de Instituto, quod non de religione *solum sed etiam de humanitate gentium praeclare meritum nulla unquam vis superiorum temporum violaverat.*

Quid autem de lege asserit Pontifex dicta piorum Operum, qua gubernium surripuit 1,800,000,000 francorum pertinentium ad varia opera pia? De hac lege *Alloc. 30 Dec. 1889* dicit esse tamquam gradum ad cetera mala iactum scil. ad omnia Religionis delenda vestigia ex institutis civitatum. Congruit sane cum eiusmodi proposito ratio legis, cuius vis est in primis pietatis instituta partim extinguere, partim in aliam naturam convertere.

Leo XIII. Alloc. 30 Dec. 1889 iterum asserebat « In propugnatione iuris Nostri non tutelam rei alicuius mortalis Nobis proponimus tamquam finem, sed maiora quaerimus atque altiora spectamus. Videlicet fidem christianam conservari integram, ut oportet, volumus: eius enim vocatur in discrimen incolumitas.

Idem *1 Iunii 1888* in Concist. inter cetera haec aiebat «.. *Sed quod magis refert prout saepe diximus ea romanorum Pontificum conditio quae ipsorum est tuendae* LIBERTATI NECESSARIA, *nihil obest rebus italicis.* »

ϵ) Huic doctrinae consonat Episcopatus ordo universus: nam Epi. sacra limina proficiscentes vel literis datis ad R. Pontificem vel s. iubilaei causa cum populo suo Urbem petentes eadem protulerunt vota pro recuperando ceu maxime necessario Principatu civili coram Leone quae nuncuparunt coram Pio IX 265 Episcopi quasi totum Episcopatum Catholicum seu totam Ecclesiam docentem repraesentantes anno 1862. « *Civilem S. Sedis Principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus nec, declarare* DUBITAMUS, IN PRAESENTI RERUM HUMANARUM STATU *ipsum hunc Principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri,* OPORTEBAT sane totius ECCLESIAE CAPUT Romanum Pontificem NULLI PRINCIPI ESSE SUBIECTUM imo nullius hospitem; sed in PROPRIO DOMINIO AC REGNO SEDENTEM, *suimet iuris esse et immobili, tranquilla et alma libertate catholicam fidem tueri ac propugnare totamque regere ac gubernare Rempublicam.* Quibus Pius IX reponebat « *Nihil dicimus de impia conspiratione et pravis cuiusque generis molitionibus ac fallaciis, quibus civilem huius Apostolicae Sedis Principatum omnino evertere et destruere volunt. Iuvat potius haç de re commemorari* MIRAM CONSENSIONEM, QUA VOS IPSI UNA CUM ALIIS VENERABILIBUS FRATRIBUS UNIVERSI CATHOLICI ORBIS SACRORUM ANTISTITIBUS

numquam intermisistis et epistolis ad Nos datis et pastoralibus literis ad fideles scriptis, huiusmodi fallacias detegere, refutare, ac simul docere hunc civilem S. Sedis Principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae Providentiae consilio datum, illumque necessarium esse. » Ad illa verba Episcoporum modo relata alludunt Episcopi qui die 1 Iulii an. 1867 Romae erant et in libello ob solemne centenarium S. Petri porrecto Pio IX asserebant « *Hac fide, hisce sensibus ducti loquebamur olim Bme Pater, cum ante quinquennium tuo throno adstantes vota pro Te, pro civili tuo Principatu, pro iustitiae ac Religionis causa palam nuncupavimus. Cuncta haec quae tunc declaravimus nunc denuo piissimo cordis sensu confirmamus.*

Quod si Episcopi omnes doctrinae Romani Pontificis adhaerere intendunt eam profecto eo sensu sequi debent quo iam ante ipsorum adhaesionem scil. 1862 factam, exposuit Pius IX et Pius VII nec non post illam ipsemet Pius IX et Leo XIII. Atqui sive ante sive post aut tempore adhaesionis 1862, et 1867, declararunt Rom. Pontifices dictam necessitatem absque ulla temporis limitatione ergo. Ergo Episcoporum doctrina ita intelligenda. Nam praesertim cum Rom. Pontifex locutus sit, Episcopi recipere ac tenere debent doctrinam propositam a R Pontifice; et etiam cum locutus nondum sit, parati esse debent ad recipiendam doctrinam sensu quoprofert R. Pontifex ipsi enim relate ad Pontificem summum sunt in censu discipulorum, quamvis respectu subditorum suorum sint et ipsi magistri dependentes tamen a supremo Magistro R. Pontifice.

Quid mirum si tot tantorum Magistrorum a Deo constitutorum universam Ecclesiam doctrinam praedictam docentium referant vocem fideles catholici, et si non catholici vocem rationis ipsos impellentis ad testimonium pro civili R. Pontificis Principatu ferendum ?

f) Quod non catholici tantum sed et protestantes quoque admiserint dicti Principatus necessitatem sufficit in medium afferre Gregorovium et etiam de la Guerroniere apud opusculum. *La verità intorno alla Questione Romana* ediz. 1ª 1889, pag. 26 ait. Ora per la presente questione non è già soltanto nel nostro secolo che la sovranità temporale del Sommo Pontefice fu riguardata come intimamente connessa coll'indipendenza del suo governo spirituale. La stessa Instituzione del Patriziato e dell'Impero, cui diedero occasione i tentativi dei Longobardi pel conquisto di Roma avea per fine precipuo la tutela del Principato civile dei Papi e ciò *Ad sanctae* ROMANAE ECCLESIAE LIBERTATEM et SUBLIMITATEM come scriveva il Papa S. Niccolò I (an. 858-867).

Di che il Protestante Gregorovius (storia della città di Roma nel Medio evo vol. III pag. 5) esprimendo l'idea che sempre dominò nella Chiesa a questo riguardo fino dai tempi di Carlo Magno così scrive « *Metropoli della Cristianità* rappresentando un principio universale dovea *avere libertà* e a tutti i popoli devea esserne sgombro l'accesso; ed il sommo sacerdote che in essa sedeva non dovea *essere suddito* di *nessun re.* — E altrove (l. c. vol. IV. pag. 386). L'esistenza d'uno stato ecclesiastico benanco in sì misero assetto (come durante la lotta delle investiture) era *condizionee essenziale* della indipendenza spirituale del Papa. Sed ratio exigens principatum iuxta hunc scriptorem militat etiam pro futuro.

Idem opusc. La verità intorno alla Questione Romana pag. 39 habet « La dottrina cattolica scriveva già il de La Guerroniére in un famoso opuscolo osti-

le al Governo Pontificio, la dottrina catttolica e la ragione politica s'accordano nell' asserire la necessità del dominio temporale dei Papi... Sotto l' aspetto *politico è necessario che il Capo di 200 milioni di cattolici non sia suddito di veruno, che non sottostia alla potestà di nessuno*.. Se il Papa non fosse sovrano indipendente egli sarebbe un francese, un'austriaco, uno spagnolo o un'italiano, e questo titolo nazionale affrancherebbe in lui il carattere del sacerdozio universale. La Santa Sede non sarebbe più che il puntello d' un trono di Parigi, in Vienna, in Madrid. La Russia, l'Inghilterra e la Prussia hanno interesse come la Francia e l' Austria che *l' augusto Rappresentante dell' Unità Cattolica non sia soggetto a nessuno* (Le Pape e le Congrés Paris 1806).

Ma gli inconvienti pergit idem opusc. Verità... or ora accennati crescono a mille doppi quando ci rappresentiamo il Sommo Pontefice assoggettato com' è ora di fatto ad un governo il quale professa principi teoretici e pratici *contrarii alle dottrine della Chiesa*, e se non fosse tale *potrebbe* FACILMENTE DIVENIRLO AD OGNI TRATTO *attesa la natura della Constituzione*, *la* MOLTITUDINE DE' NEMICI *del Cattolicismo*, *e il loro* ORGANAMENTO IN SÈTTE. I rovinosi effetti della sudditanza politica non si poterono rendere comunque tollerabili neppure nei secoli addietro in una società piena di ossequio e di deferenza per la Chiesa; *in una società però qual' è* la presente essi sono spinti fino al *grado estremo*.

Nelle presenti circostanze adunque si tratta che il Capo della Chiesa debba stare alla balìa dei giurati nemici della medesima. E ci maravigliamo che il Pontefice dichiari esser ciò inconciliabile col buon governo della grande società cattolica ?

Unde merito Leo XIII die 30 Iunii 1889 alloquens Cardinales de signo apostatae Bruno Iordano Romae erecto: Hinc, inquit, magis magisque apparet num quieverint everso Principatu civili hostiles animi ; an ALIUD EXPECTANT UT EXTREMUM: scilicet ipsam aequare solo sacram Pontificum auctoritatem, fidemque christianam e stirpe delere. »

Protestans Guizot (l' Eglis. e la soc. chret. chap. XIX p. 143). L' union du pouvoir spirituel e du pouvoir temporel dans la Papauté n' a pas été un fait systématiquement poursuivi et atteint au nom d'un principe rationel ou d' une pretension ambitieuse: mais C' EST LA NECESSITÉ INTIME ET CONTINUE qui a vraiment produit et maintenu ce fait a travers toutes sortes d' obstacles — *En remplissant et pour remplir sa mission, en exerçant et pour exercer son pouvoir, la papauté a eu besoin d' independance, et d'une certaine mesure d'autorité materielle*... Les possessions et le gouvernement sont venus a la papauté comme un appendice *naturel* et un APPUI NECESSAIRE DE SA GRANDE SITUATION RELIGEUSE, ET A MESURE QUE CETTE SITUATION SE DÉVELOPPAIT ».

Ex his omnibus satis superque splendet luce meridiana clarius quod de necessitate dicti Principatus Pontifices affirmant.

g) Addatur et illud quod si quando pro regimine totius Orbis Ecclesiae Pontificibus Romanis civilis Principatus necessarius fuit, hic profecto in praesentiarum est talis ob nunc vigentis dominationis socialis systema. Nunc enim haec Status dominatio super individua et eorum collegia sic extollitur ut valeat eorum libertatem undequaque caercere et extinguere. Omnia nunc sunt sub dominatione status, (et status omnis sub dominatu sectarum massonum) ;

omnemque peculiarium personarum potest activitatem impedire quod anteactis temporibus ne cogitari quidem poterat. Iure proinde necessarium tenetur quod saltem supremus christianae Religionis Moderator occupet locum et sedem habeat in territorio suo et independenti ubi tutus sit et immunis ab hoc immenso cuiuslibet status civilis pondere gravante Ecclesiam, et possit hanc societatem spiritualem regere Cf. De Angelis Praelect. iur. can.

h) Porro si rite expendantur quae hucusque attulimus, praesertim verba Romanorum Pontificum; nec non communis DD. sententia et fidelium sensus, et fundamentum praesentis ordinis attendatur, pro quo dici solet necessarius Principatus civilis, eiusmodi necessitas urget non solum in praesentiarum sed et in futurum. Hanc enim necessitatem dicunt rationes in assertis hactenus allatae: praesertim.

I) verba RR. Pontificum. Pontifices enim Maximi *simpliciter* et *absolute* asserunt tibi *necessarium esse Principatum civilem*. Hunc asserunt cum *perenni* libertate Primatus in universam Ecclesiam *esse arctissimo vinculo coniunctum* — Affirmant illum *esse necessarium* ad SECURAM et STABILEM *tuendam libertatem* — quo R. Pontifex suam supremam spiritualem potestatem in toto terrarum orbe absque ullo impedimento exercere valeat — Unde expostulat eam sibi conditionem, quae ante spoliationem versabatur, qua scil. Rom. Pontifex *subesse debet nemini, plenaque non vero illusoria libertate frui* — Nulli ergo subsit R. Pfex hominum ditioni sed plene sui perfecteque sit iuris, seu perfectus Princeps in temporalibus Cf. Epist. ad Card. Rampolla in *Alleg.* infr. — Hinc protestatur quod *omnia iura eius* (Apsotolicae Sedis) *ex integro et in perpetuum salva velit:* quod a dictis iuribus vindicandis neque longinquitas temporis, neque ulla difficultatum magnitudo ipsum deterrebit.

II) communis DD. sententia consonat huic necessitati asserendae: innumeri alii afferri possent praeter citatos supra scriptores e. g. ephemer. La Civiltà Cattolica; in memoriam revocasse sufficiat verba P. Palmieri e TTh. l. c « Finis scil. Principatus civilis est ut Ecclesia vitam suam socialem non solum agat sed *perfecte* agat, fruatur proinde R. Pfex plena libertate, pax ecclesiastici regiminis sit *ex se stabilis*, ita cum omnibus fidelibus ita libere communicet ut certo constare possit omnibus decreta eius omnia ab ipso sponte procedere, eique omnes plenam fiduciam et observantiam praestent. Atqui si res historice spectetur ET HABEATUR PROINDE RATIO MORUM QUIBUS REGI *solent humanae societates* DIFFICILE PRORSUS SEU MORALITER IMPOSSIBILE SIT UT HAEC BONA OBTINEANTUR SEPOSITIS MIRACULIS, si Rom. Pontifex non sit Princeps. Id sequitur ex considerationibus superius adhibitis, quibus constat 1.° quod qui rex non est, est subditus, si non iure saltem facto, obnoxius scil. vi superioris, *qui abuti semper potest*, facilisque est ad abutendum sua physica vi, quae repelli a Pontifice nequeat: constat proinde 2.° nec integram multoque minus omni Ecclesiae certam fore libertatem Pontificis in exercitio sui Primatus.... Ergo *perfectio vitae Socialis Ecclesiae* POSTULAT *principatum civilem Romani Pontificis* ».

Sed dicta Palmieri ratio valet profecto non tantum pro praesenti sed etiam pro futuro tempore: e.

Aliis verbis: Vidimus supra asserto II. quod Christus Dnus voluit Ecclesiam suam instructam esse non solum iis mediis, quae ad aliquam existentiam con-

servandam sint absolute necessaria, sed certissime intendit perfectam esse existentiam et libertatem Ecclesiae, huius fini, naturae, dignitatique convenientem. Sed spectatis historicis adiunctis, et moribus agendi societatum hisce interris, seu in praesenti ordine generis humani illa conveniens et perfecta existentia ac libertas Ecclesiae necessario requirit etiam principatum civilem: quod relate ad universum terrarum orbem, valet pro praesenti et in futurum &c. &c.

E canonistis audiatur Cavagnis qui Jur. publ. Eccl. Part. 2.ª n. 440 ad quaest. *Sed quid important praesentes circumstantiae?* Resp. « Praesertim alludunt ad divisionem gentium christianarum in plura regna,... Papa... *oportet sit a quolibet independens ut liber sit* . . . . Si tamen unicum esset magnum imperium certe et pro Pontifice requireretur validius regnum ut de facto esse posset liber. Et n. 442. His saeculis, constitutis regnis pluribus christianis et sic creata necessitate Pontificis aeque ab omnibus independentis ut omnibus posset reddere iudicium iustitiae, etiam paullatim efformatus est principatus summi Pontificis iuxta regulam providentiae qua fortiter et suaviter omnia facit; hinc parallele processit efformatio *status socialis exigentis* Pontificis principatum et eiusdem creatio. » Atqui hic status socialis exigentis principatum augescit et in peius ruit etiam in futurum ita ut libertas Pontificis summi sine Principatu civili in obstacula maiora semper offendat.

III. Sensum Episcoporum, omniumque fidelium, etiam catholicorum vidimus supra.

IV. Item indicavimus nunc et antea asserto II. et X. quodnam sit fundamentum praesentis ordinis, pro quo dicitur necessarius Principatus civilis: sed illud obtinet et in futurum . . .

Haec sufficiunt ut *argumento morali* concludatur necessitas Principatus Civilis etiam in futurum. Nam *exigitur* a Rom. Pontificibus principatus ut absque *ullo* impedimento in toto terrarum orbe libertas et independentia Primatus exerceatur. Iamvero impedimentum libertati Primatus multiplex creatur (si careat civili principatu) nunc et in futurum non tantum a divisione imperii in plura regna, sed ab ipsa inconstantia, et mutabilitate naturae lapsae in iis, qui summa rerum potiuntur, ipsius, familiae regiae seu dynastiae, quam vocant, sed a calliditate, astutia, vi, qua, eos qui supremum reipublicae regimen moderantur, circumvenire et premere solent sectae nefariorum hominum, eae praesertim, quae nomini christiano infensae maxime sunt. Has inter primum obtinet locum, quae a Gregorio XVI sentina omnium sordium, a Leone XIII centrum omnium societatum clandestinarum vocatur. Massones fuerunt qui reapse Romam occupaverunt sacrilega invasione, neque unitatem neque libertatem Italiae sed Ecclesiae eversionem intendentes: atque palam fatentur, se summum Pontificatum, cui totius religionis robur insidet, velle destruere. Ipsi sunt qui ab omni republica Christi evangelium et catholica principia omni studio removere satagunt: Ecclesiae efficaciam imminuere, ipsius libertatem ad nihilum redigere, atque adeo sanctam proruere, sedem omni conatu intentant. Caeptum est ab his scelestissimis Principatum civilem evertere ut omne vitium omnisque error per universas Orbis plagae liberius effluat. Omnes civitatum ac familiarum latebras penetrant, cunctorum animis sese insinuant mira constantia ut omnes et singulos vitiorum errorumque inficiant veneno. Haec et similia a *Leone XIII liter. encycl. Humanum genus* clarissime panduntur. — Eiusmodi iamvero sectae ma-

xima diffusio, firma constitutio, nec non obfirmatus animus in persequenda Ecclesia Dei praedicatur a Leone XIII litt. encycl. cit. « *Unius saeculi dimidiatique spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione maiora; inferendoque sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines tantum iam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc tam celeri formidolosoque cursu illa revera est in Ecclesiam, in potestatem principum, in salutem publicam pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo ante praeviderant. Eo enim perventum est ut* VALDE SIT RELIQUO TEMPORE METUENDUM.... *At vero in* SEDEM APOSTOLICAM ROMANUMQUE PONTIFICEM *longe est* INIMICORUM INCITATA CONTENTIO. Is quidem primum fictis de causis deturbatus est PROPUGNACULO LIBERTATIS IURISQUE SUI PRINCIPATU CIVILI: *mox in statum compulsus iniquum simul et obiectis difficultatibus intolerabilem: donec ad haec tempora perventum est, quibus sectarum fautores, quod abscondite secum agitarunt diu, aperte denunciant sacram tollendam Pontificum, potestantem; ipsumque divino iure institutum funditus delendum Pontificatum. Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum qui conscii sunt, testimonium, quorum plerique cum saepe alias, tum recenti memoria rursus hoc Massonum verum esse declararunt* « VELLE EOS MAXIME EXERCERE CATHOLICUM NOMEN IMPLACABILIBUS INIMICITIIS, *nec ante quieturos quam excisa omnia viderint, quaecumque Summi Pontifices religionis causa instituissent.... Atque utinam omnes stirpem ex fructibus iudicarent, et malorum, quae premunt, periculorum quae impendent, semen et initium agnoscerent!! Res est cum hoste fallaci et doloso, qui serviens auribus populorum et principum utrosque mollibus sententiis et assentatione cepit. Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae hoc spectarunt Massones, illos ipsos habere ad opprimendum catholicum nomen socios et adiutores potentes: quibus, quo maiores admoverunt stimulos, pervicaci calumnia Ecclesiam criminati sunt de potestate iuribusque regiis cum principibus invidiose contendere. His interim artibus quaesita securitate et audacia,* PLURIMUM POLLERE IN REGENDIS CIVITATIBUS *coeperunt ceterum parati imperiorum fundamenta quatere et insequi principes civitatis, insimulare, eiicere quoties facere secus in gubernando viderentur quam illi maluissent.* »

Haec secta est quae praecursor, antesignanus et particeps Antichristi passim dicitur, Antichristi. inquam, qui in fine saeculorum etiam pugnabit... Atqui hisce vaferrimis, ac praepotentibus hostibus S. Sedi, ubique terrarum dominantibus, in omnibus omnia per fas nefasque attentantibus, omnes hominum passiones et cupiditates extimulantibus, quis pro humani intellectus diversitate, et voluntatis inconstantia, indomitoque cupiditatum aestu, in quolibet personarum coetu, ordine, classe, in qualibet agentium multitudine, quis, inquam, neget *in praesens et in futurum* creatum iri multiplex vehemens impedimentum, atque praegrandia, ingentissima augescere obstacula contra libertatem essentialem Primatui Rom. Pontificis si ipse spoliatus maneat Principatu civili?

Interim nos Catholici debemus esse perseverantes in doctrina Apostolorum Principis successorum RR. PP. qui saepe saepius a) simpliciter et absolute, absque limitatione temporis asserunt sibi necessarium Principatum civilem ut Pius IX. Encycl. cit. 18 Iun. 1859. « *Necessarium esse palam edicimus S. huic Sedi civilem Principatum ut in bonum Religionis sacram potestatem sine ullo impedimento exercere possit;* et Leo XIII 23 Febr. 1879 « Ad hanc autem potestatem libere toto orbe exercendam necessarium esse civilem Pontificis Principatum » Ubi est limitatio hic?

b) *Sed obiic.* ipsa ratio exigitiva Principatus allata a R. Pontific. est limi-

tatio: *Resp.* E contra ipsa ratio scil. ad SECURAM et STABILEM TUENDAM LIBERTATEM Primatus, ipsa expedita libertas ac independentia ad exercitium Primatus, qua CARERE NUMQUAM potest; est ratio militans etiam pro praesenti et futuro tempore.

c) Asserunt Pontifices R. Principatum civilem sibi singulari Dei providentia concessum, cui non possunt renuntiari, illius iura se salva velle iri perpetuum quae *nulla humana vi* amitti, imminui, aboleri, dextrui posse. Sed reclamant in perpetuum talia iura Principatus ideo quia hic est ipsis necessarius: ergo in perpetuum necessarius sed qualis est valor huius R. Pontificis doctrinae? Respondet sequens assert. XII.

Assertum XII. DOCTRINA, QUA APOSTOLICAE SEDI ASSERITUR A ROMANIS PONTIFICIBUS PRO CONVENIENTI ET PERFECTA EXISTENTIA NEC NON PRO LIBERTATE ECCLESIAE NON MODO LICEITAS ET COMPATIBILITAS, SED ETIAM NECESSITAS OMNINO PRINCIPATUS CIVILIS PERTINET AD CATHOLICAM DOCTRINAM.

De valore doctrinae seu declarationis Pontificiae circa Principatum civilem inquirenti distinguenda doctrina de liceitate et legitimitate Principatus a doctrina circa eius necessitatem. Circa utramque quaeri solet cuiusmodi sit certitudo, et in primis an Ecclesia infallibilis sit in utriusque assertione. — Quod Ecclesia et R. Pontifex infallibilis sit in asserenda liceitate speciatim compatibilitate et legitimitate, idque tum factis tum verbis plane evidens est. Agitur enim de moribus sive de licito vel illicito. Atqui Ecclesia in definiendo id quod illicitum licitumve sit, atque in tot saeculorum serie sibi vindicandis tamquam propriis iuribus nequit errare ita ut liceitatem attollere possit ad dignitatem dogmatis. Certe nunc liceitas et legitimitas pertinet ad doctrinam catholicam; quia iam tradita ordinario atque universali magisterio Ecclesiae, imo expresse tradita tam in Concilio Constantiensi, quam a Pio IX in syllabo prop. 25 proscripta. « De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se Christianae ac Catholicae Ecclesiae filii: » ergo vera est propositio contraria.

Quoad utilitatem pariter vera est doctrina opposita propositioni damnatae in syll. n. 76. « Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret. »

Quoad necessitatem debet distingui triplex velut gradus veritatum: quarum 1ª est immunitas personalis Romani Pontificis: 2ª Romanus Pontifex habet ius ad media ut libertate sua plena uti possit: 3ª porro inter haec media necessarius ipsi est Principatus civilis. Iamvero quoad 1am patet ius immunitatis personalis esse veritatem divinitus revelatam: unde ea credenda est fide divina. Assertio autem nostra ait Palmieri l. c. ex discurso theologico procedere: unde haeretici nomen non meretur qui contra sentiat. Et re quidem vera revelatum illud dicitur quod analysi instituta veritatis revelatae ope principii contradictionis in ea contentum reperitur: atqui in veritate primatus veritas quoque continetur immunitatis et independentiae illum exercentis ab ulla alia potestate. Nam contradictorium est posse Romanum Pontificem ligare et sic irritare actus potestatis alterius exercitos in ipsum et eidem potestati subesse.

Quoad 2m scil. ius ad media necessaria ut libertate sua plena uti possit:

idem prorsus dicendum est. Revelatum est enim Romanum Pontificem ius habere ad plenum exercitium suae auctoritatis: perinde est enim conferre auctoritatem et conferre hoc ius: atqui collato iure ad finem hoc ipso confertur ius ad media necessaria, ut qui affirmat ius esse ad finem eumque esse vult, hoc ipso affirmat necesse est ius esse ad media necessaria. Ergo etiam hoc 2 m ius est revelatum.

Sed quoad 3m quoniam eiusmodi media Deus non omnia ipse determinavit, sed reliquit determinationi Ecclesiae. Atqui Ecclesia determinavit Principatum civilem uti medium necessarium. *Ad hanc* minorem Ecclesia scil. quae scit se habere ius ad media necessaria pro pleno exercitio suae potestatis, illudque habere semper et pro quavis conditione humanae societatis, definire potest « his in adiunctis h. e. ita se habentibus hominum moribus necessarius est Pontifici Principatus civilis — Iamvero ad quaestionem » qnanta sit certitudo huius veritatis Resp. supposito quod Ecclesia possit sententiam infallibilem ferre non solum circa veritates revelatas sed et circa alias sive theoreticas sive practicas aut historicas, quae cum dogmate sive theoretico sive practico connexionem habet; Principatus civilis quod sit necessarius talis est veritas. Nam dogma est Romanum Pontificem ius habere ad liberum exercitium suae plenae potestatis: et praeceptum pariter divinum est sive dogma practicum debere fideles omnes potestatem hanc revereri liberumque eius exercitium impedire numquam; atqui ut id firmiter praestatur constare debet cum certitudine quaenam sint media necessaria ad illud exercitium: si enim negatur necessitas alicuius medii quod tamen reapse sit necessarium, periclitari potest in fidelibus fides ipsius dogmatis iuris scil. ad liberum exercitium suae potestatis. Nam si quis putet illud non esse necessarium et posse sine ulla iniuria anferri Pontifici, nequit ille simul tenere Pontificem habere ius ad eam libertatem, quam sine eo medio Pontifex reapse exercere nequit.

Iamvero auctoritati docentis respondet in discipulo fides, et auctoritati infallibili respondet fides certa et infallibilis. Quae idcirco non est tantum fides humana; nam innititur auctoritati magisterii divinitus instituti et infallibilis; non est autem simpliciter fides divina, quia obiectum eius formale non est auctoritas Dei revelantis. Est ergo fides infallibilis innixa auctoritate magisterii divinitus instituti. Est autem fides debita: auctoritas enim magisterii Ecclesiae est auctoritas iurisdictionis qua fides praecipitur; unde nec sufficit obsequiosum silentium: ut decrevit et declaravit Clemen. XI *Constit. Vineam Dni.* Ast supra vidimus et probavimus idque certum est Romanum Pontificem plus semel et cum eo universum episcopatum solemniter docuisse simpliciter et absolute necessitatem Principatus civilis: et doctrina necessitatis est antiqua non nova (1) unde si quis contradicit huic

(1) Ut genesis quadantenus huius doctrinae pontificiae pro civili principatu et declarationis errorum contra ipsum indicetur, praestat hac nota saltem subiicere quaehabet opuscul. cit. *La verità intorno alla questione romana* « In conferma dell'antichità d'una tal dottrina, merita singolarmente di essere ricordata la constituzione di Papa Niccolò III *Fundamenta militantis Ecclesiae* la quale pubblicata nel 1278, si presenta oggi con tutta freschezza d' un documento con-

praeceptae fidei et negat simpliciter necessitatem inobediens profecto et ita contra sententiam Capitis ac sensum membrorum totius Ecclesiae agat, et praxim fovet suae erroneae doctrinae, profecto censuras incurrit, et nobis videtur schismaticus esse; quod si neget Romanum Pontificem posse proponere etiam praecepti ritu hanc doctrinam, sapit haeresim ecc. ecc.

Quod Ecclesia hanc doctrinam proposuerit praecepti situ liquet a) *indirecte* ex eo quod plura Concilia damnaverunt eos qui volebant S. Sedis temporale dò-

---

temporaneo, tanta è l' evidenza delle massime che vi inculcano — Lo scopo della Constituzione è d' impedire con assoluto divieto, che niun Imperatore, nè Re, nè altro potente per Signoria di Stato venga mai eletto al reggimento municipale di Roma. Ut nullus Imperator seu Rex, marchio, Dux, comes, aut baro . . . in senatorem, Capitaneum, Patricium, aut rectorem vel ad eiusdem regimen seu officium nominetur eligatur c. 7 De Elect. et Electi pat. in 6°. Nessun principe nè potentato forestiero dovea venire a regnare in Roma accanto al Pontefice; e perciò se ne chiudeva a loro tutti la via furbesca, onde v'erano giunti alcuni per l' addietro, col farsi cioè eleggere dal popolo a' magistrati cittadini.

Ora il motivo che il Papa Niccolò III allega di tale esclusione, è la necessità che il Capo della Chiesa sia pienamente libero ne' suoi atti egli ed i suoi consiglieri: e per questo esser Roma stata ceduta ai Pontefici: ut ipsa Petri Sedes in Romano iam proprio solio collocata, LIBERTATE PLENA in suis agendis per omnia potiretur. Imperocchè, continua a dire, convien che sian liberi i consigli, dati allo stesso Romano Pontefice da' suoi fratelli, i Cardinali della Sacrosanta Chiesa Romana, i quali gli assistono come coadiutori nell' esecuzione dell' officio Sacerdotale: conviene che i giudizi di lui medesimo non vacillino in nessun modo; che niun timore di potestà secolare spaurisca i suoi fratelli, nessun favore li lusinghi, nulla li rimuova dalla solidità del retto consiglio . . . e che la stessa Elezione del Romano Pontefice, Vicario di Gesù Cristo, che ai suoi tempi occorreva di fare, e l' elezione altresì de'Cardinali, quando sia espediente di crearne, procedano con tutta libertà. « Decet namque ipsi Romano Pontifici per Fratres suos, Sacrosantae Ecclesiae Cardinales, libera provenire iudicia. Decet ipsius nullo modo vacillare consilia. Decet ut fratres ipsos nullus saecularis potestatis metus exterreat, nullis temporalis favor absorbeat, nihil eos a veri consilii soliditate removeat . . . ipsaque Romani Pontificis Vicarii Dei, quae suis temporibus occurret, electio et eorumdem Cardinalium (cum expedierit) facienda promotio, in omni libertate procedant. c. 17 de Elect. et El. pot. in 6.

Non sarebbe certamente venuta meno la materia al Pontefice Niccolò III, se avesse voluto numerare tutti gli sconci, provenienti al buon governo della Chiesa, dalla presenza in Roma d' un altro Potentato politico, non ostante che questi non si arrogasse apertamente la sovranità. Ma la libertà del governo ecclesiastico fu sempre il punto vitale, alla cui integrità i Papi volsero le loro più sollecite cure nella rivendicazione della Sovranità Pontificia. Cinquecento anni dopo emanata da Niccolò III la Constituzione *Fundamenta* il Pontefice Pio VII, prigioniero, importunato da Napoleone I a sottoscrivere un trattato,

minum destruere, ex eo quod poenis severissimis non solum qui talia attentarunt, sed et eos qui vel consilium ad ea praebuerunt: b) *directe* ex eo quod Pontifices plurimi praesertim Pius VII, Pius IX et Leo XIII necessitatem Principatus civilis proposuerunt universae Ecclesiae per constitutiones, per literas Encycl.; ideo autem doctrinam hanc proposuerunt ut omnes eam fide explicata tenerent. His addatur quod propositiones et libri continentes errorem circa Principatum civilem sub gravissima censura fuerint damnati, reprobati, proscripti ecc. ecc.

---

rispondeva: gli si rendesse Roma e quivi libero di sè avrebbe potuto trattare: e noi quasi un secolo più tardi udiamo la voce di Leone XIII che dalla Cattedra di Pietro seguita a rivendicare il Principato civile come « guarentigia alla Sede Apostolica, di fidata e stabile indipendenza nell' esercizio e supremo ministero ».

Se non che questa dottrina così antica e costante nella Chiesa, è entrata ai giorni nostri, in una fase di predicazione più esplicita e più solenne; così disponendo Iddio a guida e sostegno dei fedeli nella presente lotta, in cui la guerra mossa alla Chiesa si dissimula appunto sotto la maschera di questione politica.

Di fatti, non appena si diè principio nel 1859, coll' occupazione delle Romagne, al meditato spogliamento della S. Sede, e tosto il Sommo Pontefice Pio IX allora regnante rivolse a tutto l' Episcopato un' Enciclica, nella quale dichiarava esplicitamente e solennemente la necessità del Dominio temporale per potere esercitare senza verun impedimento la sua sacra potestà per il bene della Religione. *Necessarium esse palam edicimus* Sanctae huic Sedi civilem Principatum, ut in bonum religionis sacram potestatem *sine ullo impedimento exercere possit*. Epist. encycl. Pii IX 18 Iun. 1859. » E l'anno appresso infliggendo le pene ecclesiastiche agli autori della iniqua usurpazione, insisteva sull'antica dottrina che cioè Iddio avea voluto la Sede del Beato Pietro fornita di civil Principato, a tutela e conservazione della libertà dell' Apostolico ministera « Quo (civili Principatu) Deus hanc B. Petri Sedem instructam voluit ad Apostolici ministerii libertatem tuendam atque servandam. » Lit apostol. Pii P. IX 26 Mart. 1860.

A queste dichiarazioni tutto l' Episcopato Cattolico aderì con unanime consenso, come ad insegnamento del supremo Maestro; e come tali le propose ai fedeli; dichiarando ancora per maggiore solennità in un documento collettivo che « nel presente stato delle cose umane, il Principato civile della S. Sede é al tutto necessario pel buono e libero reggimento della Chiesa e delle anime. » In praesenti humanorum rerum statu ipsum Principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri. Così leggesi nell' indirizzo presentato al S. Padre Pio IX da oltre a trecento Arcivescovi e Vescovi, presenti nel Concistoro il dì 9 Giugno 1862, a nome proprio e dei loro fratelli assenti. Ma già da tre anni essi venivano predicando questa dottrina e i popoli l' accoglievano con istraordinarie mostre di fervorosa adesione.

Con ciò la necessità del Dominio temporale nel senso predetto diviene inse-

Responsio ad obiecta supra asserto XI.

Ad 1.m Populus non potuit a Romano Pontifice ad alium dynastam transferre iurisdictionem politicam quia ipse populus carebat potestate evertendi sacrum principatum semel legitime constitutum quo Princeps per tot saeculorum seriem pacifica possessione in bonum et prosperitatem populi gaudebat transmissurus illum una cum iure primatus in successores suos Romanos Episcopos. Quando enim eligitur forma gubernii monarchica praesertim alligata dignitati perpetuae ut in casu nostro S. Sedi plenae scil. cum suo Primate, profecto populus confert irrevocabiliter supremam independentem auctoritatem cf. resp. ad obiect. sub asserto VI.

Ad 2.m Diximus iam, non posse praescribi iura S. Sedis, quia quae alienari non possunt, non possunt quoque praescribi, quia sacra, quia maiestatica, quia per vim et usurpationem sacrilegam ablata, quia connexa cum iure divino (qualis est plena libertas et independentia Primatis) ceu medium necessarium cum fine, et quia ipsi Romani Pontifices legitimi possessores saepissime reclamarunt atque universum terrarum orbem docuerunt esse iura sacra, impraescriptililia, quae numquam possint ulla humana vi amitti, destrui, aboleri.

Ad 3.m Negatur consequens quod scil. facta completa ex hoc ipso quod sint facta et consumata ius aliquod pariant agenti. Hoc autem principium factorum quae consummata dicuntur non una est absurditas, sed cumulus absurditatum, ut per se patet. Ceterum omnibus fidelibus sufficit nosse eiusmodi principium damnari a Pio IX Syllab. propos. 59a et 61a; vehementerque reprobari ab eod. Pio IX ceu maxime detestabilis error. Alloc. 2 Iuni 1862: ubi etiam de Principatus civilis necessitate positiva ac perspicua affirmatio habetur « Illum necessarium esse ut nulli unquam principi aut civili potestati subiectus (Pontifex) supremam dominici grecis universi pascendi, regendique potestatem auctoritateque ab ipso Christo Dno divinitus acceptam, per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere ac maiori eiusdem Ecclesiae et fidelium utilitati ac indigentiis occurrere possit « Plurimi autem Pontifices eiusmodi facta completa nominatim circa Principatus civilis sacrilegam usurpationem et detentionem gravissima paena ex communicationis puniunt cf. Pii XI Const. Apostolicae Sedis (Serie II n. XIII) et ibi citt. constit. aliorum Pontificum.

---

gnamento cattolico da doversi senz' altro ritenere e seguire da ogni figliuolo della Chiesa.

Il fatto e il valore di questa dichiarazione sono così manifesti, che i censori dell' attitudine di protesta, mantenuta da Leone XIII, non hanno pur pensato a metterli in dubbio. Ma dall' altro canto la giustificazione di quell' attitudine ne esce così smagliante che conveniva pur provarsi a deluderla.

É detto adunque: « Il poter temporale è *necessario*, come fu più volte dichiarato; ma non assolutamente; è *necessario relativamente*: e forse la parola *relativamente* conservando la sua forza pel passato, cessa pel presente e pel futuro. » Cui et ceteris difficultatibus propositis sub asserto XI, illico fiet satis.

Ad 4.m Negatur quod novus rerum status in Italia a multis gentibus admittatur: catervae enim nefariorum hominum vel aliquot massonica gubernia profecto non constituunt illas multas gentes cf. subscriptiones Episcoporum omnium eorumque fidelium in quolibet regno praesertim in Italia an. 1859-1860, et an. 1886.

Ad 5.m Etsi solemnes Pontificum Declarationes non sint dogma, etsi sint mutabiles, tamen suo modo connexae sunt cum dogmate: quod si non continentur formaliter et expresse in S. Scriptura et traditione, tamen constituunt doctrinam catholicam ab Ecclesia infallibiliter propositam. Transeat autem quod Principatus civilis sit materia terrena, humana temporalis; tamen cum re maxime spirituali, et supernaturali connexa. Vidimus supra Ecclesiam posse iurisdictionem politicam acquirere retinere et exercere sicut ius habet adquirendi administrandi et cetera iura proprietatis exercendi circa temporalia: nec non potest declarare haec sibi esse necessaria atque sua sanctione munire ut quaelibet alia societas perfecta inter homines constituta. — Negatur etiam quoad iusiurandum quo se obstrinxit R. Pontifex de non cedenda Ditione pontificia, prohibeat ipsum tantum a cessione in privatam utilitatem . . . ; formula enim est simplex, absoluta quoad omnes: et Romani Pontifices ita semper intellexerunt iuramentum suum quoad potestates omnes, et de cessione etiam in bonum alicuius nationis.

Ad 6.m Quod summa utilitas et necessitas nationis italae non possit praevalere utilitati et necessitati maxime pro plena libertate et independentia Primatis Ecclesiae diximus et probavimus in Asserto II ab obiect. f) et g.

Ad 7.m quoad minorem negatur posse Ecclesiam obtinere plenam libertatem per axioma *Libera Chiesa in libero Stato* cum practice hoc axioma recidat in aliud « Serva Ecclesia sub dominante ac praepotenti Statu ut per se patet Cf. quae supra disseruimus de liberalismo. Vol. 1.

Ad libertatem cultuum quod spectat: item negatur per hanc obtineri plenam libertatem et independentiam Catholicae Ecclesiae doctrinae: Experientia tot annorum in pluribus regnis ubi libertas cultuum seu tolerantia religiosa et civilis permissa est: unice verae societati religiosae, quae est Catholica, est denegata libertas. Quid nunc in Italia, ubi sese emancipavit status ab Ecclesia, acquisivit ne Ecclesia, omnimodam libertatem? ut possit omnibus praedicare omnem veritatem, et cetera unice verae religionis iura exercere? Romani Pontifices et protestantur semper se non gaudere hac libertate: Praesertim inter ceteras veritates praedicandas super tecto omnibus etiam magistratui ut opera compleant *est doctrina quod Ecclesia Cactholica sit unica vera religio extra quam non datur salus*, ipsa damnare et reprobare debet et inducere magistratum ut e territorio expellat omnes alias sectas religiosas, docere et efficere debet Ecclesia ut ab omnibus agnoscatur uti societas perfecta religiosa unica, cui ius competat exclusivum, plenum et universale quoad exercitium cultus iuxta missionem a Christo Dno acceptam *Ite in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* Praeterea omnes norunt non posse haberi veram in regno pacem saltem diu stabilem ubi libertas cultuum permittatur. Hinc merito.

Cavagnis Instit. Iuris publ. Eccles. part. 2.a spec. n. 445 Etiamsi, ait, doctrina moderna de cultuum libertate ubique applicaretur tamen esset semper

cum limitatione; dummodo non praeiudicet publicae tranquillitati et ordini exteriori, cuius princeps iudex est; haec clausula necessario semper adiungitur; cum enim doctrina de cultuum et conscientiae libertate sit obiective falsa et proinde subversiva ordinis socialis, qui eam invocant ut uegent religioni catholicae eam protectionem quae per se loquendo eidem unice deberetur, ex necessitate suae conservationis coguntur postea citius vel serius dictam clausulam limitantem apponere.... et R. Pontificem contraria praedicantem iuxta sua principia habere coguntur ut seductorem, qui negat iura nativa status et populos ad inobedientiam provat. »

Ad 8.m *Resp. N. antec.* Ad rationem additam quod impossibilis facta sit restitutio iterum N. uti supra ostendimus Asserto X. part. 1 — Ad auctoritatem D. Pacifici dico opusculum, quo talia profert ille, fuit a S. Sede reprobatum — Insuper de modo ac via perveniendi ad restitutionem faciendam iudex unice competens est R. Pontifex, qui pro sua prudentia et caritate qua pollet in humanum genus et erga ipsam Italiam, dum salva et integra omnia S. Sedis iura recuperet, efficiet ut id contingat cum minori, quo possit damno. Ceterum cuilibet sanae mentis in oculos insilit quod maiora mala sine principatu civili obventura sint non uni Italorum nationi tantum sed cunctae Ecclesiae Catholicae, sed universo humano generi quam si ad Italiae unitatis dissolutionem seu divisionem ut antea iterum deveniatur. Praestat huc referre Leon. XIII verba (ep. ad Epos. Ital. 15 Febr. 1882. « Cum rei christianae quam maxime intersit Pontificem Rom. in gubernanda Ecclesia et esse et videri ab omni periculo, molestia difficultate liberum, quantum lege possunt catholici, agendo, rogando, contendendo, tantum Pontificis causa enitantur et efficiant; neque ante quiescant, quam sit nobis reapse, non specie *libertas restituta, qua eum non modo Ecclesiae bonum, sed et secundus rerum Italianum cursus et christianorum gentium tranquillitas* NECESSARIO *quodam* VINCULO *coniungitur.*

Ad 9.m Francomurariorum secta obstabit restitutioni invincibiliter. Resp. Fatemur esse verum obstaculum, imo principale et ferme unicum ipsam sectam massonicam quae nullum non movit lapidem ut spoliaretur R. Pfex Principatu civili, atque ne restituatur omnes intendit nervos. Quid inde? Debemus victas dare manus? Absit. Absit: hoc esset cedere diabolo et angelis eius in re tam maximi momenti, in re tam vitali, in qua vindicanda quoties vel diuturno bello omni labore et industria, usque ad sanguinem parati desudarunt Patres nostri Romani Pontifices et semper tandem egerunt triumphum?? Cedere autem sectae massonum!? qui in occupatione sacrilega Principatus civilis pro fine habuerunt non unitatem et libertatem Italiae sed eversionem Ecclesiae S. Dei. Il qui aperte fatentur se velle summum Pontificem seu S. sedem destruere ut illud Evang. verificetur *Percutiam pastorem et dispergentur oves:* qui perpetuo moliuntur seditiones ut destructi promant et destruant thronum et altare?! Haec de ipsis docent Romani Pontifices praesertim *Clemens XII Const. In eminente 24 Apr. 1738* Benedict. XIV. 1751 const. *Providus Romanorum Pontificum*: a Pio VII. *Alloc. 1808* Leo XII. Pius VII *encycl. tradicti* — Gregor. XVI. *encycl. Mirari vos 15 aug. 1832* — Pius IX. *encyl. Qui pluribus 9 Nov, 1846 Alloc. 9 Dec. 1854 ubi « Existere etiam nunc dolendum est, inquit, impium incredulorum genus, qui omnem si fieri potest exterminatum vellent*

religionis cultum: eisque adnumerandi sunt in primis clandestinarum societatum gregales, qui nefario inter se foedere coniuncti, nullas non adhibent artes ut rem et sacram et publicam perturbent, evertant; in quos profecto verba illa cadunt divini Reparatoris vos ex patre diabolo estis et opera patris vestri vultis facere. Et alloc: 20 April. 1849 Quibus quantisque « Quos abominabiles perditionis sectas non solum animarum saluti, verum etiam civilis societatis bono et tranquillitati vel maxime infestas, atque a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris damnatas nos ipsi iugiter detestati sumus condemnavimus et nunc pariter suprema Nostra Apostolica auctoritate iterum damnamus, prohibemus atque proscribimus » Leo XIII pariter pluries aggressus principia pravamque Massonum doctrinam sed praesertim ipsam societatem directe impetit in epist. *encycl. Humanum genus 20 April. 1884*: ex qua patet

1. quod tractanda sit semper ut hostis acerrimus totius generis humani sicut diabolus pater eorum cuius volunt facere semper voluntatem: idque non modo a subditis sed a Regibus, a magistratibus omnibus tam ecclesiasticis quam saecularibus ita ut omne commercium cum his gregalibus abrumpatur, et pertractetur ceu infernalis draco, qui seductione et terrore in nationibus in civitatibus in familiis cunctis, qua seductione, qua vi et terrore singulos vult veneno inficere atque omnia susque deque vertere atque tandem omnes et singulos perdere aeternumque in Tartarum detrudere conatur.

2. Ut autem possit talis tractari qualis est, debent omnes et singuli edoceri de eorum pravis factis — congressibus —... et de iis quae magis in diem attentare nituntur, scelestissima nempe quaeque, in singulos, in civitates, in regna.

3. Audiendus est Romanus Pontifex qui in praxi quae necessaria sunt exhibebit ad omnem industriam, vires conatusque omnium tam guberniorum quam christifidelium singulorum pro tanta pernicie omnis humanae societatis et totius catholicae religionis abolenda destruenda. Et iam Leo XIII cit. encycl. praeclara monita et sapientissimas industrias tradidit christianis societatibus ac toti humano generi: quas inter est observantia decretorum Apostolicae sedis — sollicitudo episcopalis in sectarum arteficiis detegendis, defensio veritatis catholicae verbo et scriptis et opera etiam virorum laicorum. Praeterea addit Pontifex: oppugnatio tam vehemens propugnationem postulet parem: nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et precandi: Huc spectare debent coetus virorum laicorum lega antimassonica, catholici operariorum coetus, scholae et collegia opificum. Hisce a Beatissimo Patre Christi Vicario institutis si adiungatur assidua oratio ad Deiparam immaculatam ac honestissima vita, et praesto erit Deus ut eadem repleti omnes fortitudine et potentia quae satanam usque vicit, quasi castrorum acies ordinata praeliabunt praelia Domini ac plenam parient victoriam ex hoste vaferrimo doloso, terribili prae cunctis qualis est secta massonum *in quibus* ut habet Leo XIII cit encyl. *perspicuum est contumaces illos mali daemonis spiritus cum indomita perfidia et simulatione reviviscere.*

Ad 10m Quod doctrina necessitatis principatus civilis sui declarata a Romanis Pontificibus non debeat intelligi absolute sed relative scil. ad praeteritum, non ad praesens neque ad futurum tempus, falsissimum est ex iis, quae diximus supra asserto XI. Necessitatem praesertim principatus civilis profecto

ostendunt vel magna incommoda, quae destructionem eius subsecuta sunt. Quod si unquam ille necessarius, praesertim erit nunc et in perpetuum necessarius pro salute totius humanae societatis contra Massonum sectam, quae praeparatio est Antichristi. Dictum est simpliciter unicum Primatui necessarium medium ad plenum exercitium immunitatis et independentiae, qua ex iure divino gaudere debet R. Pontifex sicut hic absolute quoad omne tempus praesens et futurum asserit sibi necessarium dictum Principatum. Dicit enim Leo XIII encycl. 21 April. 1878. « Ad hanc restitutionem postulandam movemur... non solum *ex eo quod Principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius ;* scil. etiam quod exploratissimum, est cum de temporali Principatu Sedis Apostolicae agitur, *publici etiam boni et salutis totius humanae societatis causam agitari.*

Ad 11^m^ Cautionum leges (Guarentigie) a Subalpino Gubernio inventae ut Pontifici sint pro temporali dominio, nullam habent soliditatem, nullam dant securitatem: quod facinora ostenderunt innumera, quae post an. 1870 tam contra iura personalia, reverentiam, ac libertatem Rom. Pontificis sed etiam contra cetera S. Sedis iura sunt patrata. — Ceterum R. Pontifex indiget libertate vera stabili ac plenissima. Atqui precaria valde, imo derisoria est auctoritas atque libertas illa, quae ex concessione guberni est atque exercetur, quaeque proinde ex voluntate aut libitu concedentis dependet, vi aliena subsistit, limitata ita ut fines ei signatos a Gubernio praetergredi non possit. Unde haec iura maiestatica pro R. Pontifice a gubernio conficta nonnisi illusoria auctoritas est. Instar omnium sit Pius qui inter Pontifices de his cautionum legibus quae diximus confirmans inquit *encycl. 15 Maii 1871.* « Subalpinum gubernium dum ex una parte Urbem properat Orbi facere fabulam, ex altera ad fucum catholicis faciendum, et ad eorum anxietates sedandas, in conflandis ac struendis futilibus quibusdam immunitatibus et privilegiis, quae vulgo *Guarentigie* dicuntur, elaboravit eo consilio ut haec Nobis sint in locum civilis Principatus quo nos longa machinationum serie et armis parricidialibus exuit ». Et iam ad Card. Vicarium 2 Mart. 1871 scripserat « Inventum in quo nescires quidem num principem obtineat locum *absurditas*, aut *calliditas*, aut *ludibrium* . . . Quum concessio potestatem aliquam in concedente erga illum, cui conceditur suapte natura requirat, huncque eius potestati et arbitrio saltem quoad rem concessam subiiciat, necessario sequitur operam ab istis insumi in Imperio nostro iis mediis fulciendis qua ipsum evertunt delentque. Insuper intrinseca natura concessionum ea est ut ipsarum unaquaeque specialem secum ferat servitutem, quae longe quoque durior efficitur ex posterioribus additis emendationibus. —Postremo fraudolentus et hostilis spiritus, qui quamvis insidiose coloratus ex illis emergit, ex continua factorum serie adeo illustrantur ut evidentem contumeliae characterem illis inurat. — Quod si divini, pergit ead. epist. ad Card. Vicar. Auctoris sui imaginem in se debet Ecclesia referre, nonne debebimus Nos, qui licet immerentes Iesu Christi in terris vices gerimus gratias ipsi rependere quod Nos quoque sinat iniuriosis imperii insigniis circumdari. »

Atque indictas machinationes cit. Encycl. 15 Maii 1871 invehere continuat « Quoniam subalpini gubernii est perpetuum turpemque simulationem cum impudenti contemptu adversus pontificiam Nostram dignitatem et auctoritatem coniungere, factisque ostendit Nostras protestationes, expotulationes censuras

pro nihilo habere; hinc minime obstante iudicio de dictis cautionibus a Nobis expresso illarum discussionem et examen opus supremos regni Ordines urgere et promovere non destitit velut de re serie ageretur. Qua in discussione cum veritas iudicii Nostri super illarum cautionum natura et indole, tum irritus hostium in velanda eorum malitia et fraude conatus luculenter apparuit. — Quamquam fideles longe absint ut iis eludantur fallaciis, quae cautionem nomine teguntur, tamen Apostolici Nostri Officii munus esse ducimus ut toti Orbi solemniter declaremus non modo eas quae cautiones appellantur, quaeque Gubernii subalpini iuris pesperam causae sunt, sed, quicumque tandem sint, titulos, honores, immunitates et privilegia, et quidquid cautionum seu guarentigie nomine veniat NULLO MODO VALERE *posse ad asserendum expeditum liberumque usum divinitus Nobis traditae potestatis* et ad tuendam necessariam Ecclesiae libertatem.

Ad 12^{m} Primum contingit: quia Pontifex non solum est subditus, sed sub eorum potestate, qui ab omnibus Catholicis censentur eius inimici: hanc autem conditionem lex ipsa naturae non patitur permanere. Alterum precarium est, si esset verum: sed falsissimum esse facta ipsa contraria et innumera iam ab ipso 1870 luculenter ostendunt, ut supra exposuimus, atque peiora in posterum portendunt.

Conclusio. Unde merito inquit Pius IX encycl. 15 Maii 1871 cui consonare vidimus Leon. XIII. Quemadmodum pluries professi sumus *Nos nulli adhaerere conciliationi posse, quae quolibet modo iura Nostra destruat, aut imminuat*, quae sunt Dei iura, sicut nunc declaramus, Nos accepturos esse, nec posse excogitatas cautiones, quaecumque sit eorum ratio, *neque alia quaecumque sint eius generis, et quorumque modo sancita, quae specie muniendae Nostrae sacrae potestatis oblata fuerint in locum et subrogationem civilis illius potestatis, quo divina Providentia Sanctam Sedem munitam voluit, quemque nobis confirmant tum legitimi tituli, tum undecim et amplius saeculorum possessio.* — Plane enim cuique manifesto pateat necesse est, quod ubi Romanus Pontifex alterius Principis dictioni subiectus foret neque Ipse revera amplius in politico ordine suprema potestate praeditus esset, neque posset sive persona eius sive actus ministeri Apostolici spectantur, sese eximere ab arbitrio illius, cui subest, imperantis qui etiam vel haereticus vel Ecclesiae persecutor evadere posset, aut in bello adversus alios principes vel in belli statu versari. — — Et sane ipsa haec concessio cautionum, non per seipsam loculentissimo documento est, Nobis, quibus data divinitus auctoritas est leges ferendi ordinem moralem et religiosum spectantes, Nobis qui naturalis ac divini iuris interpretres in toto Orbe constituti sumus, leges imponi, easque leges quae ad regimen universae Ecclesiae referuntur, et quarum conservationis ac executionis non aliud est ius quam quod voluntas laicarum potestatum praescribat ac statuat?

Ex eo quod R. Pontifex non solum recusat leges cautionum sed nullum reconciliandi modum admittat quo iura Principatus civilis destruantur vel minuantur, ex eo quod solemniter protestatur se in subrogationem civilis sui Principatus posse admittere nihil, unum restat quod in re praesertim tanti momenti in omnibus suis iuribus circa dominium temporale evidenter pertinens ad unam Apostolicam Sedem, Romanam Ecclesiam *illico sit restituendus*: q e. p.

DISSERTATIO QUINTA

DE VERA SEU DE IPSA GENUINA TOTIUS ECCLESIAE CONSTITUTIONE.

PRAENOTANDA

Ut de potestatis subiecto tractatio, qua continetur totus hic II.us liber, absolvatur inquirendum restat *an quis et quatenus, praeter. Rom. Pontificem, polleat in Ecclesiam auctoritate ex Christi voluntate.* — Cum autem supra dictum sit, totam hanc de subiecto potestatis doctrinam pendere a voluntate Christi determinatis (1) formam regiminis, expendentibus Christi Dni voluntatem,

(1) Huc facere possunt quae habet Audisio pag. 4. in suo opere Diritto publico della Chiesa Tit. I. Mezzi o stromenti da condurci al vero concetto constituente il governo della Chiesa sono o la ragione, o la rivelazione o entrambe. Quindi il metodo può esser triplice 1.° *razionale puro*, quali ci viene da soli documenti della ragione: 2.° *positivo puro*, cioè inferito da soli monumenti della rivelazione: 3.° misto del 1.° e del 2.° Il 1.° è insufficiente, ed impossibile, il 2.° sufficiente più o meno scientifico. Il 3.° è preferibile quando alla ragione soprastia la rivelazione ma inversamente è fonte di sette e di scismi ..... In prima diciamo insufficiente l' instrumento e il metodo della pura ragione 1.° perchè la ragione da sè sola non potrà mai indovinare nè direi alcun fatto della storia umana, quale p. e. sia stata la costituzione politica della Grecia e di Roma; ma si dovrà, raccogliere e crederla dall' autorità de' testimoni e degli scrittori che ce l'hanno tramandata. 2.° Dunque a *pari* la ragione non può indovinare quale constituzione Gesù Cristo abbia dato alla Chiesa, di cui esso è autore e legislatore. 3.° Anzi a *fortiori* la ragion naturale senza esterni soccorsi non potrà mai elevarsi ad immaginare la forma, l'estenzione e i limiti d'una costituzione divina, sociale e giuridica, per la quale si communica all'uomo l'oltrarazionale ed il vero sopranaturale.

Sono ad ogni uomo due veri soprasensibili e oltrarazionali, il suo principio ed il suo fine cioè come e perchè il primo uomo sia venuto al mondo e che sia

deprehenditur certe 1. quid Christus noluerit, seu quaenam sint falsa systemata circa Ecclesiae Constitutionem, quibus dignoscitur *quid Ecclesia non* sit : 2. Quid Christus Dnus voluerit positive, seu qualis sit vera Ecclesiae Constitutio tum quoad caput visibile, tum quoad corpus simul, qualis scil. quoad hanc partem sit vera Ecclesiae Constitutio.

Iamvero in praecedenti dissertatioone 4,ª iam confecimus primum caput. Exposuimus enim atque impugnavimus praecipua saltem systemata, quae contra Ecclesiae constitutionem aberrarunt : tum dictorum systematum fundamenta evertimus vel unam de visibili Ecclesiae capite doctrinam satis superque demonstrantes (1). Qua doctrina nobis fundamentum iecimus, ut totum inde

---

di noi nella vita avvenire. E diconsi tali perchè inaccessibili a' sensi ed alla ragione, però possibili a comprendersi mediante la rivelazione. Ma oltre a ciò inimaginabili ed insieme incomprensibili son que' veri propriamente sovranaturali, de' quali la rivelazione ci rende chiara l'esistenza e non la natura, quali sono i misteri di Dio e della Redenzione. — Ora questi veri oltrarazionali e sovranaturali sono i perni su cui deve girare e reggersi una costituzione religiosa che ha per fine il governo e l' indirizzo delle anime ai loro immortali destini. Dunque ignorandoli la ragione, ella si dichiara stromento inettissimo a tal lavoro.... Una divina rivelazione vantaron tutti i popoli non solo per ricordanza della vera che discese e illustrò le origini del mondo, ma per quel sentimento di un bene indefinito che è l' arcano bisogno e il sospiro dell'umana natura, la quale viene da Dio, cerca Dio, e non poserà che in Dio. Così é e tale testimonianza rende a se stessa ogni anima, al dire di Tertulliano, naturalmente cristiana. Ma qual' è la via che, fra tanti naufragi, conduca l'anima in porto e al regno di Dio? Dov' è sulla terra l' ingresso e l' iniziamento di questo regno? Dov'è non la scuola, o l' accademia, ma l'autentico potere (iurisdictio) che ci apra la porta in nome di Dio: che ci rechi securamente la parola di Dio (magisterium) e che versi sull' anima (ordo, sacerdotium) i sovranaturali carismi? La ragione tace per il suo meglio, e se ardisce parlare, la discordia de' più potenti ragionatori accusa l' impotenza della ragione. — Dunque è dimostrata l'impossibilità di tracciare a *priori* o col metodo puramente razionale, la costituzione d'una chiesa ossia d' una religione iniziatrice e maestra dell' umanità nell' ordine oltrarazionale e sovranaturale.

Quod si nos supra ex conceptu societatis perfectae pervenimus ad demonstrationem. *Ecclesiae competere omnia iura, quae competunt* societati perfectae id non fecimus absque supposita revelatione: supposuimus enim Christum D. instituisse Ecclesiam eique talem finem adaequatum ultimum nempe praestituisse et proximum quae est sanctificatio animarum per constituta ab ipso medio.... praeter argumentum directum ex SS. Scripturis et traditione, quibus eamdem thesim probavimus.

(1) Ex demonstratis enim de supremo magistratu in Petro et eius successoribus iam liquet quaenam sit forma regiminis, quod scilicet in Ecclesia nullam potestatem habet multitudo neque oligarchia sed vera ac proprie dicta monarchia a Csto D: fuerit constituta.

Ad rem iterum Audisio i. e. Certo è 1. che G. Cristo formulando e compartendo i poteri constituenti il reggimento della Chiesa, non ha mai indiriz-

exurgens aedificium tum relate ad ipsum caput tum in ordine ad cetera utriusque potestatis membra explicandum foret. Iam igitur ad praecipua huius partis capita procedamus, inquirentes quid scil. Christus Dnus voluerit positive, seu quae sit vera Ecclesise Constitutio in ordine ad duplicem Hierarchiam.

Divisio totius dissertationis seu tractationis de vera Ecclesiae Christi constitutione. Iam alias animadvertimus quod nos huius doctrinae brevem conspectum iuxta Tarq. et summa veluti capita exponimus, ne alterutrum ex his duobus vitiis incurramus ut vel manca sit, ea omissa, vel eadem crambe si plenius exponi velit, heic recoquatur, quae iam in Theologia apposita est. Ast ut auditoribus laicis consulamus, heic ita totum simul systema, quo Christus Ecclesiam suam ordinavit, singularumque partium cohaesionem uno veluti obtutu comprehendendam exhibemus ut singulis sua partibus una vel altera ratio atque explicatio addatur. Ad hanc porro synopsim vel summa capita exponenda vel breviter probanda tum ex SS. Scripturis, tum ex tota TTh. doctrina, ea quae certa sunt, aut pro paucis quaestionibus, quae sunt sanioris TTh. partis derivabimus. Itaque tractatio dirhibetur in totidem partes quot sequens exhibet.

Summarium. 1.ª Magna et adaequata corporis Ecclesiae divisio in clericos et laicos 2.ª Ex natura finis Ecclesiae Clericis commissi duplex eorum deducitur potestas Ordinis et Iurisdictionis — 3.ª Generalia principia de potestate Ordinis — 4.ª Recensentur huius potestatis subiecta — 5.ª Item generalia principia de potestate iurisdictionis exponuntur, ac dein exhibentur tum subiecta eius, tum quanta et quo nexu inter subiecta respondeat sua cuique potestas — 6.ª Recensentur ea, quae ex voluntate Christi *mediata* Ecclesia potest, tam in Hierarchia Ordinis, quam in Hierarchia Iurisdictionis — 7.ª Innuitur tandem extraordinaria atque communis Apostolorum potestas ab initio Ecclesiae.

Denique de Magisterio Ecclesiae sequitur tractatio.

---

zato la parola alla moltitudine, o al ceto universale dei fedeli. Certo è 2. che fra i discepoli elesse dodici Apostoli, ai quali communicò lo Spirito e affidò le chiavi. Certo è 3. che fra i dodici elesse Pietro, al quale in modo singolare e distinto dagli altri Apostoli, affidò le chiavi e l'ufficio del pascere e del governare non in commune, nè colla misura degli altri, ma con diritto eminente e particolare. Da questi tre punti emana tutta la costituzione interna ed esterna, storica e giuridica della Chiesa — E quindi tre immediate inferenze. 1 .La moltitudine dei battezzati avere bensì la cittadinanza della Chiesa, ma essere fuori della gerarchia e del sacerdozio: avendo Gesù Cristo non a lei ma ai dodici Apostoli date le chiavi della Gerarchia, e l'unzione dall'alto che consacra il sacerdozio. 2. Alcune prerogative giuridiche essere date agli Apostoli compreso Pietro da esercitarsi coll' uso delle chiavi sul corpo mistico dei fedeli. 3. Ma un principato singolare essersi communicato a Pietro nella singolare communicazione delle Chiavi. In Pietro vi ha dunque una doppia prerogativa: la *commune* dell' Apostolo, e l' *individua* del *principato*.

Quaestio I. — STATUITUR MAGNA ET ADAEQUATA CORPORIS ECCLESIAE DIVISIO IN CLERICOS ET LAICOS.

N. 22.

« Totum Ecclesiae Corpus duas in classes Christus D.nus distingui voluit, quarum altera populum contineat, quo in numero, qui censentur, Laici audiunt, altera coalescat ex illis, quibus cura finis proximi Ecclesiae idest sanctificationis animarum, adeoque potestas ecclesiastica est demandata, iique Clerici appellantur ».

Haec divisio patet a) ex SS. Script. Nam Christus Dnus ipse praefectos i. e. Epos, horumque Caput i. e. Petrum in suis successoribus viventem adhuc constituit, quibus omnes fideles subiecti esse debent. Vnius Pauli testimonium in memoriam revocamus, qui ita Ecclesiam institutam docet ut non omnes Apostoli, aut rectores sint sed alii, qui praesint caetibus, auctoritatemque obtineant 1. Thess. c. V, 12; aliis, qui his praepositis subdantur, eorumque mandatis obediant ad Hebr. c. 8 v. 17; eamdemque Ecclesiam ad instar corporis esse affirmant, in quo et praesit Caput et aliae extent partes quaedam magis quaedam minus nobiles, ceterae ignobiliores quae tamen inter se nexae ac coniunctae sint ut nullum membrum sine aliis consistere per seipsum possit. — b) ex traditione perpetua et constanti PP. Clemens R. Pfex Ecclesiam comparat militiae, in qua habentur Imperator Praefecti, Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii et milites, qui imperata faciunt. Quae vox una omnium Patrum est, ut distinctis iis qui docent, sanctificant, regunt, ab iis, qui docentur, sanctificantur, reguntur, illi semper Clericorum, hi vero Laicorum nomine compellantur; atque adeo inaequalis dicenda sit eiusmodi societas. Cf. nostras Inst. can. l. 1, tit. 1. Omittendae non sunt septem epistolae S. Ignatii mart. quae omnino genuinae sunt, velint nolint protestantes: sed dictae epistolae iuxta etiam ipsos haereticos, frequentius agunt de Epis, Diaconis . . . . — Tertull. loquitur de re non nova sed iam ante ipsius tempora existente.

Quaestio II. — EX ECCLESIAE FINE DUPLEX POTESTAS.

N. 23.

Tum eiusmodi Ecclesiae finis i. e. sanctificatio animarum habetur per gratiam sanctificantem, quam Christus per sacramenta haberi voluit, accedente cooperatione hominis sive per idoneas dispositiones ad illam acquirendam, sive per bona opera ad eam conservandam et augendam ad duo capita curam finis Ecclesiae Clericis commissam direxit 1.° ad efficienda sacramenta; 2.° ad fideles recte et quantum fieri potest efficaciter dirigendos, ut divinae gratiae, quae per sacramenta confertur, quemadmodum par est, cooperentur ».

Nam vidimus Christum voluisse duplicem distinctum in Eccl. personarum ordinem: alterum Clericorum, Laicorum alterum: illis commisit potestatem et

officium docendi, sanctificandi, regendi: his obligationem imposuit recipiendi sanctificationem seu ut edoceantur, sanctificentur, gubernentur ab illis, quibus commisit: quod idem est ac dicere sanctificationem animarum, per professionem doctrinae verae fidei, per sacramenta, accedente cooperatione hominis, quam Eccl. efficaciter moderatur, obtineri. Porro cum quaelibet socialis potestas in ordine ad finem societatis sit, patet ad duo capita dirigi potestatem Ecclesiae 1. ad conficienda smta., 2. ad efficaciter hominis cooperationem dirigendam: quandoquidem haec sunt duo media ad sanctificationem et salutem obtinendam necessaria. Insuper idem finis praestitutus est Ecclesiae obtinendus, qui est finis Incarnationis et Redemptionis: atqui . . . . . Ad rem Franzelin *de Eccl. thes. 5, n. I*, Ecclesiam, regnum veritatis et sanctitatis (Is. XVII, 16, seqq. XVIII, 37). Christus Dnus Redemptor sanguine suo, satisfactione et meritis per sacrificium in cruce consummatis acquisivit eamque suis institutis fundavit et disposuit ad hunc finem ut in ea hic in terris omnes per fidem veritatis revelatae, per sanctitatem spei et charitatis caeterarumque virtutum supernaturalium praepararentur ad regnum visionis et fruitionis in caelis. Sanctitatem autem nobis promeritam Christus ut ex revelatione novimus in sua Ecclesia confert in primis *ex opere operato* mediate quidem per propitiatorium ac perenne sacrificium incruentum corporis et sanguinis sui, quo ad gratias actuales pro remissione peccatorum et pro donatione sanctitatis concedendas, applicantur satisfactiones et merita sacrificii cruenti semel oblati et efficacis in sempiternum Hebr. X, 14; immediate vero opus operatum sanctificationis est per sacramenta, quae ab Institutore Christo eiusque satisfactione et meritis dignitatem et efficaciam habent, ad conferendam ipsam sanctitatem, gratiam nempe habitualem omnibus obicem non ponentibus.

VNDE DUAS CONSTITUIT IN ECCLESIA POTESTATES, QUAE HIERARCHIAE APPELLANTUR, ALTERAM ORDINIS, ALTERAM IURISDICTIONIS, QUARUM PRIOR DEFINITUR POTESTAS QUAE ORDINATUR AD EFFICIENDA SACRAMENTA; ALTERA DICITUR POTESTAS PASCENDI SEU GREGEM CHRISTI REGENDI TUM QUOAD INTELLECTUM PER DOCTRINAM RECTAE FIDEI, QUAE PRAECEPTI RITU CREDENDA PROPONITUR, TUM QUOAD VOLUNTATEM PER VERUM PROPRIEQUE DICTUM IMPERIUM, QUO IN TOTA MEDIORUM OECONOMIA FIDELES DIRIGANTUR, ITA UT IPSA QUOQUE SACRAMENTORUM DISPENSATIO AD EIUSMODI POTESTATIS OFFICIUM PERTINEAT.

Quod a Christo Dno collata sit Ecclesiae potestas conficiendi sacramenta patet ex tract. de ministro singulorum sacramentorum porro haec potestas dicitur Ordinis ideo, quia Christus Dnus certis personis eam immediate contulit propagandam perpetuo ab illis in alios, qui determinato ritu et legitima auctoritate assumerentur: hic autem ritus ordinatio appellatur, sicut id quod recipitur *ordo*, seu potestas spiritualis audit. Vnde definitur etiam potestas ordinis *vis per sacrum ritum collata, supernaturalis efficiendi ad modum causae physicae sacramenta quaedam*. Dixi *ad modum causae physicae*, quia agit sicut causa physica, quae cum est subiecto idoneo applicata effectum suum producit, quin ab extrinseca finita voluntate possit impediri. Ad rem Franzelin *De Eccl. l. c.* « sicut in Ecclesia Christi sacrificium et sacramenta sunt

instituta ad sanctificationem *ex opere operato* ita ad sacrum hoc ministerium consecratur *sacerdotium*, seu, ut *in concreto* loquamur a Christo Summo Sacerdote in aeternum secundum Ordinem Melchisedec sacerdotes instituti sunt, qui potestate ministeriali ab ipso singulis communicata offerunt sacrificium Novi Testamenti et conferant sacramenta. Communicatur autem potestas sacerdotii et ipsa *ex opere operato* per sacramentum Ordinis atque indelebili charactere obsignatur. Propter quam causam ipsa in suis proprietatibus sequitur naturam *characteris:* ac proinde in omnibus eodem charactere insignitis eadem est atque efficax ad omnes actus pro quibus est instituta, in ista sua efficacia seu quoad valorem independens non modo a meritis ministri sed etiam a quavis superiori potestate in Ecclesia, indelebilis in hac vita, nemini denique communicabilis, qui careat charactere respondente ipsi potestati. Haec sacerdotii potestas est, quae propter modum collationis, incommutabilitatis et independentiae in suo valore dicitur *potestas ordinis, ut* secernatur ab altera *iurisdictionis*.

Potestas autem iurisdictionis, quae aptissime dicitur potestas pascendi, iuxta SS. Patres ac Romano Pontifices nec non TT. sese extendit tum ad intellectum per veram fidem propositam praecepti ritu, tum ad voluntatem per *verum imperium*. Ergo rursus male invehitur tertium potestatis membrum scil. magisterii in Ecclesia distinctum a potestate tum ordinis tum iurisdictionis cum potestas docendi in Ecclesia pars seu species sit potestatis iurisdictionis. Potestas iurisdictionis definiri etiam solet potestas moralis h. e. ius dirigendi coactive actus subditorum, est proinde potestas ferendi leges, iudicandi de actibus subditorum eosque coercendi poenis: potestas scil. legifera, iudiciaria, coactiva. Quod haec potestas tributa sit a Christo Ecclesiae suae manifestum est ex hactenus disputatis. Vidimus enim Christum D. in Ecclesia regimen proprium constituisse propriosque dedisse Magistratus, qui hanc hominum societatem moderarentur et regerent. Qua in re vidimus quoque non omnium eamdem esse potestatem sed certos quosdam gradus Christum ipsum posuisse ut omnis recte constet ecclesiasticae administrationis ratio. Haec autem rectissime dicitur *potestas iurisdictionis:* suis enim definitionibus suisque legibus inducitur obligatio obedientiae secundum hierarchicam subordinationem.

Porro duplex haec potestas duples *Hierarchia appellatur* ordinis et iurisdictionis quia in utraque hac potestate ipse quoque Christus D. certos constituit gradus, ut non omnes in ea similes haberentur. In potestate iurisdictionis probavimus Petrum omnibus superiorem factum, post eum caeteros apostolos. In potestate ordinis cunctis praestare voluit Epos, post eos sacerdotes, postremo ministros, qui divina ordinatione omnes in Ecclesia sunt, *Trid. sess. 23, can. 6*. Iamvero non modo utraque potestas sed etiam series haec et distributio potestatum in variis subiectis, munerumque ecclesiasticorum *Hierarchia* (1) appellatur seu sacer Principatus.

---

(1) Sunt qui negant in Ecclesiam apte cadere Hierarchiae vocabulum a) quia, aiunt vetusti Patres nunquam eo usi sunt; pseudo Dionisius (V. saec.) primus omnium usus est: b) quia cum Hierarchia sit *sacrorum Principatus* qui sine imperio consistere non potest, et Christus Dnus alienum fecerit ab

Discrimina inter Ordinis et Iurisdictionis potestatem ex dictis patent; 1.º Potestas ordinis per consecrationem obtinetur essentialiter, et nexa est cum charactere sacramentali: ordo enim imprimit characterem indelebilem: e contra potestas iurisdictionis a charactere essentialiter non pendet: unde non solum episcopalis iurisdictio, sed etiam suprema et plena in universam Ecclesiam quae est Rom. Pontificis, inesse potest absque episcopali charactere; quod obtinet quoties eligitur in Pontificem, qui nec Episcopus et forte nec Presbyter nec diaconus est. Ratio huius exempli est quia Christus D. designato per electionem et accedentem ipsius consensum, illico totam confert iurisdictionis potestatem eamque divisam a potestate ordinis. Haec enim non illa per ordinationis seu consecrationis sacramentum confertur.

2.º Potestas ordinis est aequalis in omnibus habentibus characterem huius ordinis seu eadem. Ergo quoad hanc potestatem gradus non sunt diversi « Vbicumque fuerit Episcopus sive Romae, sine Eugubii..: eiusdem est et *Sacerdotii* (Hier. ep. 146 ad Evangel.). In potestate *iurisdictionis* vero est subordinatio hierarchica et discrimen graduum partim ex iure divino qualis est potestas successoris Petri suprema et universalis obnoxiam sibi habens potestatem episcopalem: partim iure eccl.co qualis est subordinatio etiam inter Episcopos R.º Pontifice inferiores. Iamvero quae est ex iure divino essentialis est constitutioni Eccl.ae adeoque incommutabilis: quae vero est ex iure eccl.co connectitur quidem cum Constitutione Ecclesiae, sed est mutabilis secundum canonicas dispositiones.

3. Hinc carens charactere sacramentali nullam habere potest ordinis potestatem quae idcirco delegari nequit, neque alio modo nisi per ipsam ordinationem nullatenus obtineri valeat. At insignitus sacramentali charactere valide semper (ex parte sua) exercet potestatem sui ordinis, quae *quoad valorem* nec restringi nec auferri unquam potest humana auctoritate, *quoad usum*, hic

---

Ecclesia imperium circa sacra, sequitur dictum vocabulum in Ecclesia adhiberi non posse: c) unde pergunt, huius reipublicae administrandae ratio potius ἱεροδιακονια seu sacrum ministerium appellandum est. — Quibus *respondeo* Non sumus adeo de voce solliciti modo de re conveniamus. Porro res est certissima et de fide, quia ipsemet Christus Dnus ad aeternam salutem obtinendam animarumque sanctificationem procurandam ut ea societas recte atque ordine regeretur omnesque sub sui Rectoribus ad fidei communionisque unitatem sub uno communi centro conspirarent, atque bonis spiritualibus abundarent, duplicem instituit potestatem *alteram iurisdictionis*, quae Ecclesiae regimen administrationemque respiceret *alteram ordinis*, quae pertinet ad sacrum ministerium, atque spiritualia bona fidelibus tribuenda, maxime sacramenta, quae sunt pignora divinarum permissionum, et remedia ad animarum salutem vel tuendam vel recuperandam, et vincula christianae societatis. b) Caeterum antiquiores et recentiores Areopagita Patres, *sacri Principatus* disertissime nominarunt, atque Epos tum Principes tum Hierarchas appellarunt. Ad ultimum quod addunt *Christum D. procul fecisse a suis imperium* circa sacra dist. — Prohibuit imperium cum superbia, fastu, et cum pecuniae cupiditate coniunctum *Conc.* Quodlibet imperium simpliciter. *Nego.*

illicitus reddi potest a potestate iurisdictionis. Horum contraria sunt in potestate iurisdictionis. Haec enim, non suprema quae est unius R. Pontificis, sed inferior in Episcopis, obnoxia est superioris restrictioni, suspensioni, ablationi, quo ipso non modo illiciti sed etiam invalidi actus fiant: et generatim delegabilis est intra limites divino aut ecclesiastico iure statutos.

Dixi *horum contraria sunt in potestate iurisdictionis* tum propter obiectum diversum circa quod versatur utraque potestas, tum propter modum diversum, quo ipsa confertur. Potestas ordinis quia consecratione confertur et imprimitur character, inamissibilis est: quod dici nequit de potestate iurisdictionis, quae cum deputatione et missione apostolica confertur, amitti potest. « Si enim iurisdictionis potestas, recte inquit P. Billot (de Eccles. thes. XV, § 1), aliqua consecratione conferretur, esset et ipsa omnino inamissibilis, perpetuoque manens in iis quoque, qui deinceps ab unitate Ecclesiae deficerent quod iam obstensum est impossibile. Et ratio impossibilitatis est quia quisquis iurisdictionem ordinariam in aliqua societate vel parte societatis habet, capitis in ea obtinet dignitatem; repugnat autem, ut qui membrum non est, caput exsistat, quia in quolibet corpore sive physico sive morali, caput inter cetera membra eminet, et cum ceteris membris vinculo communionis necessario coniungitur; coniungitur inquam eo coniunctionis modo, quem corporis natura requirit. Unde cum Ecclesiae corpus, de quo nunc sermo, essentialiter visibile sit, visibilique compagine constans, quicumque ab hac visibili compagine praecisus existit propter aliquam e causis in Quaest. VII. recensitis, is iurisdictionis ordinariae incapax efficitur, et eam, quam forte prius habebat, ipso separationis facto necessario debet amittere. Accedit praeterea quod iurisdictionis potestas convertitur cum missione legitima primitus data Apostolis ad regendum populum Dei. Eiusmodi autem missionem in solidum consistentem, et in partes disgregatas minime divisibilem, omnia quaecumque de unitate et apostolicitate superius demonstrata, obstendunt ».

4. Efficaciam quod attinet potestatis ordinis, haec per sacrificium et sacramenta est *ex opere operato* immediate ad sanctificationem animarum donis gratiae internae: dum efficentia potestatis iurisdictionis per se et immediate spectat ad visibilem unitatem professionis fidei in regno veritatis, atque ad visibile regimen regni sanctitatis, finaliter vero ad ipsam fidem et sanctitatem internam ex opere cooperantium. Cf. Frauzelin l. c.

Hinc intelliguntur facilius Tarq. verba n. III.

Quaestio III. — GENERALIA TRADUNTUR PRINCIPIA DE POTESTATE ORDINIS.

N. 24.

Ordinis potestatem indelebilem esse, eique cui semel collata sit, perpetuo inhaerentem esse voluit, licet ea utendi facultas a iurisdictione pendeat: unde si quis potestate ordinis instructus sacramenta sui ordinis propria conficiat, cum tamen iurisdictionem non habeat, is illicitum actum aget, sed tamen validum: quandoquidem APPLICATIONE VIRIUM SUFFICIENTIUM CONSEQUI EFFECTUM NECESSE FUIT; EAQUE PROPTER EX OPERE OPERATO DIMANARE EF-

FECTUS IN SACRAMENTIS DICITUR: NISI TAMEN RES SIT DE SACRAMENTO POENITENTIAE, QUOD ESSET ETIAM INVALIDUM, QUIA ADMINISTRATIO SACRAMENTALIS POENITENTIAE HABET CONDITIONEM IURISDICTIONIS INTRINSECE ET ESSENTIALITER ADIUNCTAM: SI QUIDEM FIERI DEBET MORE IUDICII, CUM CAETERA CONFERANTUR SIMPLICITUR MORE BENEFICII ».

Quod *indelebilis* et perpetuo inhaerens sit cui collata est potestas ordinis liquet ex doctrina de charactere et de effectu essentiali sacramenti ordinis.

Dicitur « *licet ea utendi facultas a iurisdictione pendeat* » uti omnes leges libris lithurgicis contentae, nominatim leges circa irregularitates et sexscenta alia commonstrant.

Dicitur « *nisi tamen res sit de sacramento poenitentiae* ». Fit nempe pro hoc sacramento exceptio regulae generalis « quod sola potestate ordinis validis fiat actus ad quem est potestas, etsi quandoque illicitus esse possit, si absque iurisdictione fiat » quia sine hac non valet sacramentum poenitentiae. Et Tarquinius verbis allatis suam intrinsecam rationem reddit petitam ex natura huius sacramenti ad cuius validitatem requiritur communicatio iurisdictionis facta a superiore, qui potestate hierarchica polleat conferendi eam; quae potestas conferendi seu communicandi ipsamet est iurisdictio fori externi. Explicat fusius rem Franzel. l. c. in nota ad p. 48. In sacramento poenitentiae quomodo haec vera sint, intelligendum est ex speciali huius sacramenti ratione per *modum iudicii* a Christo instituti, a solis autem Apostolis eorumque in *sacerdotio* successoribus administrandi. Proinde non minus ad hoc quam ad alia sacramenta administranda essentialiter requiritur *potestas ordinis* obsignata sacramentali charactere sacerdotii; sed quia in eodem ex Christi institutione exercetur *iudicium* ad remittenda et retinenda peccata, iudicium scil. in *foro interno conscientiae*, hoc fieri nequit nisi administrans sit legitimus iudex instructus iurisdictione fori interni in poenitentem absolvendum. Iam vero in potestate ordinis et charactere sacerdotii continetur quidem *aptitudo* ad hanc iurisdictionem fori interni (iurisdictionem *in potentia proxima* dixeris), sed nulla iurisdictio in *actu*. Haec igitur iurisdictio non iam ad licitam dumtaxat, sed omnino ad validam administrationem iudicii sacramentalis aliunde obtinenda est, a superiore nempe, qui eam conferendi hierarchica polleat potestate, quae potestas ipsamet est iurisdictio non interni fori sacramentalis, sed fori externi ac propterea potest esse in eo, qui ipsemet careat charactere sacerdotali et proxima potentia ad iurisdictionem sacramentalem. Patet istam iurisdictionem fori interni, sicut in collatione ita ex ipsa subordinatione hierarchica in valido exercitio seu perdurationе et in extensione pendere a superiore; proinde sicut quaevis iurisdictio ecclesiastica ita haec quoque fori interni in solo supremo Episcopo Pontifice Romano, absolute independens est divinis dumtaxat legibus circumscripta ».

Ex hactenus dictis patet distinctam quidem esse potestatem ordinis a potestate iurisdictionis sed non esse unam ab altera prorsus independentem. a) Non est independens potestas ordinis a potestate iurisd. Ut enim legitimum sit exercitium potestatis ordinis, haec dependere debet a potestate iurisdictionis quoad validitatem in Sacramento poenitentiae, quoad liceitatem in ceteris. Pertinet enim ad potestatem iurisdictionis moderari omnes actus qui ad ecclesiasticae societatis finem referuntur: sed talis actus est exercitium potestatis or-

dinis. b) Neque potestas iurisdictionis soluta prorsus est a potestate ordinis: nam in sacramento poenitentiae presbyterali character ad validitatem requiritur coniunctus utique cum iurisdictione. Ceterum notum est regimen in Ecclesia debere esse sacerdotale et episcopale iuxta illud Pauli Act. XX. *Attendite nobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Sed Episcopi iam tempore Pauli intelligebantur ii, qui episcopalem characterem per consecrationem recipiebant. Unde etsi possit aliquot in casibus iurisdictio exerceri sine Ordinis potestate, tamen ex dependentia potestatis iurisdictionis a potestate ordinis agnoscenda est, utar verbis P. Billot l. c. §. 2, quae utique iu genere causae materialis attenditur, tamquam formae a dispositione habilitante subiectum ad formam: habilitante tamen non ad hoc ut forma simpliciter in subiecto sit aut esse possit, sed ad hoc ut in eo sit *naturali et connaturali modo* prout congruit nativae illi ordinis episcopalis ad Ecclesiae regimen destinationi, quam vel sola nominis proprietas aperte demonstret. »

Unde variae Ecclesiae leges, quibus ordo recipiendus statuitur ab iis qui iuxta varios gradus praefici debent in Ecclesia, praesertim a gaudentibus beneficio aut dignitate cui adnexa est cura animarum.

Quaestio IV. — RECENSETUR SUBIECTA IN QUIBUS RESIDET POTESTAS ORDINIS

N. 25.

« EAMDEM HANC ORDINIS HIERARCHIAM DISTINXIT, CHRISTU D., IN EPOS, PRESBYTEROS ET MINISTROS, NON EODEM TAMEN POTESTATIS GRADU SED LONGE DIVERSO ITA UT SUMMUS AC PLENUS SIT IN EPISCOPIS, INFIMUS IN MINISTRIS. »

Quoad subiectum potestatis Ordinis, animadvertendum est quaedam ad fidem catholicam, quaedam ad Theologorum disputationes spectare. Porro quae ad fidem pertinent, definita sunt. *Conc. Trid Sess. XXIII*; de reliquis dixerunt TTh.

Ad fidem pertinent 1. Divina Institutio Sacerdotii visibilis et externi.

2. Praeter Sacerdotium alios esse in Eccl. ordines maiores et minores.

3. Ordinem esse vere ac propie dictum Ordinis sacramentum a Christo Dno institutum.

4. Per sacram ordinationem dari spiritum S. et imprimi characterem.

5. Sanctam unctionem contemnendam et perniciosam non esse.

6. Esse Hierarchiam divina ordinatione institutam quae constat ex Epis, Presbyteris et Ministris.

7. Episcopos esse Presbyteris superiores.

8. Epos auctoritate R, Pficis assumptos esse legitimos et veros Epos.

Iamvero quoad I. De fide est in N. T. a) SACERDOTIUM VISIBILE ESSE A CHRISTO DNO INSTITUTUM, b) RITU EXTERNO IN ECCLESIA PROPAGANDUM 1ª Pars constat praeter *Trid. can. 2 sess. 22 et can. 1 et 2 sess. 23*, ex eo quod Christus Dnus concessit Apostolis suis veram potestatem consecrandi Corpus et Sanguinem suum *Luc. XX, 19*, ut tale probatur in tract. de Eucharistia. Sed per hanc illos instituit veros sacerdotes. Nam ut constat ex eod. tract. verum et proprium sacrificium offertur Deo in SSmae Eucharistie confectione:

aliunde sacrificium et sacerdotium indivisibili nexu connectuntur ut patet ex *Apost. ad Hebr. v. 1*, et auctoritate omnium gentium. — Insuper ex potestate quod habetur in Corpus Christi verum; sequitur in Ecclae ministris potestas administrandi populo christiano sacramenta et potestas sanctificandi homines: atqui id proprium est sacerdotis ad *Hebr. l. c. et Malach. II, 7.*

2. *Pars.* constat ex eo quod cit. verba « *Hoc facite in meam commemorationem* » non pertinent personaliter ad solos Apostolos sed per ipsos derivanda, ad eorumdem successores. Etenim a) id expresse declarat *Ap. 1, Cor. c. 11, 23 seqq. Ego enim accepi a Dno quod et tradidi vobis...* b) sacerdotium ut et sacrificium pertinet ad ipsam Ecclesiae constitutionem: sunt enim praecipua in Religione, ut constat ex consensu omnium gentium: tamdiu proinde permanere debet quamdiu duratura est Ecclesia h. e. « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus... c) Id elucet ex perpetua et numquam interrupta traditione. Semper enim extitere in Eccl. Presbyteri qui Apostolis in sacerdotio successerunt. »

Quod autem propagatio haec fieri debeat mediante aliquo sensibili ritu constat tum ex praxi Apost. ut videre est *Act. Ap. c. XII, 2,XIV; 22; 2, Tim. v. 6*, et alibi scil. per impositionem manuum, tum ex constanti praxi totius Ecclesiae.

N. 26.

Quoad II. Praeter sacerdotium alios esse in Ecclesiam ordines maiores et minores clare simul affirmat, et probat Trid. sess. 23 c. 2. — Cf. S. Thom. suppl. q. 37 a. 1. Vtrum debeant plures ordines distingui.

Circa hanc prop. adnotamus 1. Licet Trid. expresse non definierit numerum, tamen certa veritas est quod in Ecclesia Latina praesertim Romana iam ab initio inveniantur test. Cornel. Papa aliisque, (quos cf. penes Bellarm.) iidem ordines qui nunc: et quod fossarii et cantores improprie dicebantur ordines.

Quoad Orientalem Ecclesiam pluribus testimoniis constat et ipsos Graecos agnovisse et usu recepisse ordines etiam minores, non excepto Ostiariatu. 2. Ad officia quod attinet propria horum ordinum, cf. S. Th. suppl. q. cit. a. 2. — Vnde alii sacri, alii non sacri. — 3. Quoad institutionem istorum ordinum de fide sunt duo I.m ministros aliquos indeterminate esse ex institutione Christi ut patet per Trid. *can. 6. sess. cit.*: IIm quod singuli praedicti ordines sint divinae institutionis saltem *mediate* sc. ex potestate legitima, quam habet Eccl. ab Auctore suo illos instituendi.

N. 27.

III. Ordinatio sacra est verum N. L. sacramentum, quod catholica fide certissime de sacerdotio creditur.

1.m Solemni iudicio definivit Ecclesia *Trid. sess.* 7 et 23a et docent SS.Scripturae *1 Tim. IV, 14*, *2 Tim. I, 16*, quibus in locis ordinatio exhibetur ceu sensibile signum et practicum gratiae, quod proprium et sacramentorum N. L. — Id tandem custodivit constans Apostolica traditio a) adnumerando S. ordinationem in septenario numero sacramentor... b) communi Patrum consensu ut patet ex testimon. *Ambros. de dignitate sacerd. c. 13 Nisseni orat. in baptism.*

Christi — Chrysost. hom. 1 in 2 Tim. I. — Leonis M. ep. 87. — Hieronym. dialog. contra Luciferianos – aliorumque, qui omnes vel conceptis verbis Smti dignitatem S. ordinationi attribuunt, vel eidem adiudicant vim causativam gratiae, vel eamdem aequiparant baptismo in impressione characteris.

2.m de sacerdotio patet, tum quia in sacerdotio ratio ordinis principaliter invenitur, cum ad ipsum caeteri omnes ordines referantur, tum quia legenti canonem 1.m 2.m et 4.m Conc. Trid. fit evidens in can.ne 3.o ubi definitur ordinem esse sacramentum, sermonem esse de sacerdotio.

Dixi de sacerdotio: nam etsi non de fide, tamen pro certo habendum est episcopatus quoque et diaconatus ordinem esse verum sacramentum.

N. 28.

IV. Per S. ordinationem dari Spiritum S. et imprimi characterem definitur a *Trid. sess. VII, can. 9.* quoad characterem, de quo cathech. rom. ait « atque haec potestas (sc. quae in ordinatione traditur relate ad Eucharistiae Smtum) etiam character spiritualis dicitur: quod qui sacris imbuti sunt interiori quadam nota animae impressa ab aliis fidelibus distinguantur, ac divino cultui mancipentur. Ad quam Apostolus videtur spectasse cum ad *Tim. ait Noli negligere.... 2. Tim. I. 6 — et Trid. sess. 23. can. IV.*

N. 29.

V. S. Vnctionem contemnendam et perniciosam non esse definit *Trid. can. V, sess 23.* — « Si quis dixerit sacram unctionem qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias Ordinis caeremonias; anathema sit ».

N. 30.

VI. Esse Hierarchiam divina ordinatione institutam quae constat ex Epis Presbyteris et Ministris docet Trid. l. c. *can. V;* atque id patet quoque ex supradictis. « Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris; anathema sit ».

N. 31.

VII. « Episcopos esse Presbyteris superiores » traditur in *Trid. l. c. can. VII.* « Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores: vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione, irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros; anathema sit ». Circa quod animadvertendum est 1.o quod sacerdotium N. L. participari possit duobus modis sc. a) quoad esse ipsius simpliciter, et habetur presbyteratus, b) quoad

complementum eius, et habetur episcopatus: patet ex tota scriptura et traditione. Quod duplex gradus sit distinguendus in sacerdotio patet ex obiecto: nam potestas quae ad plura sese extendat quam alia, est saltem ab hac inadaequate distincta. Circa hanc quaest. tres sunt diversae sententiae 1.ª Aerii qui ut refert S. Epiphan Haer. 75 n. 8. nullum intercedere discrimen affirmabat inter Epum et Presbyterum sed amborum unum ordinem, parem esse potestatem. 2.ª aliquot scholasticor. qui tres S. Hierarchiae gradus in Eccl. agnoscebant, eos tamen non a Deo per Apostolos, sed ab Ecclesia ut schismata vitarentur, constitutos, 3ª Catholicorum DD. quae statuit episcopos iure divino et ex divina institutione presbyteris praeeminere et loquitur Bened. XIV. (de Synod. dioec. XIII. c. 1. n. 2): Ecclesiae Cathol. firmissimum dogma est Epos esse superiores presbyteris non solum potestate ordinis sed etiam iurisdictionis. Insuper

Iure divino praestant Episcopi praesbyteris I *quoad potestatem ordinis:* a) quia ut alibi demonstratur, consecratio epalis, qua eiusmodi potestas confertur, est verum sacramentum. Sed Christus D. est immediatus institutor sacramentorum. b) per hanc potestatem imprimitur character et confertur gratia sanctificans, nec ea potest impediri aut limitari per homines si simul consecratio est valida: sed haec omnia nequeunt esse ex institutione humana, quia Deus solus est auctor gratiae sanctificantis et characteris: c) potestas haec pertinet essentialiter ad Epum qua talem; per ipsam enim habetur summus sacerdos: sed institutio Episcopatus est divini iuris ut patet ea Trid. *can. 7. sess. 23ª* Vnde haec potestas immediate a Christo D. dimanat, quia licet intercedat actio ministri consecrantis alium in Epum, ille solum se gerit ut causa applicans sacramentum seu consecrationem; Christus vero ipse est proximus et principalis operans propria virtute, qui de se communicat participationem immediatam suae potestatis.

II. *quoad potestatem iurisdictionis* traditione christiana evidens est. Constat enim Apostolos singulis Ecclesiis unum Epum praefecisse ex voluntate Christi. Testis est *Clemens ad Corin. n. 42.*, qui eo spectans, ut Eporum et Diaconorum institutionem commendet, ait « Missus es X.us a Deo et Apostoli a X.o et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei... Praedicantes igitur per regiones ac urbes, primitias eorum spiritu cum probassent, in Epos et diaconos qui crediturі erant, constituerunt. » ubi provocatio ad missionem X.i et Dei voluntatem fit a Clemente non pro sola praedicatione Verbi, de qua obiter sermo est, sed pro constitutione Eporum et Diaconorum. Testis est *Ignat. ad Ephes n. 3.* « *Epi per terrae terminos definiti ex Spiritus S. sunt sententia* » ergo cum Epus a presbytero distinctus est, si ex X.i voluntate et sententia Epus constitutus est ab Apostolis, fuit utique constitutus qualis reapse est h. e. distinctus secundum dignitatem et potestatem a presbytero — Ex tract. alib. Epus est qui presbyterum ordinat, qui Ecclesiam unus regit, et presbyteris praeest. Sed iure divino solus ordinat, et ex eo quod ordinat h. e. generat Ecclesiae rectores, eamque potest perpetuare, est subiectum divina institutione idoneum ad regendam Ecclesiam et presbyteris praesidendum. Quod sc. ex iure divino implicite assertum est a *Trid. sess. 23. can. 4.* cum ab eodem duo nunc dicta asserta sunt exclusive Epis.

Ad Concilium Trid. quid attinet, sunt qui putant ab eodem definitum fuisse institutionem Eporum qui a presbyteris distinguantur esse iuris divini, sess.

XXIII. can. 6. noluisse vero Concilium definire aeque iuris divini esse praeeminentiam Eporum supra presbyteros quia sess. cit. can. 4. solum dixit *eosque Epos presbyteris superiores esse*. Quibus recte respondet Emus Card. Segna de Eccl. constit. n. 56. « At secus dicendum mihi videtur. In primis enim Concil. definit divina ordinatione i. e. a Christo vel ab Apostolis ex Christi mandato s. Hierarchiam triplici gradu fuisse institutam; quare si *de istitutione* sermo sit iam nemo refragatur *divino iure* Epos a presbyteris distingui. At insuper ut ex canonis ipsis verbis patet Concilium sermonem habet de institutione Hierarchiae, quae sua aetate erat in Ecclesia: ait enim *in Ecclesia Catholica non esse.... quae constat.* Atqui Hierarchia aetate Concil. in tota Eccl. Catholica certe a pluribus saltem retro saeculis constituta ita reperiebatur ut Epi potestate tum ordinis tum iurisdictionis praeeminerent et superiores essent presbyteris. Ergo si institutio hierarchica, praeeminentia quoque Eporum supra presbyteros iuxta Concilium instituta ordinatione divina et proinde divini iuris aestimari debet.... Ei infra. Insuper sanctio Concilii sub anathematis poena contra eos qui negent Epos esse presbyteris superiores can. 7. si superioritas intelligatur iure tantum Ecclesiastico incassum recideret; neque ex adverso refragandi causam haeretici, quos concilium damnare destinaverat, vix ullam habuissent.... Demum etsi daretur Concilium definire noluisse Epos esse ex divina institutione superiores presbyteris, non ideo tamen minus propositio ad fidem pertineret: nec enim ad hoc solemni opus est definitione, prout nec etiam ut error oppositus haeresis damnetur, sed satis est ut fidei quam Ecclesia profitetur, repugnet; et Arius, Nestorius, Eutyches, aliique haeretici iam habebantur et erant priusquam eorum errores solemnibus Conciliorum definitionibus anathematizarentur ».

N. 32.

VIII. — Episcopos auctoritate Rom. Pontificis assumptos esse legitimos et veros Episcopos. *Conc. Trid. sess. 23. can. 8.* « Si quis dixerit Episcopos qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit » ergo de fide est. Quin imo ipse unus R. Pfex aut delegati ab ipso de qualitatibus ordinandorum et praeficiendorum omnibus atque adeo de habilitate atque idoneitate sacerdotum ad Episcopatum diiudicare valet. Ipse unus habet potestatem eligendi et assumendi: in partem enim sollicitudinis illius vocandi qui universam habet sollicitudinem Ecclesiarum, et nonnisi ab ipso qui omnibus praeest seu universam pascit Ecclesiam, ad huius portiones assignari et mitti seu praefici possunt: ut autem praeficiantur, assumuntur.

Ex dictis patet assertum principale quoad potestatem Ordinis, eamdem sc. hanc Ordinis Hierarchiam distinctam esse iure divino in Epos, Presbyteros et Ministros, non *eodem* tamen potestatis *gradu* sed longe diverso ita ut summus ac plenus sit in Episcopis, quos probavimus superiores Presbyteris, infimus in Ministris, qui ministrare praesertim debent sacerdoti litanti....

Cf. quae a nobis traduntur in Institut. canon. l. de personis circa varios gradus Ordinis, quinam sint sacramenta ecc....

Quaestio V. — « ITEM GENERALIA TRADUNTUR PRINCIPIA DE POTESTATE IURISDICTIONIS ET SUB QUATUOR ARTICULIS (*per litt. a, b, c, d,*) DISTINCTIS TUM SUBIECTA EIUS EXHIBENTUR, TUM INDICATUR QUANTA ET QUO NEXU INTER SUBIECTA RESPONDEAT SUA CUIQUE POTESTAS. »

Hisce respondetur licet summatim tamen distincte de singulis subiectis sc. 1. de Romano Pfice; 2. de Epis: 3. de Presbyteris: 4. de diaconis seu ministris, horum cuique quae competat potior vel adaequata potestas.

§. 1. *De Iurisdictionis Hierarchia in genere.*

N. 33.

Christus Dnus Hierarchiam iurisdictionis a) non immobiliter inhaerentem sed amovibilem fecit b) eamque constituit plene quidem ac perfecte in Rom. Pontifice, et deinde in Epis qui proprio nomine pastores appellantur: c) quadamtenus autem etiam in Presbyteris et in Diaconis, quorum etiam ordines dicuntur proinde Hierarchici:

Decl. 1. p. quod sc. amovibilis sit potestas iurisdictionis. Nam etsi ordinariam potestatem iurisdictionis inhaerere voluerit alicui gradui potestatis ordinis: tamen ab hoc separabilis est. Si ipse enim Romanus Episcopus potest renuntiare pontificatui, non potest tamen renuntiare characteri ordinis epalis: ne loquamur de amissibilitate ob haeresim... in quam labi possit. De Epis autem patet, quod privari possint per depositionem, per excommunicationem... sicut per spontaneam renuntiationem. Cf. titt. in Decretal.

2. p. Quod constituerit plene ac perfecte in R. Pfice potestatem iurisdictionis patet ex prop. in dissertatione IV.ª allata et probata primatus Rom. Pficis ubi praesertim verba enucleavimus *Quodcumque alligaveris... quodcumque solveris.*

Addimus « et *deinde in Epis, qui proprio nomine* pastores *appellantur.* » Nam ad Ephes. *IV, 11. 12* Deus dedit quosdam quidem Apostolos... quosdam autem *pastores* et *Doctores* ad consummationem sanctorum in opus ministeri, in aedificationem corporis X.ⁱ — Spiritus S. posuit Epos regere Ecclesiam Dei — Et S. Petrus: Pascite qui in vobis est gregem Dei. Porro ex his aliisq. eiusmodi testimoniis constat, quod illi quos X. voluit succedere Apostolis in munere ordinario et pastores esse ac Doctores in Eccl., sunt Epi qui portionem gregis Christi ordinaria potestate insita sc. proprio officio regant ita ut Christo auctore ad Ecclesiae constitutionem spectet et Ecclesiam regi ab Epis atque ab his Epis regi iurisdictionem habentibus singillatim in partes ovilis Christi. Si X.ᵘˢ enim aliquos voluit esse pastores, eos certe voluit quos idoneos instituit ad hoc ministerium exequendum: sed soli Epi propter potestatem ordinis, quae de iure divino est, sunt subiectum idoneum ad regendam perfecte Ecclesiam...

3.ª *pars. Quadamtenus autem etiam in Presbyteris et Diaconis...* Ordo enim qualis est Presbyteratus et Diaconatus sunt essentialiter ordinati seu tendentes non solum ad corpus X.ⁱ physicum per celebrationem divinorum mysteriorum

in Eucharistia, sed etiam ad sanctificationem animarum procurandam seu ad exercenda officia ecclesiastica erga corpus X.i mysticum per S. ministeria circa proximum quae omnia aliquam iurisdictionem important, sicut et constitui in S. Hierarchia.

§. 2. *De Romano Pontifice.*

« Ea tamen omnia hoc modo ac discrimine. »

N. 34.

Vt Rom. Pontificem 1.° Vicarium suum esse voluerit, totiusque Ecclesiae fundamentum: adeoque et centrum unitatis, cui qui adhaerent ii tantum in Ecclesia sint: et Principem totius Ecclesia qui plenam et universam in eadem habet potestatem, quam Primatum dicunt.

2.° Vt infallibilitatis dono ad fidelium intellectus in doctrina fidei ac morum certissime dirigendos eumdem instruxerit:

3.° Vt rationem eius successionis hisce limitibus determinarit, ut successoris sibi constituendi facultatem (nisi forte extraordinaria quaedam et proprie dicta necessitas id imperet) eidem denegarit, modum tamen electionis ipsosque electores designandi ius tribuerit.

Prop. I. Decl. *Vicarium suum esse voluerit Rom. Pontificem* cf. quae diximus de successione R. Pficis in primatu eo quod ipse succedit in Cathedra cui ex iure divino alligata sunt iura primatus. — Notamus unum, quod vocatur Vicarius non successor Christi Dni: non enim succedit in omnibus omnino iuribus et quia X.us Dnus perseverat esse caput Eccl. suae quamvis invisibile. Vnde sequitur non posse a R. Pfice immutari ullatenus constitutionem Ecclesiae et quidquid in ea X.us instituit Titulo Vicarî Christi utitur *S. Bernard. l. 2. de Consid. et Concil. Lugdun. sub Gregor. X uti* hab. *c. ubi periculum de Elecl. in 6.*

Totiusque Ecclesiae fundamentum ut probavimus ex scripturis et traditione Dissertat. IV. Quin imo in traditione saepe hoc nomine fundamenti appellatur: ita Hieron. ep. ad Damas. de nomine hypostasis « super hanc petram aedificatam Ecclesiam scio » ubi Damasum petram Ecclesiae vocat. Adeoque et *centrum unitatis*, cui, qui adhaerent, ii tantum in Ecclesia sint « quatenus primatus Romi Pficis ipse est, qui efficit unitatem, qua *constituitur* ipsa Ecclesia ita ut independenter a potestate Rom. Pficis nulla sit unitas Ecclesiae h. e. nulla sit societas quae Ecclesia Christi dici mereatur (1). Dixi *efficit*, *constituitur* ut con-

(1) Ad rem Taparel. Saggio teoret. n. 1457. — Si osservi infatti 1. Se una è l' autorità sociale una é dunque nella multiplicità de' Pastori l' autorità ecclesiastica, né cessa o diminuisce l'unità per la sua derivazione. 2. Se società concreta esige autorità concreta, e società autorità constante; la Chiesa, società perpetua e visibile, deve dunque avere perpetua e visibile, vale a dire il superiore. Onde assurdo sarebbe il constituirne solo superiore il Concilio univer-

tradicerem Febronio iuxta quem Ecclesia habet potestatem clavium, quam exercet praesertim per Rom. Pficem, qui ipsi universitati subordinatus est: hinc cum societas constituitur per auctoritatem, Ecclesia independenter a Rom. Pontifice erit iam constituta ideoque una: unde iuxta Febron. primatus est necessarius ut servetur non vero ut efficiatur unitas Ecclesiae, non tam est iurisdictionis quam ordinis et consociationis. Iamvero contra Febr. prob.: auctoritas quae non est a societate delegata, sed quae est ipsa primitiva auctoritas et essentialis societati est principium eius socialis unitatis sed talis auctoritas in Eccl. est auctoritas primatus ita propria Rom.i Pficis ut ipsi soli insit. E.

Nam supra probavimus a) R. Pfici collatam esse supremam, universalem, independentem iurisdictionem in universam Ecclesiam. b) Tota nominatim Eccl. veluti aedificium *fundata est super Rom. Pficem*, tamquam Petram: tota potestas clavium ligandi et solvendi, potestas pastoris, praerogativa Petrae

---

sale, a cui repugna la perpetuità. 3. Se la Chiesa è società constituita per il diritto prevalente, da cui le deriva ogni autorità, i legitimi elettori non sono creatori dell' autorità, ma solo determinatori della persona a cui essa da Dio vien conferita. Quindi se il supremo gerarca esorbitando traviasse il popolo fedele non ha altro mezzo a ripararvi chè il ricorso a quel Dio che lo investì del potere. Se venisse a mancare per morte o per dubia elezione, i suoi poteri non vengono ereditati, rimane nelle subordinate autorità ipotatiche il diritto di dare le norme per il governo umano dell' esterna società, senza però violare alcuno degli ordinamenti lasciati a tal proposito da' precedenti gerarchi supremi. Siccome la Cristianità è una società ipotattica, così, mancandone il visibile centro universale, ciascuna di queste acquista allora qualche maggior influenza che ne' tempi di perfetta unità.

Ed ecco la causa intima per cui nell' estinguere lo scisma d' Occidente tanto figurano i Principi e le nazioni. Si trattava allora la causa, non meno della Cristianità società materiale; che della Chiesa società spirituale. Le nazioni formano nell' una e nell' altra de' consorzi. Dunque per legge ipotattica scemando la forza attiva del potere supremo, riviveva a proporzione la quasi indipendenza dei secondari, obbligati ad operare per il riordinamento del tutto. L' ardore de' Padri di Costanza nel sostenere i diritti del Concilio nasceva da una confusa apprensione di questa legge ipotattica, ma quelli che non stettero in guardia contro la naturale tendenza espansiva di questo calorico trasportavano agevolmente allo stato normale i diritti che loro concedeva lo stato convulso.

Quindi quest'influenza non giungerà mai a piena indipendenza perchè Dio primo fonte dell' autorità ecclesiastica non cessa mai d'infondervi un principio d' unità sia per la grazia al dentro, sia colla communione esterna di riti, delle leggi ecc.

Di che abbiamo negli scismi della Chiesa pruova anche esterna e materiale, la tendenza perpetua ed i tentativi di unione, ritardati e per lungo frustrati dalle passioni umane; ma non mai potuti arrestare sì che non operassero, ne frustrare sì che non ottenessero finalmente l' intento.

facta fuit immediate et directe R. Pfici independenter ab Eccl. ita ut subiective nonnisi in ipso reperiatur. Atque inde est ut a) Eccl. X.i sit una prout unum est illud aedificium quod uni Petrae adhaeret, unum Regnum, unum ovile, quod uni regi, uni pastori subest: b) ut auctoritas R.i Pficis non sit delegata ab Eccl. sed sit ipsa primitiva auctoritas in hac soc.; c) ut sit auctoritas eidem Eccl. essentialis...

Principem totius Ecclesiae qui plenam et universalem in eadem habet potestatem quam primatum dicunt. Verus enim Princeps est societatis, qui independenter ab omni prorsus alio atque ab ipsa societate in eamdem universam gaudet potestate legifera, iudiciaria, coactiva. Haec potestas dicitur Primatus iurisdictionis: prout contradistinguitur a primatu honoris et ordinis quo praeses reipublicae gaudet. Cf. quae supra diss. IV. diximus et quae dicemus in Iure can. suo in tit. Nam a) primatus honoris est tituli praerogativa, cui coniungitur honorificum ius praesidendi, primus sententiam dicendi, ec. qui titulus conferri solet ob aetatem, merita, ingenium, profundam scientiam.... b) Primatus ordinis addit primatui honoris quaedam iura ad negotia recte expedienda; e. g. ius senatum indicendi, de negotiis referendi, sententias rogandi, monendi ad ordinem, hortandique totum Concil. quo Primatu Praesides Reipubl. insigniri solent. c) Nomine primatus iurisdictionis venit hic suprema immediata potestas in universam societatem perfectam, legifera, indiciaria, coactiva, et cum hic agitur de Petro et de R. Pfice venit quoque auctoritas magisterii infallibilis, quo fidelium mentes ita infallibiliter reguntur ut teneantur eiusdem decretis assensum praestare. Vnde qui hoc gaudet primatu habet omnem et veram potestatem ad supremum societatis regimen exercendum.

Hinc patet quatenus R. Pfex vi primatus iurisd. in regenda Ecclesia sibi reservat a) quae supremam involvunt potestatem e. g. si respiciunt statum Ecclesiae universalis: b) quae exigunt infallibilitatem e. g. leges dogmaticae, de factis dogmaticis ut canonizatio SS.or Et hae dicuntur causae maiores natura sua ut distinguantur a caeteris causis quae etsi talia non involvant, de facto tamen R. Pfici reservantur. c) Vi apostolatus ipse unus mittit missionarios.

Hinc intelligitur qui et quatenus ad R. P. spectat I. ius organizandi Ecclesiam (quod ius constituens secundarium vocant) i. e. erigendi novas Ecclesias, vel antiquas coniungendi, dividendi, dismembrandi — suam potestatem delegandi — eximendi a iurisdictione ordinariorum, sibi immediate reservando monasteria, ecclesias, ordines religiosos — Epos nominandi, confirmandi, instituendi — eosq. removendi, deponendi, transferendi, atque iis coadiutores vicariosque apostolicos sufficiendi.

II. Iure gaudet legislativo sive pro universa sive pro particularibus ecclesiis.

R. P. iure gaudet legislativo: ipsi enim ligandi potestas data est quaecumque et quoscumque: unde potest vinculo legis ligare circa omnem materiam in qua esse potest ratio medii ad finem proprium huius societatis modo sint actus externi subditi in quos per se et directe fori externi potestas exercetur. Et cum in foro externo non expedit prohibere omnia mala: secus inde sequeretur quod multa etiam bona tollerentur et impediretur utilitas bonis communis quod est necessarium ad conservationem humanam. S. Th. 1, 2, q. 91. a.

4 in θ hinc neque expedit quod R. P. omnia prohibeat quae male fiunt. Iterum cum multo minus expedit iubere omnia bona in foro externo, quia imperfecti qui sunt maior pars subditorum tot praecepta non possunt ferre atque in deterius abirent: hinc neque R. Pfci expedit iubere omnia bona. Hisce limitibus addatur et ille quod cum Christus Dnus plura iam in Ecclesia aut iusserit aut prohibuerit, contra haec divina statuta nequeat disponere R. P.: ad summum ea debet custodire proponere, interpretari aut sanctione sua etiam firmare. Hinc speciatim res fidei et morum esse possunt obiectum legiferae potestatis: dicuntur autem res fidei et morum ea, quae directa intentione a Deo revelata, in deposito ab Apostolis tradito continentur. Res fidei sunt et tales habentur quae divinitus praecipiuntur tantum credenda, res morum sunt ea quae praescribuntur et credenda et in praxim deducenda, sic dictae quod regulam morum exhibeant. Quod si R. Pfex seu Ecclesia omnia quae revelata sunt credenda et in praxim deducenda, sua sanctione seu lege firmare potest, tamen non omnia, quae ad fidelium operationem pro fine consequendo dirigendam necessaria sunt, revelatione continentur Leges itaque divinae, quae communiri adiuncta sanctione legis ecclesiasticae versantur circa ea omnia quae in hac soc. sunt immutabilia et fundamentalia sive quae continent ius tam naturale quam connaturale gratiae sive quae praestituunt positivam Ecclesiae organizationem simul cum substantia cultus in sacrificio et sacramentis. Reliquae leges eccles. disciplinares audiunt, continentur disciplinaribus conciliorum decretis Bullis Pontificum horumque decretalibus epistolis in universa materia liturgica, administrativa, contentiosa, ascetica, ecc. quaeque nil aliud sunt nisi fundamentalium determinationes societati iam constitutae et ad finem suum tendenti necessaria vel utiles primo et per se ab Ecclesiae seu R. P. legis praescripto profectae et obligatoriae effectae.

III. Potestate iudiciali gaudet utriusq. fori; reservandi absolutionem a peccatis et a censuris: iudicandi in quocumque gradu etiam 1.ae instantiae.

IV. Ius habet infligendi omnes poenas ecclesiasticas.

V. Ius administrandi omnia bona ecclesiastica.

Ad haec, quae n. II, III, IV, V, Romano Pontifici asseruimus conferantur quae diximus supra dissert. 1ª et 2ª de potestate, quae competit societati perfectae et consequenter Ecclesiae Christi scil. perfectissimae prae sua triplici functione legifera, iudiciaria, coactiva: ipse namque R. Pfex est subiectum supremae potestatis, plenissimae, incircumscriptae, undequaque perfectae: ergo ipse potest omnia quae competunt Ecclesiae Cf. varia Corollar. Supr. cit. dissert. demonstrata.

N. 35.

Prop. II. « Vt infallibilitatis dono ad fidelium intellectus in doctrina fidei ac morum certissime dirigendos eumdem instruxerit. » Qua in re adnotamus cum haec Tarq. scriberet infallibilitatem Rom. Pficis nondum fuisse in Vaticano Conc· definitam. Ad hanc definitionem maxime provocavimus in Iure pub. supra Dissert. IV et in Iure can. tit. De Rom. Pfice — ubi etiam de obiecto eius infallibilitatis disseruimus, ita ut non solum definitiones edere valeat in rebus fidei et morum — atque in ferendis legibus

universalibus infallibilis prorsus sit, sed etiam immunis ab errore prorsus sit cum exercet 1. ius symbola conficiendi, atque generali lege praescribendi quo tempore et a quibus solemnis professio fidei sit emittenda — 2. ius cathechismos atque libros pro instructione religiosa praescribendi in universam Ecclesiam — 3. ius erigendi universitates et studia generalia iisque sua iura et privilegia ac decora tribuendi — 4. ius dirigendi missiones in toto orbe — 5. ius concedendi leges de approbatione et editione librorum — 6. ius prohibendi lectionem quorumdam librorum — 7. ius damnandi propositiones contrarias catholicae doctrinae. Nominatim quoad scholas quid possit videbimus infra...

N. 36.

Prop. III. — QUOAD ELECTIONEM SUCCESSORIS AN EAM POSSIT NECNE FACERE, *distinguatur ratio historica seu facti a iure.* I. Quaestio iuris in R. Pfice sibi successorem deligendi sic exprimitur et resolvitur a Tarq. « VT SUCCESSORIS SIBI CONSTITUENDI FACULTATEM NISI FORTE EXTRAORDINARIA QUAEDAM ET PROPRIE DICTA NECESSITAS ID IMPERET, EIDEM DENEGARIT, MODUM TAMEN ELECTIONIS IPSOSQUE ELECTORES DESIGNANDI IUS TRIBUERIT. » Hisce triplex continetur assertum 1m *quod denegarit R. Pfici ceu ordinariam facultatem sibi successores diligendi* — 2m *quamvis forte in casu verae necessitatis extraordinariam quamdam facultatem concessit;* 3m Illud porro certum *quod ipse R. Pfex valeat modum electionis atque electores statuere.*

Prob. 1m assertum a) ratione iuridica quia ex Xi Dni institutione suprema in Ecclesiam potestas non est haereditaria, imo neque ulla Ecclesiae potestas talis est: sed eiusmodi esset si R. Pfex valeret sibi successores deligere. — b) Tota Pficis potestas extenditur et coarctatur ad Ecclesiam cuius ipse est Pfex; sed post mortem non amplius est Pontifex; nec mortuus posset regere: atqui si provideret de rectore pro eo tempore, quo non est amplius Pontifex, seu si deligeret suum successorem ipse per hunc gubernaret; seu ut loquitur Schmalz. — « Dispositio licet sit facta tempore habili, si conferatur in tempus inhabile, nullum de iure effectum habet: talis est substitutio novi Pficis a Praedecessore facta: confertur enim in tempus mortis, quo Papa non amplius est » — c) Papa et Epus ratione spiritualis coniugii se habet ad Ecclesiam sicut maritus ad uxorem, sed hic alium sibi successorem in coniugio etiam post mortem suam, constituere nequit. ergo...

Prob· 2m assertum *extraordinariam quandam facultatem concessit* nam si vera sint facta quae pro 2a quaest. afferunt haec nonnisi de quadam extraordinaria facultate explicari possunt. — Sunt qui affirmant R. Pficem posse sibi deligere successorem potestate ordinaria et afferunt argumentum a) negativum scil. potestatem primatus ita esse restrictam ut non possit R. Pfex devenire ad suum sibi successorem constituendum neque ex natura rei neque ex positivo iure divino probatur. b) Exemplum est Felicis IV (an. 526-530), qui designavit suum successorem Bonifacium II. Et etiam ipse Bonifac. II decretum edidit designans successorem quod postea ante mortem suam revocavit. c) auctoritate DD. plurium quos inter Suarez, Vasquex Bonacina ita adversarii nostri suam probabiliorem existimant sententiam.

Contra hos in 1. asserto affirmavimus *ordinariam* potestatem R. Pfici sibi

diligendi successorem factam non esse. Praeter enim supra allata argumenta est. factum constans et perpetuum tunc praesertim cum ob turbas rebelliones intrusiones atque alia incommoda.. videbatur necessarius usus huiusmodi potestatis, si ea R. Pfex polleret. Quod factum seu praxis ceu ab Apostolis repetenda videtur sc. designandi successorem Petri etiam per electionem.

Insuper videndum an Felix IV et alia paucula exempla in contrarium, quae sua non gaudent prorsus certitudine historica, fuerint potius commendationes quam verae designationes personae in successorem.

E contra pro nostra sententia afferuntur quoque decreta Bonifacii II revocantis designationem, Pauli III, Pii IV contra ius designandi successorem.

Auctores numero et pondere plures a nobis stant. E Theologis praesertim Card. Baronius; Gregorius de Valentia, Card. Caietanus et alii plurimi apud Fagnani in c. Accepimus De Pactis quocum e Canonistis praeter Schmalz gr. pro nobis stant August. Triumphus Card. Turrocremata et Card. Zabarell. qui tres affirmant etiam nec posse fieri statutum quod sit validum ut Papa possit sibi successorem substituere.

Prob. 3m assert. Determinatio rei quae spectat ad commune societatis bonum est actus iurisdictionis et proprius auctoritatis supremae cui subest tota societas. Sed electio R. Pficis est res spectans ad bonum commune totius Eccl. et ex ea consequitur obligatio qua tota Ecclesia obstringitur obediendi personae electae: auctoritas vero suprema est in ipso Rom. Pfice, cui Primatus competit. E. Cf. pro 1.a ass.to Gloss. et Canon. DD. in can. si transitus 10 dist. 79 ad verb. *non possit*. et in c. apostolica 7 can. 8 q. 1 ad verb. *beatus*.

Quaestio historica seu facti potius negative resolvenda est. Nam quod 1m assertum certum est non potuisse ordinaria potestate sibi delegisse suum successorem. Quoad *extraordinariam*: haec affirmanda potius est. Nam quaedam afferuntur facta quae, supposita historica rei veritate, hanc quandam exhibent extraordinariam potestatem. In can. Ca. 8 q. refertur S. Petrus delegisse sibi in successorem S. Clementem sed incertum hoc etiam quoad personam successoris Linus ne an. Clem. — Aliud exemplum profert. Baron. ad an. 531 n. 1 de Vigilio electo a Bonifacio: ast de Bonif. iam ex supra dictis aliud dicendum... Cf. Pezzana codex S. Cath. rom. Eccl. can. 48, qui etsi in contrariam videtur abire sententiam tamen ius tale sibi successores deligendi extraordinarium et de plenitudine potestatis asserit esse vol. 1.

Ex iis autem quae heic et supra Dissert. IV diximus de R. Pfice fluunt etiam seqq.

N. 37.

Coroll. I. « Ergo nulla humana auctoritate impediri potest communicatio Rom. Pficis cum quovis fideli. » Diximus *potest* i. e. *moraliter* seu iuridice non physice: quod enim vi physica impediri possit experientia quotidiana est atque lugenda. Evidens porro est Coroll.: ratione enim primatus universali suprema et *immediata* gaudet potestate in totam Ecclesiam; est Pastor immediatus omnium fidelium, ius divinum et officium a Deo habens eos pascendi, qui fideles vicissim eum audire et sequi tenentur atque ius habent ut eius directione et regimine fruantur. Et cum haec iura immediate a Deo au-

ctore ordinis supernaturalis' constituta sint pro directione hominum in finem ultimum supernaturalem praevalere debent cuicumque iuri potestatis civilis: unde potestas civilis neque minuere neque ullatenus in suo exercitio impedire ea potest. Atqui si princeps civilis posset impedire communicationem capitis cum membris, minuerentur imo tolli ex integro possent talia iura: e.

Neque obtrudatur quod Princeps civilis est dominus territorii sui in quod ingressus cuiuscumque exteri sine beneplacito eiusdem Principis permitti nequit. Nam Rom. Pfex non exterus censendus est, sed dominus in quolibet territorio non quoad proprietatem et politicam iurisdictionem sed quoad religiosam potestatem. Ad rem Clem. XI in Bulla accepimus. « Ambigere non possumus quin horrore perfundendus sit, quisquis illud (edictum quoddam praetensi tribunalis Monarchiae) legerit dum intercetera perspiciet ac animo reputabit eo temeritatis perventum esse, ut potestatis exterae titulus potestati illi adscribatur, quam nos per b. Petrum eiusque successores a Dno accepimus in terris maximam, et quae indigno haerede non deficit. »

N. 38.

Coroll. II. — « Error quoque est minime tolerandus recensere inter regia iura facultatem subiiciendi regio ut vocant, exequatur Bullas et Brevia Pontificum atque acta quacumque ad Ecclesiae regimen spectantia. »

Hanc esse unam ex libertatibus gallic. docet sic De Marca Concord. l. 2, c. 17. « Non solum Ecclesiae gallicanae consensum expectandum esse ut novi canones (etiam a Conciliis oecumenicis in re disciplinari editi) vigeant sed regi quoque eam sollicitudinem maxime incumbere novasque leges executioni mandari non posse si principum consensu (1) expresso vel tacito destituantur,

(1) Unum ex falsis principiis, quibus *regium placitum* iuxta Gallican. innititur est illud, quod R. Pontificis auctoritas sit extranea regno Galliarum atquae adeo quidquid ibi ceu in *alieno territorio* promulgandum est consensu indiget legitimi principis illius territori. Cuius principi falsitatem supra ostendimus. Ad abundantiam heic referimus Taparell. saggio teor. di Diritto natur, notam. 124 scil. ad n. 1444.

A questa necessità ait ille, che nasce dalla natura stessa delle cose non badando i Protestanti, declamarono nel secolo scorso contro *l' influenza di un sovrano straniero* che negli Stati cattolici conduce gli affari, conferisce i vescovadi, corregge gli abusi ecc. avrebber dovuto ricordarsi che questo *straniero* da' principi cattolici vien chiamato il *Santo Padre*, e che un padre non è straniero a' figli, anzi è obbligato ad influire nella loro condotta. I principi cattolici credono dunque che il Papa, allorchè influisce ne' loro Stati per la conservazione del cattolicismo, opera da padre e non da straniero. Avranno torto secondo il Vattel di non guidarsi colla propria ragione indipendente, avranno torto di essere cattolici; ma posto che non si credano infallibili come i protestanti, non possono essere biasimati se lasciano la moral condotta a lui che credono giudice infallibile del vero, precettore autorevole del bene.

etsi fortasse quamplurimis Ecclesiae gallicanae proceribus acceptae fuerint. » Hinc mirum non est si Gallicani omnibus semper contenderunt nervis leges quoque ecclesiasticas non valere nisi per provincias promulgentur et tacito saltem populi consensu acceptentur. De Marca l. c. cc. 15, 16, ut scil. tranquillitati consulerent conscientiarum, quae legem non observant non promulgatam, quacumque ex causa promulgatio sit impedita.

Ad originem et vicissitudines huius erroris quod spectat conf. Tarq. in sua

---

A' protestanti fanno eco i miscredenti loro eredi. Il Romagnosi nelle *Istituzioni di civil filosofia* inveisce contro il sommo della stravaganza, per cui i *Papi coi loro Decreta urbis et orbis pretesero che una notificazione fatta in estero territorio, si dovesse riputare fatta nel nostro.* Non sapea il Romagnosi che tali notificazioni riguardano la *società cattolica*, che ha per suo territorio tutta la terra, e però non conosce *paese estero.* La sua *capitale Roma* corrisponde con tutta la società ed invia perpetui messaggi in ogni parte, ove la perfidia di ribelli non intercetti le comunicazioni. È dunque moralmente impossibile che nei paesi devoti alla unità cattolica non si conoscano i decreti che li concernono, dopochè in Roma son pubblicati. In quelli poi ove l' eresia o l' empietà stanno accampate ai confini per vietare l' accesso di tali ordinamenti, la Chiesa che non suol armare soldatesche per penetrarvi a forza, doveva ella permettere che le ribellioni si legittimassero col pretesto dell' ignoranza da loro stesse voluta? E qual è quella società politica ove i ribelli sieno esenti da quelle leggi, di cui essi stessi vietano la pubblicazione?

Al miscredente italiano soggiungo un miscredente francese. Il signor Guizot nella lezione XIX della *Civiltà di Francia* dimostra ugualmente di non comprendere che l' influenza pontificia negli Stati cattolici nasce dalla necessità delle cose: e si adopera a tutt' uomo per mostrare che il *vescovo di Roma*, avendo prima avuto la buona sorte di divenire un uomo importante e potente per la lontananza di Bisanzio, incominciò poi a' tempi di Pipino ad acquistare influenza gagliarda nel regno di Francia coll' occasione di convertire i Tedeschi. Nessuno vorrà negare che il signor Guizot nel raccontar queste novelle a' cattolici francesi del secolo XIX, mostra una rara innocenza, o una fiducia nella dabbenaggine de' suoi lettori, che ha del portentoso. Mi permetterà dunque il ch. Autore che lo esorti a leggere, non già i teologi cattolici (che avrebbe dovuto confutare per mostrarsi candido amator del vero) ma anche solamente i protestanti tedeschi o inglesi che gli mostreranno l' insussistenza di sua dottrina. Quanto a me, sarò pago di ricordargli che assai prima del VII, del VI, del V secolo, assai prima che gl' Imperatori bizantini li avessero costituiti lor delegati, e per conseguenza assai prima che Pipino facesse alleanza coi Papi, un vescovo francese scrivea quelle parole mille volte citate dagli apologisti cattolici: *ad hanc (romanam ecclesiam) propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam.* Se ai tempi di S. Ireneo si credea in Francia che ogni chiesa dee ricorrere a Roma per esser quella la prima e la più potente di tutte le chiese, pare che il signor Guizot meglio si opponesse intorno al poter dei Papi, quando lo derivava dall' essere eglino *seconda la tradizione universalmente ricevuta, i successori di S. Pietro.*

pulcherrima dissertatione infra in Append. de Regio Placet, cuius primordia ad saec. XV eodem auctore referenda sunt. Mitto quod orto schismate occidentali Vrbanus VI, concessit quibusdam placitum epale, unde dicto schismate durante principes, cum per diversa regna uni vel alteri Pfici adhaererent sanctione civili quandoque muniebant bullas Pontificum, quibus adhaerebant, coeteris exclusis. Porro extincto schismate extingui videbatur istud Placitum cum Carol. VII. Rex Galliarum iuxta Const. Mart. V, Quoad antidota iussit rescripta et bullas pontificias statim esse executioni mandandas ut antea cum Clemente VII, et Bened. XIII, factum fuerat, non obstantibus quibuscumque arrestis, usibus et mandatis. Sed ecce sub anno 1493. Alexand. VI, rogatus a Ferdinando Hispaniarum, rege ei concessit examinari bullas indulgentiarum.... et serius primus qui sibi vindicavit iure regio placitum fuit Ioan II. Lusitaniae Rex, Deinceps apparuit Bulla Innoc. VIII. contra iudices brixienses saec. XVI. Alex. VI. 25 Iun. 1501 deposuit Fridericum e regno Siciliae ob placitum regium. Gregor. XIII. repehendit Philippum II ob eamdem rationem. Saeculo XVII regium placitum in Galliis maxime pro libertatibus gall. defendendis resuscitatur, dum in Hispania primo ob privatorum commodum. et postea acrius defenditur ob bonum publicum. Idem processu temporis dicendum est de regionibus subalpinis, sicula, Parmensi. Etruriae... Germaniae ..

Iamvero Ecclesia hunc errorem semper proscripsit, ut videre est, caetera inter, in Bulla in *Coena Dni.* §. 13, Constit. Innoc. VIII. *Officii nostri.* Constit. Innoc. XI. *Nova semper,* litt. apost. Clem. XIII. *Quam graviter;* Pii IX. Brev. *Probe nostis,* encycl. *Quanta cura,* et litter. apost. *Ad Apostolicae,* et tandem Conc. Vatic. *Sess. IV. c. 3.* §, 4. Cf. plurima documenta huiusm. penes. Tarq. l. c.

Regium Placitum definit Van-Espen (opus de promulg. leg. ecclesiast. et iur. can. Part. 2. t. 24. c. 6.) *permissio quam auctoritas civilis impertit bullis, brevibusque Pontificis, ceterisque actibus auctoritatis ecclesiasticae ut vim obtineant in proprio statu.* Qua definitione clarius patet mens adversariorum et subindicatur ius hoc inhaerere ex rei natura politicae potestati, ceu quoddam ius se cavendi contra Eccl.ae usurpationes: vi cuius scil. iuris auctoritas civilis declarat nullum habere vigorem bullas et brevia pontificia, et quemlibet alium actum auctoritatis Eccl.ae qui permissione sua non muniantur.

Vt ostendatur intollerabilis error, a) praeter quam quod in citt. constitt. doctrina de iure placiti proscribatur ut absurda, temeraria, impia, totius ecclesiastici ordinis et auctoritatis subversiva, ita ut qui catholicus esse velit, huiusmodi ius civili auctoritati asserere nequeat: b) id vel ex ipsa definitione eruitur: vitium namque huius rei in eo est, quod promulgatio et valor legis et cuiusvis actus potestatis Pontificiae dependens fiat a consensu principis. Atqui id haereticum prorsus est, et auctoritati primatus a nobis probatae ceu nulla humana potestate circumscriptae intrinsece repugnans.

Insuper c) si istud ius innatum esset civili potestate, competere debuit etiam Neroni, ceterisque priorum saeculorum principibus tyrannis: sed hoc perabsurdum foret.

Quid amplius? d) potestas eccl.ca disponens media supernaturalia in finem ultimum subiiceretur potestati civili disponenti media tantum in finem temporalem: scilicet si potestas civilis iure suo insito permittit vel prohibet publica-

tionem actuum procedentium ab auctoritate eccl.. ita ut valeant, si permittit; irrita sint si prohibet, actus potestatis eccl. detruduntur in ordinem earum rerum quae ad felicitatem temporalem conducunt et sic ordinatio in finem supernaturalem subordinatur ordinationi in finem temporalem.

e) Hinc errorem hunc admittit qui asserit quod inter homines una sit tantum suprema potestas eaque sit reipublicae seu status auctoritas ex principiis naturae dimanans, cui potestas quoque religiosa, si qua sit, subesse debet: seu naturalismus et rationalismus snpponendus est: sed hi errores fuerunt damnati.

Nec quidquam valet ratio ab adversariis adducta ut sc. Rex sibi et suae societati caveat ab aggressione et usurpatione eccl. potestatis. Nam 1. idem ius cavendi ab aggressu potestatis civilis tribuendum esset R. Pfici et Epo, quod nolunt adversari 2. in casu quod Rom. Pfex abutatur auctoritate sua et actus *eius notorie sit iniustus* neque ipse Princeps neque alius pius tenetur obedire. Dixi si actus eius sit *notorie iniustus*: si enim 3. dubitatur tunc iudicium de iustitia et iniustitia neque ad fideles subditos pertinet neque ad ipsum Principem, qui et subditorum censu habetur, et cum qua Princeps curat tantum bonum temporale hic ferre nequit iudicium utpote quod reservatur ferendum ab eo qui supremi finis curam habet.

f) Addatur tandem quod per hoc ius cavendi tam in *Ecclesiam* fit iniuria: si quidem non ut amans mater colitur, sed ut noverca insidiosa timetur: quam in *Christum*, qui cum sit institutor Ecclesiae eamque spiritu suo regat, traducitur institutor societatis, quae humanis iuribus et felicitati sociali bellum gerat, atque adeo seminator discordiarum in mundo.

Animadvertimus tandem rationes easdem valere contra placitum relate ad actus epales. Tota enim cura Religionis demandata est Sacrae Hierarchiae praesertim Capiti supremo i. e. R. Pfici; potestas Ecclesiae est omnino independens a quacumque potestate laica, adeo ut et Episcopi simul cum Romano Pontifice solvant et ligant pro universa Ecclesia, seorsim vero sumpti pro sua quilibet Ecclesia etsi dependenter ab uno Rom. Pfice: iamvero quilibet usus clavium in Ecclesia quaelibet potestas ligandi et solvendi independens est a laica potestate, ita ut quae solvat aut liget Ecclesia per quoscumque suos legitimos Pastores solvat aut liget ipse Deus: atqui hoc non esset verum, si per regium placitum laica potestas ligaret aut solveret, quod solvit aut ligat Eccl. e.

Notetur quod immerito dicitur haec potestas *regii exequatur* potestas negativa in sacra, quia potestas negativa sapit absurditatem, quia negatio consensus seu Placiti regii est actus positivus cum dicatur actus iure legitimus ab adversariis, quem sequatur ligatio potestatis eccl. Nec tantum *indirecta* quae esset, si impediretur per eam lex Pficis lata forte per accidens obfutura seu in damnum societatis; sed *directa* quia fertur in omnes actus auctoritatis Rom. Pficis ita ut nullus valeat, nisi accedente consensu civilis Principis.

Praeter dissert. Emi Tarquini cf. De Dominicis Regio exequatur. Item op. Origini e vicende del Regio exequatur nei dominii della Real Casa di Savoia, per un vescovo ital. 1863. — Ex iis quae modo de regio placito disseruimus patet, si daretur, mutationem inferre ipsi Ecclesiae constitutioni. Porro constitutio Ecclesiae qualis huc usque exposita est, inter iura divina prorsus

recensenda: contra quae neque ius civile neque ius ecclesiasticum quid mutationis inferre potest. Neque dicatur a Regalistis hoc ius regii placiti ideo dici nativum quia natura sua inditum est societati civili quae est perfecta, est ergo ius naturale et divinum. His resp. Bonifac. VIII. Bulla *Unam Sanctam* « Deus ordinate omnia fecit: ergo non reperitur contradictio in operibus eius: porro tota Constitutio Ecclesiae est divina, et omnia iura intrinsece inhaerent ipsi per Christum D. concessa: ius autem regii placiti a statu praetensum ut naturale est putidum hominum inventum postquam hi sese alienare ab Ecclesia coeperunt cf. plura documenta P. Tarq. circa originem infra in Append. de regio placito.

Ergo neque R. Pontifex tale ius quale praetenditur potest concedere Principi civili. Et re quidem vera esset contra ius divinum. Et Pius V. constitutione edixit R. Pficem placitum quod praetenditur nequidem concedere posse. Cui non officit concessio facta a Bened. XIV. Sardiniae regi: huic enim concedebatur simplex *visum* quod toto coelo differt a regio exequatur. Quod etiam Bened. XIV. sua constit. damnavit, et illud revocavit quod concessit.

N. 39.

Coroll. III. Appellatio ab abusu: i. e. appellatio ad Principes saeculares adversus Ecclesiae praesertim vero ipsius Romani Pontificis sententias, intollerabilis abusus est et maximus error.

Haec appellatio ab abusu est alia libertas gallicana prout asserit De Marca l. 4, cc. 19, 20, 21. Generatim appellatio proprie dicta est provocatio ab inferiori ad superiorem iudicem ob gravamen illatum vel inferendum « quae duplex est, iudicialis et extraiudicialis prout ab actibus iudicialibus vel extraiudicialibus appellatur. — Quod a sententia iudiciali vel extraiudiciali provocetur ad iudicem diversi ordinis, improprie dicitur appellatio.

Distinguitur porro appellatio iudicialis a *sententia iniqua* quae sc. lata est a competente iudice et servato iurius ordine, sed male saltem iuxta appellantis aestimationem; et a *sententia iniusta* quae lata est sc. ab auctoritate incompetente, vel spreto iuris ordine, vel etiam si manifeste sit iniqua i. e. manifeste contra legis dispositionem: appellatio a sententia iniqua simplex audit, a sententia iniusta *tamquam ab abusu* vocatur.

Coroll. est contra Richerium, Febronium, Gallicanos et Regalistas omnes qui contradicentes doctrinae cathol. asserunt principi saeculari ius recipiendi appellationes ab abusu: et dicunt quod etsi civilis princeps in materia ecclesiastica de merito causae nequeat diiudicare, tamen a) potest iudicare de incompetentia si iudex eccl. tribuat sibi cognitionem at definitionem causarum quae non sunt eius fori: b) iudicare etiam potest si solemnitates iuris etiam in causa sint servatae, cum hoc ad factum externum pertineat, etsi causa sit eccl.: hinc facilius moderni Regalistae tribuerunt iudici laico iudicium etiam de merito causae an. sc. iniqua sit: nominatim quoad suspensiones ex informata conscientia. Imo addit De Marca l. c. non modo has appellationes ab abusu Gallicani tribuerunt saeculari principi sed etiam « si constanti usu recepti canones, vel inveteratae consuetudines, adiunctae in fundandis beneficiis conditiones, privilegia Ecclesiae legitime indulta, vel cetera, in quibus libertates gallicanae

constitui solent, violentur... si regiae constitutiones violentur, quae aut canones confirmant, aut de beneficiis decernunt, aut litium instituendarum tam in causis civilibus quam in criminalibus ordinem praescribunt. »

Haec autem formula *appellationis ab abusu* specialiter accomodata est a pragmaticis, ut ait De Marca l. c. antiquis querelae illi quae a clericis adversus vim iudicum eccl. ad magistratus regios defertur sive de rescriptis romanae Curiae conquerantur sive de iudiciis Eporum. Et *abusus* mentio iniicitur ne quis existimaret magistratuum consilium illud fuisse ut ecclesiasticam iurisdictionem saeculari submitterent; quare non de reipsa se iudicium suscepturos sed de potestatis abusu extraordinaria cognitione habita protectionis iure oppressis opitulaturos hac formula profitebantur. « Qua in re animadvertit Charlas quod cum et a rescriptis Rom. Pontificis appellatio huiusmodi interponatur, reverentia quaedam quoad modum Pontifici adhibetur ut nimirum non a sententia, decreto vel rescripto eius, sed ab eorum publicatione vel executione appellari debeat, cum actus Eporum directe impetantur et irriti fiant.

Formaliter proscripta est appellatio ab abusu in Syllab. prop 41ª: imo reiecta et damnata reperitur can. 12 Antiocheno et can. 6. Concil. Cpolit. I, contra quos veteres canones profecto non poterant Gallicani suas libertates tueri. Ch. Charlas de libert. gallic. l. 12, c. 2.

Porro iam vel ex primo rei intuitu patet perquam iniustus, absurdus atque adeo intollerabilis error est abusus appellationum ab abusu. a) Nam ex iure divino et canonico omnes causae spirituales et ecclesiasticae ad unum Ecclesiae Tribunal sunt perferendae, atque adeo fide inter Catholicos certissimum est non habere iudices saeculares claves Ecclesiae ut in foro vel interno vel externo ligare possint aut solvere, iurisdictionem aut missionem spiritualem conferre: hinc necessario sequitur nulla Principum edicta, nulla Curiarum saecularium placita posse quemquam a peccato vel censura vel alia poena ecclesiastica liberare vel ab irregularitate dispensare: nulli parocho vel alteri sacerdoti aut clerico ad praedicandum missionem, ad poenitentiam vel alia Smta administranda iurisdictionem conferre. Ipsae personae, a quorum actibus appellatur ob praetensum abusum, sunt subductae iure divino et canonico a potestate saeculari. Iamvero per appellationes ab abusu asseritur laicis et exercetur ab ipsis iurisdictio in ipsos iudices ecclesiasticos qua tales et in ipsas res seu causas ecclesiasticas. Sententia enim quae fertur circa abusum potestatis eccl. attingit actum personae agentis ut est ecclesiastica et instructa potestate ecclesiastica, cum haec sola abuti potest ecclesiastica potestate, ergo iudex ecclesiasticus ut talis foro laico subiiceretur. — Sed etiam causa ecclesiastica subiiceretur. Vt enim de abusu potestatis ecclesiasticae saecularis iudex sententiam ferat, debet iudicare de extensione et limite potestatis ecclesiasticae intra quem sit causa de qua agitur: debet ergo causam iuridice cognoscere circa quam lata est sententia ab ecclesiastico iudice: secus enim cognosci nequit abusus quoad actus qui totum ad causam iudicatam refertur. E.

b) Si remedium contra abusus potestatis iudicum esset appellatio ad iudicem extraneum h. e. extra societatem, societas non esset perfecta utpote quae non haberet media sibi ad finem necessaria, inter quae est remedium contra dictos abusus. Sed X.¹ Ecclesia est societas perfecta.

c) Regalistae ideo tribuunt iudicibus laicis ius recipiendi appellationes ab

abusu potestatis in foro eccles. quia societas civilis laicorum est perfecta : sed etiam Eccl. est societas perfecta sibi sufficiens et independens. ergo etiam iudices ecclesiastici possent recipere appellationem ab abusu potestatis laicorum iudicum : sed hoc negant Regalistae et illogice negant, dum per inhonestam adulationem potestatis laicae, et turpem hanc professionem servitutis subiiciunt civili iudici personas et res spirituales.

N. 40.

d) *Nullo argumento probant* quod asserunt 1. Non per illud quo asserunt Rex est custos et executor canon.

2. neque alio quo affirmant quod sit defensor suorum subditorum contra violentias ipsis illata. Nam

Resp. ad 1.m D. est custos et executor canonum cum iurisdictione quam in ipsam Ecclesiam exerceat *nego:* quatenus ad nutum Eccl.ae et secundum eius voluntatem procurare debet ut canones serventur a suis subditis, *concedo* De tutela principis saecul. in Eccl. cf. supra l. 1 p. 213-214 (1).

---

(1) Ex Solaro della Margarita *Avvedimenti politici* c. 19 et ex Vittadini *dir. publ...* « Fra gli assurdi principali che si professano vi ha quello che lo Stato abbia il diritto di tutela sopra la Chiesa : questo preteso diritto apre la via alle usurpazioni, che si commettono a suo pregiudizio » — Se la tutela politica [(Vittadini) saggio di dritto pub. eccl.co parte 2. ar. 2. n. 92)] ecc.. prosegue lo stesso autore a dimostrare che il preteso diritto è un dovere imposto a' Principi o dalla legge naturale o dalla legge dello Stato, ed il dovere esclude la facoltà d'esercitarlo altrimenti che nel modo che la Chiesa determina.

Uguale fu il linguaggio di altri Sommi Pontefici, fu ricevuto con riverenza da' piú grandi Principi cattolici che ascriveano a gloria un tale dovere — Ne erano rimeritati colla protezione della Chiesa che insegnò sempre a' popoli di obbedirli, onorarli, non sottrarsi alla loro autorità neppure quando fosser cattivi (Petri II. 18) — Si è travolta l'origine e l' idea di qnesto dovere quando si è scambiato in diritto. Compiendo al dover di proteggere la Chiesa , i Sovrani riconoscono l' autorità di questa e se ne facevano i difensori : quando pretendono esercitare un diritto si considerano ad essa superiori, la fanno schiava — *Solaro* ibid n. 4.

Filippo II parole di lui intorno all' utile di difendere la Chiesa cf. Bentivoglio Guerre di Fiandra P. 1 L. 1.

Carlo Magno nell' Assemblea di Worms cf. Audisio Iuris nat. et gent. fund. lib. II. tit. X.

Guglielmo II Re di Sicilia « Prender per essa (la Chiesa) la difesa a regnare » Hurher Vita di Innoc. III l. 21. S Bernard. Ep. ad Conrad. Imper.

Quo magis pateat ius et officium sive individuorum sive societatis civilis adhaerendi Ecclesiae eamque tuendi ac protegendi etiam bello in hostes referimus heic conclusionem P. Taparelli *saggio teoret.* dissert. 7 n. 1500-1506.

Raccolgasi ormai in pochi cenni e sotto nuovo aspetto quanto si disse finora intorno alla società Cristiana.

Resp. ad 2.m Dist. in ordine civili *conc.* in ecclesiastico *subd.* cum iurisdictione *nego*: sine iurisdictione *conc.*

3. *Ob.* Competit potestati civili ius recipiendi appellationes dictas si ipsa est suprema et qui appellant sint eius subditi. — Resp. Dist. si ipsa est suprema

---

Dritto inalienabile dell' uomo e suo indeclinabil dovere è l' aderire al vero e favorirne negli altri uomini la cognizione (228); ma, fallibile che egli è per natura, egli è dalla stessa sua ragione incitato a porsi sotto la guida di chi meglio conosce (573 ss.). Dunque se fosse in terra persona o condizione a cui *naturalmente* e per *fatto constante* appartengasi il non errare, a lei apparterebbesi *naturalmente* l' autorita sugli intelletti (474, 874 s.): ma tal non esiste, nè qualsivoglia altezza di autorità sociale è punto più infallibile dell' infimo fra sudditi. Dunque nello stato naturale ognun si rimane nel dritto e dovere di cercar il vero, di aderirvi e di propalarlo a proporzione della sicurezza che egli ne acquista. Ma quando a l un individuo isolato oppongasi una intera società, che dopo averne ponderate socialmente le ragioni, non ne rimanga convinta, anzi trovi nelle dottrine di lui una chiara opposizione colle prime verità ed un principio di social rovina; allora chi non vede che il suddito non puó tenersi dappiù della società, e che se non è obbligato contro la propria evidenza a credere, né anche la società *dee* credere a lui? che per conseguenza *ragion* vuole che egli di sé diffidi e taccia? I dritti di una società collidono quei dell' individuo. Salvo è dunque alla politica autorità il dritto d' infrenare un qualche prosuntuoso, che si arrogasse indebitamente il vero in maniera da distruggere le basi stesse del sociale edifizio.

Ma venga dal cielo una voce ed accerti indubitatamente il vero morale: una società, più vasta e più illuminata di qualsivoglia materiale associazione: ne autentichi e ne conservi prodigiosamente la tradizione: allora chiunque lo comprese è obbligato ad abbracciarlo, a professarlo : la politica autorità ha dritto di esaminare il vero, ma non a soffocarlo; e se pretenda soffocarlo non deve essere obbedita (1002), Ora il cattolico è ragionevolmente persuaso di aver udito tal voce: e niuna società potè mai convincerlo di falso, seppur tentò. Dunque il cattolico professa una fede indipendente dalla politica autorità; e se acquista proseliti stabilisce una società spiritualmente indipendente ed *universale* (LXIX); giacchè il vero è *per tutti* un dritto e un dovere. Questa società, legittima *per sè*, epperò ha *per se*, un fine, una autorità, un essere distinto dalla politica; se per la distinzione del fine della autorità dei mezzi essa è *distinta* dalla politica, essa non la distrugge, Anzi non solo non la distrugge ma l' aiuta; giacchè il suo *mezzo* è una vita cristianamente onesta; or l' onestà è *essenzialmente* la vita e la sicurezza d'ogni società (343). Non vi è dunque ragione per cui la società politica, possa *giustamente* arrestarne i progressi; anzi la stessa società politica benchè non possa esservi costretta esternamente, è però internamente obbligata a l abbracciare il cristianesimo tosto che lo conosca per vero (886). Taparel - loc. cit.

Poichè i cristiani non offendono le giuste leggi sociali, lo stato, benchè infedele, pure per legge naturale (773), dee protezione alla loro privata associazione come ad ogni altra. Possono essi dunque disporre per lei di tutti i loro

absolute, vel qui appellant sint eius subditi in eo ordine in quo est suprema Conc. Si non est absolute suprema vel saltem non sint eius subditi in eo ordine in quo est suprema. Nego.

4. *Ob.* Scandala, quae ab iniustis sententiis aut decretis oriuntur, a Principe compescenda sunt. Sed id obtinetur per dictas appellationes. — *Resp.* Si quid

---

dritti vigenti ed essa non può esser privata *legalmente* di quei dritti che ad ogni società accorda natura. Ella può dunque insegnare, ordinare, possedere e giudicare sulle materie di sua competenza, vale a dire, su ciò che la conduce al suo fine; ed anche esigere *dai suoi* colla coazione ciò che le è dovuto, purchè questa coazione ella usi senza offendere le leggi dello stato infedele ove or la suppongo.

Che se molti stati a lei socialmente aderiscono, dichiarando di voler *farne parte*, perderà Ella *in questi* i dritti che avea negli stati infedeli? Sarebbe assurdo il dirlo. E nell' aggregar queste *parti* al suo *Tutto-Cattolico* non è ella obbligata ad ordinarle verso il fine comune? è evidente. E le *parti* aggregate spontaneamente non debbono lasciarvisi ordinare? chi nol vede? Dunque uno stato cattolico dee ricevere dalla Chiesa gli ordini di cristiana fede ed onestà, nè può ammetter leggi che a questa si oppongono.

Gli stati aggregati alla Chiesa hanno unità di mente, di leggi, di contatto epperò di interessi temporali: dunque formano una etnarchia (1361-1444), che sussiste perchè sussiste la Chiesa. Questa etnarchia ha un' autorità e poichè gli etnarchi sono fra loro uguali, l' autorità *per sè* vi è *comune*. L'autorità dee proteggere le basi della costituzione sociale (1438): dunque dee proteggere la Chiesa. Proteggere la Chiesa vuol dire proteggere la fede che ella insegna, l' onestà che ella comanda, i mezzi che ella adopera: dunque alla Chiesa tocca il guidare in tal materia, l'operare etnarchico. La Chiesa dunque, senza esser società temporale, avrà dritto a regolare in ordine allo spirituale questa temporal società, detta volgarmente la cristianità.

Questa non potrà fra genti infedeli usare la forza per indurle a convertirsi: ma se dagli infedeli venga o nei proprî territorî o negli associati, o nei principî sociali, ingiustamente assalita, potrà difendersi al par di ogni altra società temporale, ed avrà in tal difesa tutti i dritti di giusta guerra.

Ecco in breve le conseguenze che nascono spontaneamente dal *fatto* con cui molti individui o stati, riconoscendo che un Dio parlò, promettono secondo lor debito di seguirne le voci, parlate dalla Chiesa infallibil maestra. Se tali conseguenze furono logicamente dedotte, il cattolico persuaso del *fatto* non può negarle; il politico tollerante, se permette di credere il fatto, dee permetterci di adottarne le conseguenze; il filosofo se vuol negarle dee dimostrarci la falsità del fatto: nè nulla varrebbe lo schiamazzare contro *le pretenzioni, le esagerazioni, l'oscurantismo, il fanatismo* ec. La dottrina da noi stabilita parte da principî naturali ed evidenti, e da fatti semplici e notorî, cammina in coerenza perfetta per ogni sua parte, tende ad affrancar saviamente i sovrani dal timore, i popoli dalla oppressione. Che cosa potrà in essa offendere una mente illuminate ed un cuor retto?

ex improvviso instat *scandali* i. e. caedis, seditionis et huiusmodi, ius naturale dictat ut occurratur ad impediendum illico incontinenti ad amovendum periculum : amoto autem periculo, causae iudicium relinquatur competenti iudici qui profecto quoad res et personas ecclesiasticas ecclesiasticus esse debet. Qui iudex eccl.us cum sit inferior, emendatur a superiore usque ad supremum per appellationem perveniendo intra fines tribunalium ecclesiasticorum i. e. Papam a quo numquam appellare licet ad alium, quia his in terris superiorem non habet. *Cf. Bull. Vnam sanctam de Maior. et obed. inter Extravag. comm.*

5. *Obiec.* Canones saepe legibus confirmati fuerunt adeoque Principes propriarum legum perinde ac canonum infractionem ulcisci debent. — *Resp.* Si res talis sit ut partim canonibus partim legibus regi debeat unaquaeque potestas iure suo libere utatur. At si leges in adiutorium tantum canonum invocatae sunt, violatur ius principis societatis qualis est Ecclesia, si quae adiutrices venerunt, quales sunt omnes leges societatis civilis (Eccl. iudicibus natura sua subordinatae) non servire Eccl.ae sed dominari velint (1).

---

(1) Imparando il popolo a disprezzar l' autorità della chiesa, impara a disprezzar l'' autorità temporale cui non rimane *che la forza* (mezzo incapace e non durevole) per comandar il rispetto ». Solaro della Margar. Avvedim. politici c. 19, n. 1.

Sonovi governi che vantansi devoti alla Chiesa perchè riconoscono la Gerarchia ecclesiastica concedono che si edifichino templi, e permettono magnifiche funzioni di culto esterno; tutto ciò non è che una parte de' doveri di un governo cattolico, nè ben li adempie in questo neppure, *ove la sua azione sente del dominatore che del protettore.* Il suo primo e principal dovere è di avere per la S. Sede quell' ossequio cui essa ha diritto, e tale ossequio non si spiega in melliflue dichiarazioni, ma nelle lealtà dei rapporti, riconoscendone la giurisdizione in quanto tocca allo spirituale, non alterandone la disciplina, non pretendendosi dalla medesima indipendente » ivi n. 2.

Il Papa riconosce tutti i Sovrani nelle cose temporali da lui indipendenti; è ben panico il timore che si arroghi un diritto che non potrebbe far valere. Questo timore non v' è chi l' abbia; si finge per attaccar la S. Sede nella sua autorità spirituale, per demolirla ove fosse possibile. Lo spirito irreligioso e sofistico è autore di tutte le contese colla Chiesa Romana, di tutte le ingiustizie e delle violenze che a danni suoi si sono commesse » Solaro ivi.

Ben lungi dal doversi adesso temere gli eccessi dell' autorità spirituale si deve piuttosto temere che i Papi manchino della forza necessaria per reggere l' immenso peso che è loro imposto. Il Sommo Pontefice sa ciò che deve all'autorità temporale, la quale non avrà mai difensore più intrepido e più possente di lui » Conte de Maistre. du Pape, libr. III. Conclus.

« La Chiesa fu sempre madre vera non solo de' Fedeli ma propriamente delle nazioni . . . La Chiesa fondò le Sovranità europee sul diritto del giusto e dell' onesto; essa pugnò per secoli co' suoi Gregori ed Innocenzi per bandir da' Troni la lussuria, l' usurpazione, la crudeltà. Ella diede alla Sovranità l'autorità morale del diritto, la più bella gemma degli scettri che, pria di ferro, per lei divennero d'oro » Avogadro della Motta. Saggio sul Socialis. Concl. del lib.

6. *Obiec.* Ius naturale iniuriam a se atque ab aliis arcere permittit: sed in abusu potestatis eccl.ae semper est iniuria damnati e. g. suspensi ex informata conscientia . . . *Resp.* Ex iure naturali licet manifestam iniuriam et a se et ab aliis amovere confugiendo ad iudices et rectores a Deo constitutos non autem auctoritate privata vel extranea praesertim dum non desunt viae ordinariae et rectae.

7. *Obiec.* Suspensiones ex informata conscientia fiunt non servatis solemnitatibus iuris. — *Resp.* Solemnitates iuris positivi sunt, et sicut princeps supremus in societate perfecta potest procedere sine solemnitatibus iuris positivi, ita potest committere alteri ut ita procedat. Sed Rom. Pfex est supremus Princeps, qui in Conc. Trid. hanc facultatem fecit Epis ut possent procedere ex informata conscientia. E. Insuper ab Epo procedente ex informata conscientia appellari semper potest ad Rom. Pficem.

Quod si agatur de sententia lata a Rom. Pfice utpote a tribunali inappellabili, semper adest supplicatio et eiusmodi remedia, de quibus in tit. de appellation.

8. *Obiec.* Ipsa natura dictat defensionem cum moderamine inculpatae tutelae: sed pluribus in casibus aliud medium non suppetit defendendi iura, libertatem, famam, bona . . . laesa per sententiam iudicis eccl.ci. E. *Resp.* Natura dictat defensionem per media licita non per illicita et invalida qualis est recursus ad principes saeculares qui nulla gaudent unquam potestate quoad causas et personas eccl.as appellatio enim natura sua supponit *iudices ad quem* esse superiores iudice a quo appellatur.

Cf. Charlas l. c. lib VI per totum — Cavagnis Ius Eccl. publ. part. 1, l. 2, c. 3.

§. 3.º DE EPISCOPIS.

« Ita Xus Dnus ordinavit Ecclesiam suam ut Epos constituerit proprie dictos ac perfectos Pastores Rom. Pontifici subiectos ».

N. 41.

Quod praeter Rom. Pficem alii huic subordinati praefecti et Pastores in Ecclesia essent qui potestate legifera, iudiciaria, coactiva gauderent quoad partem saltem totius gregis Xi D. constat ex institutione Apostolorum facta a X. D. (Luc. VI, 13; Mth. 18, 18; Ioan. 20, 22) ac promissione perennitatis eorum ministeri Mth. 28, 20, voluisse nempe X.um ut praeter unum Petrum eiusque successores essent alii potestatem habentes regendi, docendi, sanctificandi, quae potestas perpetuo in alios propagaretur: Nam in cc. ll. et aliis Evang. patet a) vocatio ad apostolatum *elegit 12 ex ipsis quos et apostolos nominavit* b) potestas tradita ligandi et solvendi quaecumque c) auctoritas docendi nomine Christi. Qui vos audit me audit d) missio regenerandi et salvandi eos qui per ipsos Apostolos crediturí sunt in Christum. euntes docete omnes gentes. *Euntes in mundum universum praedicate evang. omni creaturae.* Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur e) s. ordinatio et facultas ordinandi et consecrandi

f) Indefectibilitas eorum omnium donorum ac charismatum usque ad consumationem saeculi. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem saeculi. Porro vi huius institutionis qua statuitur non solum Petrum sed et alios, qui eius fratres dicuntur, debere obtinere in Ecclesia potestatem, idque in perpetuum, patet constitui plures debere esse qui cum Petro et sub Petro hac potestate potiantur: non potestate extraordinaria Apostolis tributa, de qua infra; perpetuum enim est quod est ordinarium· ordinaria autem potestas ea censenda quae verbis Christi ad Apostolos directis exprimitur et quibus institutio Ecclesiae continetur: oportet autem Christum instituentem Eccl. exhibere eam formam quae in illa deberet esse ordinaria. Sed verba directa Apostolis dicunt potestatem ligandi et solvendi quaecumque. ad Ephes. IV, 11, 12. Deus dedit quosdam quidam Apostolos.... quosdam autem Pastores et Doctores ad consummationem ss. in opus ministerii in aedificationem Corporis X.i unde actio eorum qui enumerantur non modo virtute sed exercitio perduret (in opus ministeri) quoad usque consummandi sunt sancti et Corpus X.i est aedificandum. Sed, ut iam supra innuimus, si X.us voluit esse in Eccl. aliquos Pastores, certe voluit eos, quos idoneos instituit ad hoc ministerium perfecte exequendum: sed soli Episcopi ob potestatem Ordinis, quae de iure divino est, sunt subiectum idoneum ad regendam perfecte Ecclesiam, atque non solum filios sed et patres gignere valent: oportet enim Rectorem Eccl.ae eum esse qui creare in ipsa ministros valeat, a quibus functiones eccl.ci muneris exerceantur, quique Ecclesiam perennare possit.

Teste Apostolo Act. 20, 28, Episcopi positi sunt a Sp. S. regere Ecclesiam Dei, sed his saltem verbis significatur ordinatio divina ut Episcopi regant Ecclesiam.

Idem constat ex traditione cuius testis instar omnium sit S. Ignat. M. in suis pulcherr. epistolis ad Smyn. Magn. Trall.. . Ad Ephes n. 3. Cum caritas non sinat me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere ut uniamini in sententia. Etenim Iesus Christus inseparabilis nostra vita, sententia Patris est ut et Episcopi per tractus terrae constituti in sententia I. X. sunt: ubi praesertim affirmat a) unitos esse cum Episcopo idem esse ae uniri in sententia Patris et I. X. sc. I. X. sententia et mens Patris Episcopos constituit b) Episcopos esse constitutos per tractus terrae. Et ad *Trall.* n. 3 asserit. S. Hierarchiam Episcopo, presbyteris et diaconis constare, ad ipsam intimam compagem structuramque Ecclesiae pertinere ac proin id commune omnibus Ecclesiis, non proprium Asiae Ecclesiis. Ad Ephes. n. 6. Quemcumque pater familias mittit ad gubernandam familiam suam hunc ita accipere debemus ut illum ipsum qui mittit. Manifestum igitur est quod Episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum. Ad Trallian. n. 3. sine his diaconis, Episcopo, Ecclesiam non vocari sc. esse nequit.

Quae profecto testimonia si perpendantur sicut et alia cum scribit ad Asiae Ecclesias et inculcat semper ut ordini hierarchico reverentia et subiectio debeatur, ac praecipue Episcopo ut presbyterium cooptari debeat Episcopo sicut cordae citharae secundum I. X. vivere qui subiectus est Episcopo ut Iesu X. — oportet subiectos esse Episcopo ut Dei mandato ad Trall. — ubi pastor (Episcopus) est eodem et oves sequi oportere: bonos esse sacerdotes, praestantius autem quid esse summum sacerdotem cui credita sunt sancta sanctorum (Ad

Philadelph.) Omnes Episcopum sequantur ut I. X. Patrem, et Presbyterium ut Apostolos — Non licere sine Episcopo baptizare aut agapen celebrare, et quodcumque ille probaverit hoc esse Dei beneplacitum, honorari a Deo qui honorat Episcopum, et diabolo obsequium praestare qui clam Episcopo aliquid agit — sc. si dico rite haec et huiusmodi perpendantur testimonia, sententia Ignatii M. liquet 1. esse in Ecclesia Christi, hierarchiam triplici gradu constantem epatu, presbyteratu, diaconatu 2.° non recentius invectam, sed ab ipsa aetate apostolica profectam 3.° ubique obtinentem et 4.° pertinentem ad ipsam Eccl. constitutionem. Quod si Ignatius in singulis Ecclesiis proprium Episcopum agnoscit et textatur ad Ephes. 3. « quod Episcopi per terrae terminos definiti ex I. X. sunt sententia » idem testatur Clemens 1.° ad Corynth. n. 42. quod Apostoli missi a X.° eiusque acceptis mandatis praedicantes per regiones ac urbes, primitias eorum in Episcopos et Diaconos constituerunt Neque praetereundus est S. Bernard. qui de Cons. 1. 3. c. 4. ad Eugen, Erras (aiebat) si ut summam ita et solam institutam a Deo vestram apostolicam potestatem existimas.

Perspicua ss. ss. testimonia ostendunt quod Apostoli quosdam Ecclesiis praefecisse eadem pollentes auctoritate regendi, quibus ipsi quos Petrus Ap. suos συμπρεσβυτερους vocat: Hi vero sibi alios suffecerunt ita ut nunquam Episcopi defecerint SS. PP. saec. II et III quos inter Irenaeus ab Apostolis Episcoporum deinceps successionem luce meridiana clariorem affirmat (adver. haer I, 3). Unde praeterquam quod ex testimoniis SS. Script relatis, consequitur divina Episcoporum origo: Nam cum Ecclesia perpetua esse debeat, atque Apostoli non aliter perpetuarunt Eccl,m quam per viam successionis Episcoporum ab Apostolis, haec successio a X.o Domino repetenda est. Quin *imo Spiritum Sanctum posuisse Episcopos regere Eccl. Dei testantur Act. 20, 28.* Et Trid. Conc. universam referens traditionem ait « *Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad Hierarchicum ordinem praecipue pertinere et positos esse a Sp. S. regere Eccl. Dei* » sess. XXIII, c. 4. — Uberius argum, ex tradit. cf. penes. Card. Segna cit. op. *de Constitutione Ecclesiae* praesertim p. II, n. 8, deinceps ubi Apostoli missionem ipsis collatam aliis crediderunt quos in suum locum (scil. episcopatus munus) subrogarunt. Item ex traditione Patrum (probat): Clemente Romano, Chrysostomo, Augustino, Hieronymo, Epiphanio. Item ex Patribus dum vocant Episcopos successores Apostolorum: S. Irenaeus. Tertullianus — Auctor *philosophumenon* S. Cyprianus; Firmilianus; Concil. Chartaginense; Eusebius Caesareensis; S. Hieronym. S. Gregorius M.; S. Isidorus Hispalensis — Item ex Patribus quae Episcopos a Deo electos et constitutos affirmant. S. Ignatius Martyr: S. Cyprianus... S. Basilius — Item qui affirmant veram Christi Ecclesiam esse solum qui per Eporum successiones originem ab Apostolis ducat S. Cyprianus: S. Augustinus, alii — Item qui inde inferunt Ecclesiam in Epis fundamentum habere. S. Ignatius Martyr., S. Cyprianus, S. Hieronymus — Item qui affirmant absque episcoporum ab Apostoli successione Ecclesiam Christi nullatenus consistere posse, et exinde vicissim haereticorum sectas veram Christi Ecclesiam non constituere S. Cyprianus; Tertullianus; S. Optatus Milevitanus; S. Pacianus; S. Hieronymus — Item qui affirmant si interrupta esset universa successio episcoporum Ecclesia ipsa funditus periisset ut absque nova missione a Deo instaurari nullatenus posset S. August, S. Hieronym. Tertullianus S. Optatus Milevitanus; S. Pacianus

Idem Emus praesertim c. VIII et seqq. praeclare ostendit thesim quam sibi demonstrandam proponit tota 2ª parte operis scil. *Ecclesia inde ab initio ita constituta est ut potestas eam regendi et administrandi penes Episcopos esset:* quam c. IX *probat argumentis, indirectis* scil. ex sensu unanimi Patrum abhorrentium a variatione qualibet sive in fidei doctrina, sive in disciplinae capitibus quae cum illa necterentur — nominatim in iis, quae Ecclesiae statum et constitutionem spectabant — Item ex veteribus sacramentariis et damnatione haereseos Arianae — In C. X. prob. ex directis testimoniis. Eusebius Caesareensis; S Cyprianus, Presbyteri Ecclesiae Romanae; Clemens Alexand; Tertullianus; veteres Ecclesiasticae disciplinae libri; S. Serapion Antiochenus; Auctor *philosophumenon*: Caius Presbyter: auctor fragmenti muratoriani; S. Polycrates — S. Irenaeus et Ecclesia Lugdunens — Hegesippus; S. Dionysius Episcopus Corinthiorum; S. Polycarpus; S. Ignatius M. Eius auctoritas in hac controversia. Is docet 1º Hierarchiam Ecclesiae constare Episcopo singulari, preshyteris, et diaconis illi subiectis · 2º Tres hos hierarchicos gradus in Ecclesia *iamdiu* constitutos: 3º Idque in universa Ecclesia tamquam ad intimam eius constitutionem pertinent — Deinde sermonem habet c. XI de Apocalypsi, cuius capp. II et III exhibentur, ait, septem Ecclesiis Asiae singuli praepositi Episcopi — In cap. XVIII prob. ex Clemente Romano et ex S. Script. ubi Clemens docet esse in Eccl. S. Hierarchiam divinitus institutam — item tres in eadem esse distinctos gradus. — In script. N. T. sive proprio sive latiori sensu nomen Episcopus sumatur, triplex item exhibetur S. Hierarchiae gradus. Tandem capp. seqq. sermonem habet de Pastore Hermae — de Hiernym ex quo petitas obiectiones solvit etc. etc.

N. 42

II. — EPISCOPORUM AUTEM MUNUS ATQUE INSTITUTIO EO TENDIT UT PRAETER ROM. PONTIFICEM QUI SOLUS TOTAM ECCLESIAM ADMINISTRARE NON POSSET, ALII QUOQUE PRAESTO SINT, a) QUI IN PARTEM EIUS SOLLICITUDINIS VOCENTUR, b) QUIQUE SINT HABILES AD FIDELES SIBI CREDITOS PERFECTE REGENDOS, c) EAMDEM QUE OB RATIONEM AD SUPREMUM HIERARCHIAE ORDINIS GRADUM SINT EVECTI.

Cum unus R. Pontifex universam physice non posset gubernare Eccles. necesse erat alios constituere principes et pastores licet subordinatos Pontifici; quod X.us Dominus ut modo vidimus accuratissime praestitit. Ast Episcopos *singulos* assumit Dominus non ad gubernandam univ. Eccl. etsi collective sumpti una cum Rom. Pontifice universam regant X.i Eccl.; episcopatus enim unus est cuius a singulis in solidum pars tenetur: *sed in partem sollicitudinis* vocantur seu singuli portionibus, quas dioeceses vocant, praeficiuntur. Plures adhuc PP. sunt qui idem ingeminant e. g. S. Gregor. in c. Decreto nostro Can. 2a q. 1. *Sancta Romana Ecclesia ita vices suas aliis impertivit Ecclesiis, ut in partem sint vocati sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis;* et in c. seq. Iulius Papa. Ipsa namque, ait Ecclesia, quae prima est ita reliquis Ecclesiis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Et Leo Papa in ep. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem inquit Vices enim nostras ita tuae credimus charitati ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Et re quidem vera catholicus conceptus ipsam divinam repraesentans institutionem, exhibet ut (uno excepto Papa) nequeant singuli quoslibet fideles aut universam regere Ecclesiam, sed ad certam tantum portionem iure divino sint designati. Nam Tit. 1, 5, 7, qui iubetur a Paulo ut constituat per singulas civitates presbyteros... 1. Epist Petri c. 5. ubi Apostolus monet Epos ut *pascant gregem qui in ipsis est.*

« Discrimen, ait Franzelin l. c. in eo obtinet maximum, quod Apostoli singuli non modo in singulis Ecclesiis sed in Eclesiis omnibus, in universa Ecclesia potestatem habent « ad obediendum fidei in omnibus gentibus » (Rom. I. 5, 13 seq.; Acta Apost. IX. 15; 1. Cor. VII. 17); successores autem singuli in singulis dumtaxat Ecclesiis constituuntur Episcopi. In Apostolis igitur universalis potestas apostolatus includebat quidem potestatem episcopatus particularis; sed potestas apostolatus *quatenus universalis* residebat in Apostolis eratque extraordinaria, non propaganda (quod ex ipsa institutione longe diversum erat in Petro ut in Capite perenni Ecclesiae perennis thes. XI), sola vero potestas episcopatus intelligitur perpetuo duratura et ideo ordinaria. Paulus et Barnabas (in 1.ª sua missione per Asiam) « constituerunt (illis manuum impositione) *per singulas Ecclesias* presbyteros. Act. XIV. 23 » Reliqui te (Titum) Cretae, ut... constituas (*per singulas*) *civitates* (κατα πολιν) *presbyteros* sicut et ego disposui tibi ... Oportet enim *Episcopum* sine crimine esse ».. Tit. I 5. 7. Hinc tum Petrus tum Paulus diserte restringunt potestatem singulorum episcoporum ad illum particularem gregem, qui ipsis est commissus. « Pascite *qui in vobis est gregem Dei* providentes » et Petri. V. 2. « Attendite vobis *et universo gregi in quo vos posuit Spiritus S.* Episcopos regere Ecclesiam Dei » Act. XX. 28.

Simgulos Episcopos singulis Ecclesiis fuisse ab Apostolis ordinatos certissime praeterea constat ex Apocalipsi. « Septem stellae Angeli sunt septem Ecclesiarum « Apoc. I. 20 Numerantur deinde angelus Ephesi, Smyrnae, Pergami Thyatirae, Sardium, Philadelphiae, Laodiciae. Ipsis attribuuntur tum bona tum mala opera quae patrantur in Ecclesiis eorum curae commissis, utpote qui vigilant tamquam rationem Deo pro animabus reddituri. Singulorum est in singulis Ecclesiis tenere et servare, quae acceperant ab Apostolis III. 3; examinare, damnare et arcere doctrinas contrarias et falsos doctores II 2. 14, 15, 20; vigilare confirmare, exigere subiectionem III 2, 9.

Ex ipsis scripturis N. T. constat praeter unum illum singularum Ecclesiarum Episcopum seu presbyterum fuisse plures sacrorum Ministros in iisdem Ecclesiis, non modo diaconos evidenter diversi ordinis ac subordinatos Episcopis (Act. VI 5, 6, 9; VIII 5, 12, 38 Phil, 1; Timot. III. 8, 12); sed etiam alios presbyteros appellat si hoc nomine quidem communicum illo, qui positus erat regere totam Ecclesiam (particularem) et pascere totum illum gregem Dei, cui proinde regendi et pascendi suberant etiam ii nominati presbyteri (cf. I Tim. V. 19); imo constat plures fuisse huiusmodi presbyteros in Ecclesiis, quae personaliter et immediate ab ipsis Apostolis regebantur (Act. XI. 30; XV 2, 4, seq; XVI 4; XXI 18; Iacob. V. 14). Habemus igitur iam in ipsis scripturis sufficienti indicio designatos duos ministrorum ordines, diaconos et presbyteros, ipsos quoque cum universo grege regendos ac pascendos ab ordine supremo episcoporum, qui soli in potestate magisterii et regiminis successores sunt Apostolorum. »

Hanc veritatem fidei « esse Episcopos constitutos iure divino ad regendam Ecclesiam Dei praefectos singulis portionibus gregis Christi non universo » praeter ea quae attulimus iam, traditio PP. et historia universa evidentiorem facit ita ut nemo mirari, imo irasci numquam desinet in Lipsium aliosque eiusdem furfuris protestantes, qui pronuntiare audent ceu extra omnem aleam iam positum quod episcopale regimen, praesertim in Ecclesia Romana invectum inde fuerit quod praesides Collegiorum presbyteralium pededentim primas sibi partes usurpaverint Contra Lipsium argumentum hoc ex traditione et historia operosius esset exponendum: sed ut brevitati consulamus, remettimus ceu ad uberiora pascua ad cit. opus egregium Emi Card. Segna qui scil. praecise contra dictum Lipsium data opera agit, cui titulus. *De Ecclesia Christi Constit. el regim.:* quod opus maximo pretio habendum existimo, quodque ab omnibus tironibus theologiae et iuris Can. acri studio perpendendum puto.

Ex quibus sequitur ipsos cum officio etiam nomen *pastoris* proprie dicti, atque etiam qualitates consequuntur, quibus valeant suum perfecte pascere gregem seu regere efficaciter in ordine ad vitam aeternam- Vnde ad supremum Hierarchiae ordinis gradum debent esse evecti: secus non possent pascere gregem pabulo sacramentorum omnium hinc subiungit Tarq. « adeoque ea potestate instructi sint, qua *in genere* habiles facti fuerint ad omnia media, quae ad finem necessaria sint, administranda ».

Quae generatim in iure publico de Epis. asseruntur, ea referri possunt ad haec distincta capita 1.m ad naturam ordinis episcopalis; 2.m ad eorum potestatem ordinis: 3.m ad eorum potestatem iurisdictionis: 4.m spectat relationem potestatis iurisdictionis ad Roman. Pficem quoad exercitium: 5.m spectat eamdem relationem quoad originem.

I. Quod spectat ad NATURAM ORDINIS EPALIS, talis est ut Epi sint veri principes et proprie dicti *pastores*, sed Rom. Pfici subiecti, pascendi proinde et ipsi ab uno Rom. Pfice « *Pasces oves meas*: atque adeo non sunt Vicarii, sed potestate gaudent ordinaria uti pastores proprio nomine officium suum exercentes primario, proprium gregem pascentes. De Episcopis profecto dicitur « *Attendite vabis et universo gregi in quo vos Spiritus S. posuit Epos regere Ecclesiam Dei.* » Ergo sunt veri Pastores eesentiales Ecclesiae ex X. institutione quamvis Petro subiecti pertinentes ad supremum gradum Hierarchiae ordinis vi cuius redduntur habiles ad fideles postea sibi creditos regendos: hinc eorum potestas est ordinaria et iurisdictio proprie dicta ad publicum regimen.

II. In specie autem QUOAD POTESTATEM ORDINIS ut omnia sacramenta conferre valeant, potissimum autem et iure sui ordinis proprio Ordinem et Confirmationem: atque hanc quidem *iure ordinario,* illum si de hierarchicis gradibus res sit, *iure absoluto* exclusivo, si de ceteris (infra 9 VI) item ordinario iure. » Haec omnia patent in tract. De Ord; et in iure can. ubi de potestate ordinis et modis quibus haec acquiratur.

N. 43.

III. QUOAD POTESTATEM IURISDICTIONIS IN EPISCOPIS duo distinguenda sunt I. quid ipsi valeant in efficaciter subditis regendis a) quoad intellectus directionem b) quoad directionem voluntatis.

Et primo quidem quoad directionem intellectus ita se habent UT SINT IUDICES FIDEI ET DOCTRINAE MORUM, ITA TAMEN UT INFALLIBILITATIS DONUM CONIUNCTIM I. E. SIMUL CONGREGATI EATENUS HABENT QUATENUS CUM ROM. PONTIFICE CONSENTIUNT, SINGULI AUTEM NULLO MODO, ADEOQUE IN REBUS DUBIIS AD EUMDEM ROM. PFICEM, QUI ET INFALLIBILIS ET CENTRUM UNITATIS EST CAUSAM REMITTERE DEBEANT.

Ipsi enim Epi ut successores apostolorum docent et instruunt fideles auctoritate propria quoad certam partem gregis, in sua dioecesi, extensa per Pficem Rom. ad universam Eccl si docent, definiant, iudicent, legem ferant in Oecum. Concil,: ipsis quoque est auctoritas sicut et obligatio custodiendi, vindicandi et docendi fidem utique sub Rom. Pfice. — Sunt infallibiles Doctores in Concilio vel extra semper tamen coniuncti cum R. Pfice quando sc. cum hoc constituunt Ecclesiam docentem, supremum magisterium, Pastorum coetum qui non separatim singuli sed omnes una fide et caritate in uno capite et centro coniuncti unam, universalem Ecclesiam conficiunt. His enim omnibus per collegium Apostolorum repraesentatis dictum est « *Qnaecumque alligaveritis quaecumque solveritis.. erunt ecc.* « ipsi in persona apostolorum saltem quoad doctrinam fundamenta ecclesiae sunt.. Sunt enim in SS. Literis et traditione dicti pastores simul et Doctores. Ad rem· Franzel. de Tradit. Th. XXV. n. 1. Porro in deposito fidei possunt contineri et continentur veritates quae sunt implicitae in aliis, quae aliquo tempore sunt adhuc obscurius et minus diserte propositae; unde de iis intra ipsos fines Ecclesiae possunt oriri controversiae et possunt eaedem ab aliquibus in dubium revocari. Praeterea etiam dogmata, quae iam clare proposita sunt, possunt ab errantibus vel ab haereticis praepostere intelligi et perverti ad sensum alienum sub multiplici forma erroris. Atqui ortis huiusmodi controversiis et imminentibus erroribus vera intelligentia doctrinae et integritas depositi infallibiliter conservari, et pro fine, quem Deus revelationi praestituit, rite proponi nequit, nisi *custodes fidei* simul sint *infallibiles fidei Doctores.* In hoc ipso enim posita est vera ratio et functio doctoratus authentici, de quo agimus, ut quae erant in deposito implicita, exhibeant iam explicita; ut quae erant ambigua et minus diserta, necdum satis proposita, secundum verum sensum definiant, et expressius proponent; ut quae in alienum sensum sub diversis errorum formis detorquentur, definitis veris conceptibus ut statutis verborum formulis adversus errores defendant. Non possunt ergo intelligi divinitus instituti custodes depositi quin eo ipso iidem intelligantur divinitus instituti *Infallibiles Doctores* quia custodia depositi exercetur et perficitur ipsis functionibus doctoratus authentici adeo ut munus hoc duplex custodum et doctorum fidei distingui quidem, non tamen subiecto et functione separari queat. Hinc Paul. Eph. IV. 11. coniungit charisma pastorum et doctorum. Ipse (X) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et Doctores. Hunc sensum Apostoli egregie doclararunt St. Hieron in. h. l. Nec vero putandum quod sicut in superioribus tribus alios dixit esse Apostolos, alios Prophetas alios Evangelistas; ita et in pastoribus et magistris officia diversa posuerit. Non enim ait, alios autem pastores, et alios magistros, sed alios pastores et doctores, ut qui pastor est, esse debeat et magister — Augustin. ep. 149 n. 11 alii 39 ad Paulinum).·

Nullo modo sunt infallibiles sine Rom. Pfice etsi omnes Epi simul seor-

sim tamen a Rom. Pfice cogerentur in quandam synodum: sententia enim definitiva, irreformabilis vel ab uno Rom. Pfice ex cathedra loquente est, vel a vero oecumenico concilio. Cf. Inst. can. de concil. Oecum.

« *Quoad directionem voluntatis veri perfectique imperî iura habent.*

Perfectum imperium in suas continet potestatem legiferam, iudiciariam, coactivam in ordine ad finem Eccl. ad quem efficaciter Epus dirigere suos debet. Porro ad hoc obtinendum duplex datur iurisdictionis potestas, quarum altera est fori interioris seu poenitentialis, altera fori exterioris. Iamvero a) competit Epis illa prior in subditos quia illa est intrinsecus et quasi ex natura rei cum episcopali munere coniuncta. Non solum enim, ut ait Suarez (in 3 p. t. IV, disp. XXV, sect. n. 9) ius divinum positivum sed etiam naturale (quantum in hac materia esse potest) dictat ut qui constituitur Epus iurisdictionem hanc ordinariam habeat in eos quorum fit Epus, quia talis iurisd. est de intrinseca ratione huius muneris. Est enim Epus vi sui officii pastor animarum et gubernator in spiritualibus et magis in iis quae spectant internum animae bonum quam externum. E.

Altera iurisdictio et ipsa intrinsecus cum epali officio coniuncta spectat forum exterius e. g. potestas legifera, tribunal erigendi in eoque ius dicendi, censurarum auctoritas et cetera id genus quibus exterius Ecclesiae regimen continetur: imo et usus interioris iurisd. ab hac exteriori pendet.

N. 44.

IV. Ast *in relatione ad Rom. Pficem spectemus*, ut videatur quibus coarctetur *limitibus*, quibus non, epalis iurisdictio. Episcoporum potestas est non universalis sed coarctata quibusdam limitibus. Et generatim *extensive* quoad subditos patet quia ipsi adsignatur non totus grex pascendus sed portio gregis: cf. dicta supra, et *S. Bern. ad Eng. III de consid. l. II c. 9.* Tu es potestate Petrus; tu es, cui claves traditae sint. Sunt quidem et alii Caeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen haereditasti. Habent illi sibi adsignatos greges singulis singulos: tibi universi crediti uni unus: nec modo ovium sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probo, quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas? illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? *Oves meas,* inquit. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Ergo iuxta canones tuos alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. *Aliorum potestas certis arctatus limitibus*, tua extenditur et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt ».

At in specie etiam quoad fideles propriis pascuis adsignatos intensive quid *in specie* possint, qoid non, inquirendum est.

Itaque ad accuratiorem notionem iurisd. in Epis exhibendam, quamvis rectae notionis demonstratio alium in locum remittatur, iuvabit hanc potestatem spectare 1. quoad exercitium, 2. quoad ipsam originem.

Exercitium si spectetur, recte exhibet Tarq. Epos ut totam potestatem nunc dictam nonnisi dependenter a Rom. Pfice exercere debeant ita

UT EIUSDEM SIT NON MODO LOCA DETERMINARE IN QUIBUS ILLAM EXERCEANT VERUM ETIAM EAMDEM ET SUSPENDERE ET RESTRINGERE ET SI NECESSARIUM VISUM FUERIT, ALIO SUBMISSO PASTORE, ETIAM INHIBERE.

Ex Xi enim institutione patet epalem iurisdictionem, tota quanta est a) pendere a Romano Pontifice quoad *gregem ipsum* pascendum ac proinde quoad *locum* b) quoad *tempus* proindeque obnoxiam suspensioni; vel etiam si opus, sit *cessationi*. Pius VII occasione Concordati an. 1801 c) quoad *actus* proindeque restringi posse etc... Id enim per se solum requiritur ut Epus sit verus Pastor, non vicarius, habeat ordinariam, non delegatam potestatem. Hinc iure potuit R. Pfex plura ad se revocare quae prius Eporum iurisdictioni subiacebant.

Dixi quoad *locum* et *amplitudinem* dioeceseos. Nam a) qui iure divino pastor est supremus, universalis et immediatus Eccl. is eodem iure potestatem habet et officium praeficiendi singulis portionibus gregis praepositos qui vocantur in partem sollicitudinis; nec nisi eo consentiente possunt alii sibi assumere pascendos eos qui iam illius subditi immediati sunt, ne audiant R. Pcem eis dicentem « Quid in meo agitis non mei? Sed qui ius habent praeficiendi pastores Ecclesiis, is pariter habet eligendi ad talem locum... eliguntur enim tantummodo ut praeficiantur — b) Et magis directe. Ex Evangelio nil aliud habemus nisi Ecclesiam universam S. Petro esse commissam Io. c. ult, ergo ad illum pertinet providere christianis his vel illis de iis qui curam eorum gerant: sed iterum eliguntur solum ut praeficiantur. e.

Dixi *quoad tempus*: fieri enim potest, ut alias rationes mittam ut pastor in lupum convertatur ut saepius accidit, vel quod plebs nullatenus pastori misso morem gereret: ergo tunc non aliud erat medium, nisi suspendere: aut penitus privare Epum sua iurisdictione. E

Dixi *quoad actus* si enim actus epales impeterent ius commune nullum valorem haberent: ergo. Adde quod plures causae vel ex natura sua, non iam sunt obiectum iurisd. epalis, vel ipse Rom. Pfex e re Ecclesiae universalis vel particul. esse vidit ad se tales actus avocare. Hos praeter relate ad quemlibet posset adhuc restringere et coarctare actus alios: est enim R. Pfex Pastor pastorum atque immediatus superior omnium agnorum et ovium Xi gregis, cum potestate ligandi et solvendi quaecumque. Vni Petro et R. Pfici datae sunt claves ita ut nemo admittatur ad exercitium clavium in Ecclesia nisi volente et *quatenus* permittente eo qui habet claves.

Porro vel ex his falsitatis arguitur Febron. qui incircumscripta Eporum iura sic iactat « Iurisdictio Eporum ex sua natura et institutione respectu suarum dioceseon, illi aitata est talis per plura saecula persistit. » Esto, facultates epales (excepta saltem designatione et adtributione subditorum seu dioecesis in qua exerceantur, quae licet ad actualem saltem iurisdict. omnino necessaria sit referenda est ad institutionem eccles.) esto, inquam facultates epales, cum ipso episcopatu quod fuerint omnes a Xo Dno constitutae, est quod fuerint incircumscriptae prout a Christo prodiere quatenus nullis ipse illarum usum limitibus coarctarit: numne eas Christus D. ita infinitas esse voluerit ut pro temporum rerumque varietate atque Eccl. bono nulli hominum ac ne *romano* quidem *Pontifici* illas quod saltem ad usum spectat et epalis muneris perfunctionem, imminuendi temperandi certaque ratione coercendi potestas esset? — Sed ipse-

met Xus D. limites apposuit cum tantam Petro eiusque successoribus contulerit potestatem, Quanta? Omnes et singuli migistri nostri (ait Sorbonica facultas an 1654). Rom. Pficem uti summum I. Xi Vicarium et universalem Ecclesiae pastorem cui *plenitudo potestatis* a X° data sit et fideliter ac libenter agnoscunt... Sed ante hos sorbon. TTgos Conc. Flor. definierat « *rom. Pfici in b. Petro pascendi, regendi et gbernandi uuiversalem Eccl. a D. N. I. X.* PLENAM POTESTATEM *traditam esse* » Atqui si unus rom. Pontifex a Xo D. *plena hac potestaté* donatus sit, non restat nisi ut Epi in partem dumtaxat *potestatis* et sollicitudinis vocati sint.

Hinc sequitur I. *quid non possint Epi*: patet Eporum iurisd. 1. esse limitatam a) *intrinsece* quoad ea quae requirunt ius dogmaticum vel ad disciplinarem statum totius Eccl. referuntur, aut versantur circa relationem ecclesiarum particularium erga Universitatem vel inter se: b) *extrinsece* per limites dioeceseon a Rno Pfice assignatos.

2. esse dependentem atque a leo in regenda dioecesi nequeunt agere contra Ius commune, neque contra Rom. Pficis reservationes.

Sequitur II. *quid possint* sc. 1o leges particulares sive in sive extra synodum condere, quibus praesertim legum communium finem in sua dioecesi promovere student, ita tamen ut per particulares leges in iis, in quibus Ecclesia uniformitatem exigit e. g. in lithurgia et in causis matrimonialibus eam servare curent. — 2.° Possunt iudicare in 1.a instantia, quoad externum, et quoad internum forum poenitentiarî sunt pro universa dioecesi absolventes a casi bus reservatis, et ipsis permissis. — 3.° possunt punire sontes et exequi omnes Eccl. leges. — 4.o possunt administrare ad normam SS. canonum bona spiritualia temporalia et mixta.

N. 45.

V. QUOAD ORIGINEM POTESTATIS IURISDICTIONIS IN EPIS SIC CONCINNE ET ELEGANTER MORE SUO TARQ. STATUIT « QUOD CONSEQUENS EST, UT IURISDICTIO EPALIS DERIVETUR IN SINGULOS AUCTORITATE SIVE IMMEDIATA SIVE MEDIATA ROM. PFICIS, QUAE DICITUR LEGITIMA MISSIO; NON AUTEM IPSA CONSECRATIONE SEU EPALIS ORDINIS SUSCEPTIONE, QUA TANTUM POTENTIA CONFERTUR SACRAMENTA CONFICIENDI, ET HABILITAS AD GREGEM CHRISTI REGENDUM, NON AUTEM FACULTAS EIUSDEM ET POTENTIAE ET HABILITATIS EXERCENDAE ».

Duplicis illius potestatis ordinis et iurisdictionis qua instructi sunt Epi ut suo munere recte fungantur, *si quaeratur* modus quo adquiratur: *respond*: potestas ordinis per ordinationem seu consecrationem: nil enim aliud est epalis potestas nisi per quam ex divina X.i ordinatione consecratur quispiam ac deputatur ut pastor esse possit animarum, sacramenta conficiendo et administrando. Sed de huius potestatis origine mox et alibi. cf. nostrae Instit. can. tit. VII. lib. De Person.

Potestas iurisd. spectans ad regimen et gubernationem populi unicuique Epo commissi, fit per *legitimam missionem*, per quam singulis certi subditi assignatur: sine qua assignatione iurisdictio, quae nihil est aliud quam potestas in subditos, nulla plane esse potest. Origo seu causa proxima epalis potestatis quaeritur. Absque dubio potestas ordinis et sacer character a Deo im-

mediate est per Sacrae ritum consecrationis: sed non ita asserendum putamus quoad potestatem iurisdictionis:

Itaque quoad originem potestatis iurisd. in singulis Epis veram asserimus sententiam quam prae ceteris propugnavit Laynius Praepos. Gener. Soc. Iesu et Theol. pontificius in Conc. Trid. (Legatur maxime Pallav. Histor. Conc. Trid. l. 18. c. 15) « potestatem iurisdictionis sive mediate sive immediate a R. Pfice in Epos derivari non autem ipsa consecratione seu epalis ordinis susceptione. Ex hac enim habetur habilitas h. e. Epus est in eo coetu, qui divina institutione destinatur ad regendam Ecclesiam et non, sicut reliqui fideles, habere solam possibilitatem. — Sunt qui censent esse immediate a Christo ob argumenta quae probant institutionem divinam ordinis et officii episcopalis in genere, quam immediatam derivationem sic intelligunt ut ea Epis conferatur epali consecratione in actu 1. et quoad exercitium ligata, reducibilis ad actum tunc solum cum R. Pfex subditos designat, et quamvis immediate a Deo procedens semper dependens est a R. Pfice, debitam ei servans subordinationem. Sed hoc effugium, reponimus nos, de veluti iurisdictione radicali accepta in consecratione periculosum est in consectariis maxime; vel enim significat id quod nos dicimus, sed *male*, vel dicit falsum. Iurisdictio est terminus relativus, sunt ergo illi in quos exercetur. Epus electus et confirmatus a R. Pfice habet veram iurisd. ordinariam etsi non sit consecratus; ergo est separabilis a potestate ordinis. Est legitima missio et supponit mittentem qui pro Petro eiusque successoribus est Christus D., pro Epis singulis est R. Pfex.

Inter nostram et adversariorum sent discrimen non verbale tantum sed et reale dici debet Iuxta adversarios qui immediate a X.° in singulos derivant iurisd. non posset R. Pfex absque iusta causa licite et valide iurisd. episcoporum adimere vel coarctare : temperare quidem ac moderari ex iustis causis potest, imo quandoque esse amissam etiam declarare : at directe auferre non potest ideo quia existit in ipsis iure divino. Iuxta nostram sententiam, qua asserimus Epis singulis ab uno R. Pfice conferri ordinariam iurisdictionem (ita ut haec ante Papae collationem vi ordinis nulla sit neque actu, neque habitu sed tantum aptitudo ut iurisd.io ex X.i institutione obtineatur) etsi illicite valide tamen agere Pontifex si deesset iuxta causa.

Penes utriusq. sententiae patronos certum est iurisdictionem epalem a) quoad *aptitudinem* seu ut alii vocant exigentiam esse immediate a Deo, quia pullulat haec ex charactere epali, eique est adnexa; b) quoad *exercitium* pendere omnino a R. Pfice, a quo arctari, amplificari, ac tolli potest (interpretando saltem). Unde discrimen et quaestio est an quoad *actualitatem* potestas haec iurisd. sit immediate a Deo nec ne derivata in singulos Epos. Nos igitur cum communi et fere certa sent. negamus et asserimus quod licet epatus sit immediate a Deo, seu quod Epi regant Ecclesiam, tamen quod hi vel illi regant, iurisdictio sive habitu sive actu considerata, a Vicario X.i immediate derivatur.

Prob. paucis nostra sent. 1. *Ex primatu :* a) definitum est enim quod Summus Pfex non partem potiorem sed totam plenitudinem potestatis eccl.cae obtineat Conc. Vat. *Constit. Pastor aeternus c. 3.* Atqui si tota in uno, opus est ut omnis actus cuiuscumque fidelis qui Ecclesiae subiicitur, dirigatur per hanc

plenam R. Pficis potestatem : sed si in Epis invenitur aliqua potestas, ab ipso non derivata, hoc dici nequit b) Primati Petro dictum est. « Quodcumque solveris, quodcumque... sed haec locutio continet etiam eiusmodi derivationem : X.us enim nullum supremae iurisdictionis actum excludit, imo per se omnem includit: unde limes si quis figendus est, peti debet ex fine Eccl. h. e. illud solum excludatur quod cum tali fine componi nequit : atqui regimen Ecclesiae tantam potestatem in Petro non excludit, divina autem epatus institutio cum hac derivatione componi potest: ergo verba *quodcumque solveris...* et hunc actum includunt.

2. *Ius divinum* habet institutionem fixam, certam et praescriptam e. g. institutio sacramentor. sacrifici, characteris: sed epale munus non habet institutionem fixam et certam quoad territorium, personas, actus... imo tota iurisd.io epalis potest concedi non habentibus characterem.

3. Ex paritate iurisdictionis epalis et presbyteralis. Si enim vi ordinationis exigeretur iurisdictio actualis, et iam presbyter vi ordinationis, potestatem absolvendi a peccatis et quidem quoscumq. haberet; a fortiori, quod non admittitur. Ergo. Nam iurisdictio epalis potest etiam tota conferri non Epo ordinato, e contra iurisdictio actualis absolvendi nonnisi ordinato presbytero conferri potest.

4. Si haberent immed. a X. id esset *vi consecrationis*. Sed hoc importat contradictionem. Nam affirmatur Epum consecratum habere iurisd. et simul affirmatur oportere a Rom. Pfice subditos assignari ut exeat ad actum. Ergo ante assignationem factam a R. Pfice nulli sunt subditi Epo consecrato nullique fideles designari possunt in quos ius Epus habeat : atqui haec contradictoria sunt quia iurisd. sive in habitu sive in actu est quid relativum postulans terminum i. e. subditos.

5. Ex *inaequalitate iurisd.nis* Hanc si Deus conferret Epis vi ordinis, omnes Epi haberent aequalem iurisdictionem sicut habent aequaliter ordinis potestatem. Atqui non omnes Epi habent eamdem sive quoad intensitatem sive quoad extensionem. E. — Clare Innocent. I ep. 29, n. 1 et ep. 30. n. 3 tradit « *A Sede Apostolica ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis huius emersit.*

Ex S. Irenaeo supra cit. et aliis PP. passim Romana Ecclesia in ceteras gaudet vero principatu, est verum caput ceterarum. S. Anacletus *can. sacrosancta distin. 22* dicit quod Apostolica Sedes caput et cardo scil. omnium Ecclesiarum est a Dno, et non ab alio constituta : et sicut cardine ostium regitur, sic huiusmodi sanctae Apostolicae Sedis auctoritate omnes Ecclesiae reguntur disponente Dno. Unde sic omnia membra a capite recipiunt immediate derivationem virtutis sensus, et motus, sive regiminis: sed ex modo dictis Romana Ecclesia est caput ceterorum. Ergo.

Ex PP. testimon. supra etiam antecedent. dissertat. relatis habetur quod Papa sit princeps et Monarcha totius Ecclesiae. Sed in omni principatu et Monarchia potestas iurisdictionis derivatur ad quamcumque personam illius principatus a Monarcha sive principe. Ergo potestas iurisdictionis omnium Praelatorum derivatur a Rom. Pfice.

Ex SS. PP. Rom. Pfex est primus in ordine Praelatorum, et in quo uno residet plenitudo Ecclesiasticae potestatis sed in unoquoque ordine ab eo in quo maxime residet plenitudo potestatis, originaliter dependet virtus omnium

sequentium in illo ordine ergo sequitur quod potestas omnium sequentium Praelatorum Ecclesiae dependet et derivetur ab ipso R. Pfice.

Est autem haec doctrina communis penes Theologos scholasticos, ex quibus S. Thomam et Suaretium citasse sufficiat. S. Thom. hanc tractat *in 2 et 4 sentent.* et praesertim *in 4 contra Gentil. c. 74.* ait « Soli Petro promisit Tibi dabo *claves regni caelorum* ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiae unitatem » — Suarez de Legib. l. IV, c. 4. referens Leonis M. verba c. Ita Dnus 19 dist. ubi ille, ait, loquens de potestate Petri in ipso fuisse a X. principaliter collocatam ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet... ut *ab ipso* i. e. per ipsum dona sua diffunderet non in Apostolos, iam enim de illis non tractabat, sed in corpus omne, non uno tempore sed perpetuo . ideo enim voluit dignitatem illam esse perpetuam ut per Petrum et successores eius omnis alia potestas ad alios diffunderetur: sic Suarez l. 1, n. 12 et seqq. fuse hanc tradit probatque doctrinam.

Eadem conclusio ex PP. traditione probatur S. *Optatus* advers. Donat. disputans lib. VII, c. 3 Bono unitatis ait beatus Petrus, cui satis erat si post quod negavit solam veniam consequeretur, et praeferri Apostolis omnibus meruit et *claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit.* Unde ex Optato habemus quod unitas a Christo D. constituta in sua Ecclesia causam habet ex cathedra Petri quae sicut fundamentum ita et causa et principium unitatis in Ecclesia est: hoc autem accepit per communicationem clavium quas solus Petrus accepit *communicandas ceteris:* atqui id verum non esset si in Praelatos ceteros non derivaretur potestas clavium seu iurisdictio a R. Pontifice. E.

Et quoniam incidit sermo de unitate quam efficit Apostolica Sedes statim huc revocandam puto sententiam Cypriani in epist. de Unit. Eccl et est in *can Loquitur Ca. 24 q. 1.* ubi unitas Ecclesiae necessario attenditur ad unam fontalem originem totius potestatis ecclesiasticae quam esse dicit Apostolicam Sedem sive Rom. Pontificem super quem fundatam dicit Ecclesiam esse : unde ait *Ecclesia Dei luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit, unum tamen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur, radios suos super universam terram copia ubertatis extendit, perfluentes largitur rivos, latus pandit; unum tamen caput est, et una origo, et una mater foecunditas copiosa.* Ergo ad unitatem Eccl. requiritur quod omnium Praelatorum potestas iurisd. derivetur a R. Pfice.

Iuxta SS. PP. passim Ecclesiae particulares ad Ecclesiam Rom. comparantur sicut radii ad solem, sicut rivuli ad fontem, sicut rami ad radicem. Ergo sequitur quod quidquid potestatis habent iurisdictionis, habent a Rom. Eccl. Anteced. patet en verbis Cypr. cit. c. Loquitur ex Conc. Ephes. ; ex Petro Ravennate qui dicit *quod stipiti rami ; quod capiti membra, quod soli radii, quod fonti rivuli : hoc Apostolicae Sedi reverentiae debent omnes Ecclesiae,* quas ubique terrarum religio christiana fundavit; Vigilius Papa consonat dum scribit Eleutherio Epo *Nulli vel tenuiter sapienti dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum et forma sit Ecclesiarum, a quo omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo recte credentium ignorat.*

Neque praetereundi Benedict. XIV. a quo de Synod. diocces. l. 1, c. 4,

n. 2. sententia nostra diserte affirmatur rationi et auctoritati conformior ; Pius VI. tam in *constit. caritas* 13 April. 1791, quam Const. *super soliditate* 28 Nov. 1786 « Iste scriptor (Eybel), ait, nihil non molitur quo hanc Petri Sedem modis omnibus vexet ac oppugnet, qua in Sede constitutam Patres unanimi consensu cathedram eam coluerunt, qua in una unitas in omnibus servaretur, *a qua in reliquas omnes venerandae communionis iura dimanant*. Non ille veritus est fanaticam turbam vocare, (qui S. Pontificem eum esse dicunt) *a quo ipsi Episcopi auctoritatem suam recipiunt, quemadmodum ipse a Deo supremam suam auctoritatem accepit*... An ergo fanatica fuit vox Christi (claves)... Petro pollicentis, *quas claves communicandas ceteris* post Tertullianum Petrum solum accepisse Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit. Et si quid Christus commune cum Petro ceteris voluit esse Principibus, numquam nisi *per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.*

§. 4. *De Presbyteris.*

N. 46.

Non defuerunt qui et Presbyteris datam a X. crederent regendae Eccl. potestatem, e. g. Aerius Arianus extitit qui Eporum et Presbyterorum auctoritatem parem esse arbitrabatur. Hunc errorem renovavit Salmasius (qui fere omnium deinceps haereticorum commenta descripsit) et refutavit Petavius de Eccl. hier. l. 3. c. 7. n. 6. Fere idem error est Sinodi Pistoriens. quae Parochos in Eccl. disciplina constituenda Epis aequat atque utrosque fidei iudices constituit pari iure. Ast huius potestatis nullum vestigium est in SS. Literis et in traditione in quibus praedicatum semper est quod omnis sane regendae Ecclesiae potestas aut in Petrum singillatim, aut in Apostolos coniunctim cum Petro collata est.

Hinc I. *in genere* EA CONDITIONE asserimus PRESBYTEROS « UT EOS TAMQUAM EPORUM ADIUTORES INSTITUERIT NON OMNI TAMEN IN MUNERE, SED IN ADMINISTRATIONE TANTUM SACRAMENTORUM EXCEPTIS CONFIRMATIONE ET ORDINE ET IN VERBI DEI PRAEDICATIONE » ut habet Tarq.

Error Aerii et protestantium semper ab Eccl. proscriptus est ut haeresis, nominatim in Conc. Trid. sess. XXIII, et clarissime traditur contrarium scilicet veritatem Epos esse Presbyteris superiores et eam probavimus a) ex 1. Tim. V. 17, 18 - b) traditione monstrante Epos esse Caput suarum Eccles., praecipuos ministros divini cultus, fidei custodes, et a quibus omnia pendent : c) ipsique cathalogi vetusti ostendunt in variis Eccl. plures presbyteros sed unum Epum: horum tantum nomina diligentissime custodiuntur : d) Eporum proprium esse ordines conferre, atque invalidos declaratos ordines, quos conferre forte attentarunt presbyteri. Idem e) ostendunt canones pseudo-apostolici ; idem f) ritus consecrationis Eporum et ordinationis presbyterorum.

Ex eo quod in Pontificali Rom. presbyteri dicantur successores 72 discipulorum, non sequitur ipsos ulla potestas. Nam cum 72 missi sunt, facta est ipsis facultas praedicandae poenitentiae atque populorum animos doctrina ac miraculis ad X. fidem praeparandi, sed nullum concessum est ius regendae Ecclesiae, nulla item potestas sive ordinis, quae tantum in ultima coena collata cre-

ditur, sive iurisdictionis, quae post resurrectionem reipsa actu tributa est. - Ex Sacramento ordinis et ex ritu ordinationis patet ipsos esse adiutores Eporum, habiles ad omnia Sacramenta administranda, exceptis confirmatione et ordine, quorum ordinarii ministri sunt Epi.

N. 47.

II. In specie QUOAD EXERCITIUM, DICTUM PRESBYTERORUM OFFICIUM HISCE LEGIBUS ORDINAVIT CHRISTUS UT TOTAM HANC POTESTATEM NONNISI DEPENDENTER AB EPO (MULTO AUTEM MAGIS A ROM. PFICE) EXERCERE POSSINT: ITA UT REGULARITER IPSIUS EPI SIT EAMDEM ET SUSPENDERE ET RESTRINGERE, ET, SI RATIO ID POSTULET, ETIAM INHIBERE ». Omnes enim sacerdotes non vi ordinationis sed ex commissione habent: porro de natura iurisdictionis delegatae vel mandatae est ut tota dependeat a voluntate delegantis vel mandantis ita ut ipsius sit eamdem et suspendere et restringere, et si id opus sit, etiam inhibere. Iamvero exceptis parochis aliisque quibus in titulum confertur cura animarum, omnes alii presbyteri ex commissione Epi vel Papae iurisdictionem spiritualem exercent. Dixi exceptis parochis, quia hi ordinaria in foro interno, gaudent et in foro externo ministerium et officium instar boni patris familias exercent: quamvis et in his epali iurisdictioni debeant omnes etiam parochi canonicam obedientiam, subiectionem et reverentiam.

Per hanc canon. obedientiam... omnes Clerici et Monachi, qui sunt intra dioecesim, sunt in potestate Epi. Intelligi debent Monachi non exempti aut extra claustra degentes: vel in iis quae pertinent ad curam animarum. Et si ei recusent parere, si quidem clerici deponuntur, si Monachi excommunicatione cum laicis plectuntur: unde Clerici et Monachi lege diocesana subditi sunt Epo eique praestant debitam obedientiam et reverentiam *c. Quod super his de maior. et obed.* et quicumque ordinantur, tenentur Epo edere professionem fidei et promissionem subiectionis, obedientiae et reverentiae *can. Quamquam dist. 23.* - Hanc obedientiam SS. PP. exigunt e. g. Ignat. ep. ad Trall. « Epo subiecti estote ut Dno » et S. Hier. ad Nepot. « Sta subiectus Pontifici tuo et quasi animae parentem suscipe.

Dependentiae porro omnium clericor. etiam Sacerdotum ab Epo suo plura signa sunt e. g. Thronus epalis. Iurisdictionis autem epalis est institutio et destitutio clericorum. Et cum singula persequi non vacat, generatim dico quod ex tota traditione habetur revera iudicium sacrae Doctrinae, qua populi imbuendi, totumque Eccl. regimen, administratio semper penes Epos fuit, neque Presbyteri sine venia Epi a quo omnis eorum manat auctoritas iurisd. aliquam exercere unquam licuit. Hinc penes omnes PP. sententia est Presbyteros Epis subditos esse oportere, neque illos his ignaris aut repugnantibus agere quidquam posse: omnem illorum iurisd. ab Epo oriri... Epi esse leges ferre pro bono totius dioecesis poenisque animadvertere in criminosos, omnemque in eo iurisd. residere, S. Caelest. I ad epos Gall. ep. 27; Cypr. ep. 33; S. Innoc. ep. 2...

N. 48.

III. SI ORIGO SPECTETUR PRESBYTERALIS POTESTATIS X.us D.nus ITA DISPOSUIT UT FACULTAS EXERCENDI PRESBYTERALIA MUNERA DERIVETUR IN SINGULOS AUCTO-

RITATE EPI, VEL ROM. PFICIS, NON AUTEM IPSA ORDINATIONE, QUA TANTUM POTENTIA CONFERTUR AD CONFICIENDA SACRAMENTA PRESBYTERALIS ORDINIS PROPRIA, NON AUTEM FACULTAS EAMDEM POTENTIAM EXERCENDI.

Etsi presbyteratus sit divinae instit. cum sit praecipae sacramentum ordinis atque in ordinatione presbyterali character recipiatur et potestas offerendi sacrificium missae tam pro vivis quam pro defunctis, etsi recipiatur potentia et habilitas ad omnia supradicta Sacramenta conficienda et administranda, tamen haec potestas ligata est ut licite exeat in actum voluntate Epi atque adeo facultas quoad exercitium a *iurisdictione* epali dependet: sicut generatim a potestate iurisdictionis dependet potestas ordinis ad Sacramenta conficienda et administranda. Et iam ab initio Eccl. ut patet *Script. 1. Tim. I. 17, 19. Act. XIV, 22; XV, 2.* simul cum et dependenter ab Epis tam praedicationem verbi Dei quam ceteras s. cultus functiones Epo non reservatas exercebant. Ex ipsis constare potiorem partem Senatus Epi, qui *presbyterium* audit, omnibus notum est. Dixi ad omnia Sacramenta excepto ordine et confirmatione Epo reservatis, et excepto etiam quoad validitatem Sacramento poenitentiae, pro quo, praeter potestatem ordinis presbyteralis, requiritur potestas iurisdictionis.

§. 5. *De Diaconis.*

N. 49.

Diaconi (Levitae, Ministri) etiam ad constitutionem Ecclesiae ita se habent, *ut Christus Dnus illos, ea in re hierarchicos effecerit ut vi sui ordinis habiles sint ad Sacramenta baptismi atque Eucharistiae administranda et ad praedicationem verbi Dei exercendam ita tamen ut nonnisi auctoritate Epi haec faciant.*

Ex Christi Dni voluntate Apostoli Diaconos instituerunt impositione manuum Act. VI. 1-6 ad Eporum et presbyteror. auxilium in opus ministerii; et Conc. Trid. anathema dicit neganti diaconatum ex iure divino pertinere ad S. Hierarchiam. Certa autem TT. sententia est Diaconatum esse proprium ac verum Sacramentum.

Vigent nunc eae functiones quas modo iudicavimus: at primitus plura adhuc officia exercebant e. g. curam viduarum et pauperum, ministrare mensis, liturgiam in Ecclesiis curare magna ex parte, S. Eucharistiam sub utraque specie administrare, evangelium non tantum legere sed explicare: atque ita in ministerio praesto esse Epo ut eius oculos, aures, os, cor et anima dicerentur. Unde Epi non solum eos in Conciliis secum ducerent, sed gravissima negotia eis committerent.

Quanti fierent Diaconi iam ab Apost. videas 1 Tim. III. Ign. ad Trall. n. 2; ad Policarp. n. 6 ad Magnes. n. 9. et S. Hieron. ep. 85. Notamus denique tam Diaconos quam Presbyteros etiam in Hierarchia iurisdictionis recenseri: latius enim sumpta iurisdictio dicit omnem gradum, sacrorum praefecturam, officium, ministerium ita ut ad eam ministri omnes quavis tandem potestate sint praediti, referantur. Hinc etiam cum Ecclesia cuipiam ex meri ordinis Hierarchia gratificari voluit, non amplificavit ordinis potestatem, sed ei dedit iurisdictionem, quam non habebat ita, ut is suum etiam in Hierarchia

iurisdictionis locum obtineret. Ita Presbyteri et Diaconi tantum pertinent ad Ordinis Hierarch. sed Eccl. ex illorum collegio sumpsit Chorepiscopos, Archipresbyteros, Archidiaconos, in eosque contulit iurisdictionem atque ita huius Hierarch. adscripsit — et Ecclesia ipsa Romana Sacro Patrum purpuratorum Collegio cooptat Presbyteros et diaconos.

Quaestio VI. — QUAE PERSONAE EX MEDIATA VOLUNTATE CHRISTI GAUDENT POTESTATE IN UTRAQUE HIERARCHIA.

N. 50.

« Facultatem fecit Ecclesiae Christus D.nus i. e. Rom: Pontifici aut Epis una cum eo coniunctis, alios gradus prout ipsa expedire censuerit, instituendi tum in Hierarchia iurisdictionis tum in Hierarchia Ordinis, hoc tamen sensu, atque modo: a) Quoad Hierarchiam ordinis ut non intelligatur facta esse facultas inducendi novam quamdam potestatem ordinis, sed ex officio ultimi ordinis hierarchici minores quaedam partes secernendi, unde alii ordines eodem minores constituantur.

Quae heic poscimus ad institutionem subdiaconatus aliorumque ordinum qui minores dicuntur, spectant. Porro relate ad hos ordines institutionem Christi revocamus ad mediatam eius voluntatem: quod factum intelligendum non inducta nova quadam potestate ordinis, sed secretis quibusdam partibus ex officio ultimi ordinis hierarchici. Ut hoc intelligatur notandum est, non ideo quia diaconatus sit sacramentum, multiplicari sacramentum ordinis: quemadmodum enim episcopatus est presbyteratus seu sacerdotii consummatio, ita diaconatus est eiusdem ad quod refertur ac tendit *praeparatio*, et licet ab eo distinctus, non tamen prorsus diversus. Huc facit quod S. Th. q. 2 a. 1. « Distinctio ordinum non est integralis in partes, neque totius universalis (generis in species) sed totius potestatis cuius haec est natura quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est quaedam participatio ipsius, et ita est hic: tota enim plenitudo huius sacramenti est in uno ordine, scil. sacerdotio, sed in aliis est quaedam participatio ordinis. »

Hinc apparet hanc praeparationem posse ab Ecclesia ex voluntate Christi mediata in plures veluti gradus distingui. Porro subdiaconatum et minores ordines fuisse ab Ecclesia institutos communis sent. est TT. quae proinde in diaconatu supponit eos veluti consummari et rationem Sacramenti habere.

Corollarium ex hucusque dictis quid Christus Dnus immediate, quid, mediante Ecclesia, instituerit quoad S. Principatum et Hierarchiam divinitus institutam. Scilicet Christus D. in Hierarchia iurisdictionis duos tantum posuit gradus h. e. Primatis et Principis totius Eccl. atque Episcoporum: tres autem in Hierarchia Ordinis scil. Epos, Presbyteros et Ministros ita, ut quoad ministros solos, diaconos Christi iussu et accepta ab eo potestate ab Apostolis institutos fuisse constet: quia subdiaconorum et inferiorum ordinum nullum in Sacris Literis indicium est: unde dicti ordines inferiores Ecclesiae institutionis adscribendi sunt.

Similiter si qui inter supremum Primatum et Epos inveniantur gradus, si qui etiam infra Epos Praelati audiunt inferiores, ab Ecclesiae institutione repetendi sunt, prout advertit. Tarq. in seqq.

N. 51.

b) Quoad Hierarchiam iurisdictionis 1. ut Rom. Pontifici data fuerit facultas vocandi alios in partem suae sollicitudinis non modo in ea re, quae spectat ad agnos i. e. ad populum, instituendo e. g. magistratus alios ecclesiasticos, qui licet epali ordine non istructi, epalem tamen iurisdictionem in plebem sibi assignatam exerceant; iis exceptis quae epalem ordinem omnino exigunt; quod videmus factum fuisse in Abbatibus, quos dicunt nullius; verum etiam in ea re, quae spectat ad oves i. e. ad Epos, instituendo e. g. certos iurisdictionis gradus, quibus adnexa sit aliqua in ipsos Epos iurisdictio, ut cum impar sti Sedes Apostolica opportuno tempore ac prompte omnibus providere sive ob eorum numerum latius excrescentem, sive ob nimiam locorum distantiam praesto sint alii, qui Apostolicae curae partes expleant, quod factum videmus in institutione Patriarcharum, Primatum, Metropolitarum; vel etiam mittendo, cum necessarium visum fuerit, extraordinarios aliquos Praefectos, qui suam potestatem in ipsos Epos exerceant: quod item videmus factum fuisse, atque identidem fieri in Vicariis Apostolicis et in Legatis.

Potestatem hanc tales gradus constituendi factam esse a Christo D. Ecclesiae suae inficiabitur nemo. Fundavit enim illam ut perfectam societatem in qua instituit monarcham et inferiores magistratus sub tali Principe totius Ecclesiae, tamquam ordinarios praesides. At quis non videt ad quamlibet ordinariam potestatem spectare, vicarios constituere, eisque sive ad tempus sive in perpetuum iurisdictionem mandare aut delegare? Praesertim summi Principis est, heic R. Pontificis, inferiores magistratus creare, qui suam explicent iurisdictionem sive in populum, sive in praefectos populi? Unde iure ac merito potuit R. Pontifex, (qui in omnes et singulos tam fideles i. e. agnos, quam Epos. i. e. oves immediata gaudet potestate), constituere relate ad agnos praefectos, qui Praelati inferiores dicuntur; et relate ad oves, vel Metropolitas, aut Primates, aut Patriarchas, qui Pontificiae prae aliis Epis. iurisdictionis partem communicatam habent modo permanenti et affixam sedi episcopali quam occupant, vel Legatos et Vicarios Apostolicos, qui extraordinario modo et fere transeunte, habent.

Dixi *Ecclesiam ac R. Pontificem. iure merito ac sapientissime* inter Primatem totius Ecclesiae, (cui cum Christus principatum totius Eccl. attribuit, nil addi aut detrahi potest) et Epos constituit dictos gradus: quia amplificata et ubique propagata Ecclesia, ingens illa multitudo Christianorum ad eam confluentium pluribus indigebat magistratibus, a quibus recte et accurate regeretur. — Et relate ad Metropolitas, Primates, Patriarchas sunt qui tenet quod ipse Christus auctor fuerit, Ecclesiae suae ut optimam hanc rei administrandae rationem stabiliret. Non enim omnia aiunt, quae ipse de Ecclesiae gubernatione praescripsit, ab Evangelistis literis mandata sunt: sed multa ab eo sunt con-

stituta spatio illo 40 dierum, quo pluries Apostolis apparuit et cum iis de *regno Dei* scil. de Ecclesia locutus est. Sed haec coniectura non fundat ius divinum.

Certum itaque est nil ea de re, quod hominum memoriae tradiderint Evangelistae, statutum esse a Christo, cui ad fundandam Ecclesiam satis fuit Primatum in Petro eiusque successoribus, atque episcopatum in Apostolis et eorum successoribus constituere: iidem unde Apostoli, propagata Eccl. ut recte eius regiminis ratio consisteret, ius praeformarunt metropoliticum, quod postea definitive ab Eccl. constitutum est. *Praeformarunt*: nam, ut praeter ea quae S. Petrus praestituit, nonne S. Paulus Titum toti insulae Cretae, Timotheum omni fere Asiae praeposuit? *Cf. Euseb. Hist. eccl. l. 3 c. 4.*

Mitto originem et auctoritatem singillatim dicere Patriarcharum, quibus obnoxii sunt Primates, Primatum quibus obnoxii sunt immediate Metropolitae, cuncti autem Summo Pfici, mitto nominare patriarchatus singulos et primatus, maiores et minores: quia de his suo loco in Iur. can.; solum adverto in his omnibus suprema iurisdictio et summus magistratus est, cum omnes sint ex Eporum collegio, cui Christus contulit regendae Eccl. potestatem. Ex his gradibus duos Christus D. constituit caput ac principem totius Eccl. et Epos: in Epatu vero Ecclesia plures fecit gradus. — Horum omnium idem est ordo, sed non eadem iurisdictio: et sicut in recte constituta republica plures sunt magistratus, alii aliis praefecti et potentiores, ita in Ecclesia, Epi. Archiepis, hi Primatibus, primates Patriarchis, omnes uni R. Pfici subiiciuntur ita, ut omnes una fide et caritate inter se coniuncti sint, et subdantur uni R. Pfici, qui centrum unitatis est, in quod per suos magistratus et rectores fidelium populus universus conspiret, atque omnes gentes toto orbe diffusae nonnisi unam constituunt Ecclesiam.

Hos praeter, alii sunt minores Magistratus pertinentes ad eamdem Hierarchiam, quae latiori sensu omnem gradum et sacrorum praefecturam significet. Huc spectant qui a Summo Pfice vel ab aliquo oecumenico Concil, omnem repetunt auctoritatem, e. g. *Abbates nullius dioecesis*, qui propriam habent, quasi dioecesim plane distinctam atque discretam ab alia cuiusvis Epi. dioecesi, et in ea quasi iurisdictionem epalem exercent. Hi tantum Rom. Pfici subduntur, *sicut Praelati inferiores*, quorum triplex classis, origo, potestas,.. in singulis cf. apud Petram in Const. Pontif. praesertim in const. Alexand. III, Apostolicae Sedis sect. 1. De Nuntiis, Vicariis Apostolicis ..... cf. Bouix de Curia rom. pars 4.ª

Alii quoque sunt, quorum officium et potestas nulla est divinitus accepta sed ea tota procedit ab Epo: de iis sic Tarq. « 2.º Ut pari modo etiam Epis liceat (nisi altiore potestate prohibeantur) constituere in ea Ecclesiae parte, quae sibi commissa est, quamque dicunt *dioecesim*, alios inferiores sc. rectores, quibus partem suae potestatis committant, iis semper exceptis, quae exerceri ab iis nequeant ob sacri ordinis ad ea necessarii defectum. »

Hinc elucet quod varia potestas vicariorum sive in iurisdictione, sive in divinis ceu pars ipsius potestatis in eos derivatur et sive vicariorum sive qui iura ordinaria gaudent potestate ab Epo saltem quoad exercitium ita dependet, ut eorum potestatem, quantacumque guadeant, Epus et restringere angustius et explicare latius suo arbitratu valeat.

N. 52.

Coeteros inter, QUI IURISDICTIONE GAUDENT IN CURA ANIMARUM GERENDA ORDINARIA, SUNT PAROCHI circa quos notetur error eorum, qui ad divinam institutionem Parochos referunt: unde potestatem quamdam iisdem tribuunt divinitus collatam: de qua re satis sit haec iuxta Tarq. animadvertisse:

I. Ineptissime haec affirmari, tum quia quolibet destituuntur fundamento; tum quia constat primis Eccl. saeculis, nullos fuisse parochos, presbyteros vero ita omni caruisse iurisdictione, ut sine Epi. mandato neque baptizare, neque Eucharistiam administrare, neque agapen celebrare, denique nihil facere possent. Cf. S. Ign. M. ep. ad Smirnen n. 8. Tertull. de Baptismo l. 2. n. 17. Conc. Laodicen. an. 320. can. 57...) Denique huc etiam pertinent prop. IX, X, XI, Synod. Pistorien. damnatae a Pio VI. in Const. Auctorem fidei. (Cf. in hac controv. Card. Gerdil. in instructione ad Epum Ebredunensem nomine S. Cong. Concilii missa, quae extat in fine t. XV eius operum; tum etiam Aloisium Nardi in eius opere inscripto « Dei Parochi. »

Ex quibus sat aperte fluit parochos, sive eorum officium non esse ex iure divino sed ecclesiastico, ad Ecclesiae ergo institutionem referendum est officium parochorum, et eorum auctoritatem; quam tantum servato iuris ordine adimere Epus potest. Parochus est sacerdos, qui curam habet animarum alicuius districtus, modo stabili ac in titulum perpetuum sub Epi dependentia. Etsi functiones praecipua parochorum ut celebrare sacrum, absolvere... sint quoad substantiam iuris divini, tamen caetera munia et iura quae constituunt parochiale officium, sunt iuris eccl.ci. Praeter iurisdictionem in foro interno tamen ministerium et administrationem quamdam habent, quae imitantur iurisdictionem in foro externo e. g. facultas convocandi populum, facultas interveniendi in Synodum dioecesanam, ius administrandi bona paroeciae... His tandem satis superque exploduntur commenta Ianseniauorum et Pistoriensium de institutione immediata divina Parochorum, cf. Nardi l. c., sed de his fusius suo tit. in Iur. can.

II.m quod advertatur est « devitandam esse eorum severitatem qui ferme haereticum dicunt quicumque parochos, *pastoris* nomine cohonestet. Sunt enim veri *pastores* siquidem ordinarium gerunt officium, quod sua natura pastorale est, pastorisque nomine appellantur a TTh. optimae notae cuiusmodi, e. g. Benedict. XIV. de Synod. dioeces. l. VIII. c. 1, Petavius De Hier. l. II, c. V, n. 10. tum passim Catech. rom. et acta S. Congr. Card. Conc. Trid. interpr. Non ergo denegandum est eos dici posse pastores, sed quales pastores sint ad Catholicae veritatis normam adversus Ianseuianos est statuendum. Sunt autem pastores 1. non divinae sed ecclesiasticae institutionis; 2. non perfecti sed eiusmodi, quibus certa tantum munia commissa sunt: 3. in iis muneribus exercendis non independentes, sed Epi auctoritati omnino subiecti. »

Quae hucusque diximus utriusque Hierar. fusius exponere alterius est loci: nobis in Iure publ. dicta sufficiunt, quatenus satis probant a) ad constitutionem Eccl. pertinere ut haec potestas sit nessario sacerdotalis, iisdem enim magistratibus, qui docent cum auctoritate et regunt, dedit potestatem sanctificandi, quam in exercitio dependentem Christus D.us esse voluit a potestate iuris-

dictionis ; b) atque omnis potestatis varios ex Christi item voluntate ordines esse distinctos.

Quaestio VII. — INNUITUR TANDEM EXTRAORDINARIA ATQUE PERSONALIS APOSTOLORUM POTESTAS IN INITIO ECCLESIAE.

N. 53.

Tarq. « In primordiis Eccl extraordinarias quasdam Christus D. Apostolis tribuit, quas tamen in eorum successores Episcopos noluit dimanare. »

Cum Christus D. fundavit Eccl. suam ut societ. perfectam ei praefecit Rectores et Gubernatores qui eam administrarent, adornarent, legibus munirent, atque ea omnia praestarent, quae Reipublicae Xnae bonum et incolumitas exigebat. Hi porro Rectores Apostoli fuerunt in initio, quos ex discipulis Christus elegit ad praedicandum evangelium atque ad homines, ex quibus Xna respublica efficeretur, cogendos, eosque santificandos et regendos: pari proinde suos Apostolos ad haec munia potestate augere debuit transmittenda in suos successores ad Eccl. propagandam, regendam cum suis proprietatibus perennandam necessaria.

Iamvero amplissima erat potestas Apostolorum, sese explicans per totum orbem, Petri salvo semper iure et potestate primatus. Et, Petri primatis certo cum consensu, regiones sibi Apostoli diviserunt, in quibus Apostolatus munere fungerentur, ut ita celerius Christiana Religio propagaretur. Profecto iverunt in mundum universum, Evangelium nuntiarunt, iuxta illud « *in omnem terram exivit sonus eorum* etc.; docuerunt homines officia Xnae Religionis, Epos et Presbyteros crearunt, Ecclesias constituerunt, his istos praefecerunt, eaque praestiterunt, quae ad rectam Ecclesiae Christi administrationem necessaria iudicarunt. Porro haec omnia, ad constituendam Ecclesiam necessaria, ab ipsis gesta sunt extraordinario Apostolatus iure, quod eorum morte expiravit, excepto Primatu Petri inter ipsos Apostolos. Nam uno Petro ius Primatus ordinarium fuit : quia Ecclesia, ut una semper esset, unum semper caput habere debebat ; ideoque potestas illa capitis et principatus ad conservandam unitatem necessaria ad successores suos RR. P. transferenda. Sed aliter dicendum de extraordinaria Apostolorum caeterorum potestate.

Christus enim duplicem caeteris Apostolis attribuit potestatem, alteram extraordinariam et unius propriam Apostolatus; alteram ordinariam et Epatus propriam. Illa data est ut Ecclesia citius constitueretur : haec ut constituta Ecclesia regeretur et conservaretur : haec ad Apostolorum successores Epos transmissa est, quia ad Eccl. conservandam necessaria : illa si ab initio pro constituenda Eccl. erat necessaria, nunc post Eccl. constitutam inutilis esset, imo haud levium incommodorum origo. — a) *Inutilis* : illa extraordinaria potestas seu dignitas Apostolatus. Et re quidem veros extraordinaria haec potestas iuxta Thh. et Can. DD. his notis continetur, quae sunt 1. munus et potestas evangelium ubique terrarum praedicandi et promulgandi : 2. potestas iurisdictionis ubique terrarum sc. fundandi Ecclesias, instituendi, Epos potestas legifera, iudiciaria, coactiva erga omnes (praeter ipsos Apostolos) quoad quaslibet eorum causas : 3. infallibilitas magisterii : 4. immediata missio sive pote-

stas praedicandi et potestas iurisdictionis *immediate* facta a Deo: 5. potestas suprema ordinis sive gradus epalis, quae necessaria erat ut munere apostolatus plene ac perfecte fungerentur. Iamvero si hoc ultimum excipiatur, quod sc. Epatus transfundi debet in successores ritu a Deo statuto, coetera munia vel iam habent collective simul uniti Epi cum R. Pfice e. g. cum in concilium coalescunt gaudent infallibilitate... vel non sunt amplius necessaria ut immediata missio a Deo singulorum Eporum, et iurisdictio singulorum universalis in omnes cum adsit R. P. suprema et immediata gaudens in omnes potestate — 6. Quin imo *incommodis* esset *obnoxia:* nam si Epi Ecclesia iam constituta agerent quod gesserunt ad constituendam Apostoli, e. g. si singuli ubique evang. praedicarent, Ecclesias fundarent, si ceteros iurisdictionis actus exercerent in universam Eccl. quis non videt incredibilem rerum confusionem, ac perturbationem, quae exinde oriretur?

Itaque restat ut Epi successerint Apostolis in iis quae Epatus sunt, non quae Apostolatus: unde singuli regunt particulares Ecclesias, quibus praepositi sunt, suamque exercent iurisdictionem intra illum terrae tractum, quem a R. Pfice administrandum acceperunt. Quibus in limitibus adsignandis R. Pfices sequuntur Apostolos: qui iam ab initio ita egerunt. Missi enim Apostoli a Christo cum potestate praedicandi evang. particulares fundarunt Ecclesias, iisque Epos praefecerunt non cum iurisd. in totum orbem, qualem ipsi habebant, sed in eam dumtaxat regionem, quam singulis administrandam tradebant.

His consonat P. Palmieri in tract. de Rom. Pfice thes. VI n. V. Respondemus Petri potestatem fuisse *ordinariam*, Apostolorum ceterorum (scil. singulatim sumptorum) extraordinariam... Contendimus scil. potestatem totius collegii Apòstolici fuisse ordinariam, ordinariam quoque potestatem Petri: nec de alia auctoritate a Christo instituta mentionem faciunt Evangelia, in quibus Christus vel omnes simul Apostolos, vel unum Petrum alloquitur. Contendimus vero eam potestatem quae singulis aliis apostolis facta fuisse creditur, quaeque huc redit ut fuerit iurisdictio universalis quoad omnes fideles, et auctoritas magisterii infallibilis, fuisse extraordinariam. Quo circa defendimus ordinariam in Ecclesia eam tantum potestatem, quam a Christo institutam esse ex historia evangelica institutionis Ecclesiae novimus... Iamvero quod potestas totius Collegii Apostolici, in quo et Petrus erat, sit ordinaria, facile omnes dabunt ipsique haeretici qui eam in universa Eccl. perseverare docent... Illa vero potestas universalis et auctoritas infallibilis singulorum. Apostolorum certe erat extraordinaria. Nam in hac constat historice nullos extitisse successores, qui singuli eam obtinerent. Episcopi enim qui praesunt, debent singuli singulos suos greges pascere ut Petrus 1, ep. V, 2, praecepit et Paulus Act. XX, 28 atque canonibus Apostolicis (can. 14, 32, 35 primorumque Conciliorum sancitum est. Nullus praeterea Epus seorsim est infallibilis: secus tot Epi non fuissent haeretici; fac enim e. g. Nestorium fuisse infallibilem, erravit ergo Cyrillus eum condemnans et Caelestinus: aliquis ergo fallibilis erat. Itaque ea universalis potestas iurisdictionis et magisterii infallibilitas singulis concessa propria erat Apostolatus. At hic desiit desinentibus iis primis missis immediate a Deo: ceteri enim non amplius primi, sed secundi. Atque haec intelligenda de Epis singulis comparatis cum Apostolis: si enim spectetur totus episcoporum caetus, ipse eadem ac Apostoli potestate et auctoritate gaudet, quae in Ecclesia perennis esse debet. Quare

verissimum est quod dicitur potestatem Petri fuisse ordinariam, ceterorum extraordinariam.

Coeterum Epi in sua dioecesi vera gaudent iurisdictionis potestate ordinaria, unde non sunt Vicarii Papae, sed ut veri Principes qui nomine proprio vi magistratus quem gerunt, auctoritatem habent ferendi leges, iudicandi, puniendi; quamvis sub R. Pficis imperio et ipsi imperant: ut supra indicavi, et fusius in tit. de Epis.

Porro ex his, quae hucusque diximus de schemate verae Constitutioni Eccl. Christi apparet totam inde hauriri posse quae pertinet ad potestatis subiectum, doctrinam. Ut enim haec habeatur requiritur 1. ut determinetur quis in tota Ecclesia, quique in singulis eius partibus imperent, et cuius sit ea partes distribuere et definire: 2. quanta in singulis sit potestas: 3. quatenus singulis inhaereat. Ex his enim non in abstracto sed concrete deducitur existentia, concreta amplitudo, duratio potestatis ecclcae, quibus eius subiectum accurate determinatur.

Ratio transitus ad seqq. Cum supra pag. 186, dictum sit pastores seu custodes fidei debere esse infallibiles fidei magistros et hanc fidem populo proponere obligatorio modo, ab his tamquam authenticis magistris sequitur brevis tractatio de magisterio Ecclesiae infallibili. De qua potestate pertinente ad Constitutionem Ecclesiae quam volvimus, dum seorsim agimus ab utraque Hierarchia ordinis et iurisdictionis, nullatenus probare volumus recens invectam distinctionem triplici potestatis scil. ordinis, iurisdictionis et magisterii: potestas enim magisteri spectato obiecto est species potestati iurisdictionis: unde.

Quaestio VIII. — DE AUCTORITATE ECCLESIAE PROPONENDI DOGMATA FIDEI, SEU DE MAGISTERIO INFALLIBILI ECCLESIAE, DEQUE EIUS IN SCHOLIS AUCTORITATE.

Igitur cum personae in quibus potestas residet regendi et sanctificandi effecti sint a Christo Dno et Magistri in fide, imo cum fides sit fundamentum ac principium huius sacrae Reipubl. quod est regnum veritatis seu societas fidelium, cum haec societas maxime nomine progressus in veritate et scientia impeti soleat, cumque ad praxim quod spectat scholae instituuntur directe vel indirecte contra fidem ut fidei doctrina ab hoc magisterio tradita e medio tollatur, operae pretium erit praecipua de hoc Magisterio atque de eius iure in scholas fidelium breviter exponere.

CAPUT I.

DE IPSO MAGISTERIO ET IURE AUTHENTICE DOCTRINAM CIRCA FIDEM VEL MORES PROPONENDI.

Et de Magisterio ipso dicemus quod sit. a) institutum a Christos Eno, b) perenne, c) unum, d) necessarium, e) infallibile.

N. 54.

Necessitas huius tractactionis, praeter dicta, patet a) ex protestantibus et omnibus aliis haereticis atque schismaticis qui et doctrinam fidei adulterant, et

unionem discindunt. Protestantes enim contra Christi D. institutionem sic fingunt in Ecclesia magisterium « Christus ut in Eccl. sua consuleret notitiae habendae veritatum credendarum et fidei integritati et perennitati 1. emisit et spargi iussit in vulgus librum divinitus inspiratum, qui partim scriptus et editus erat in veteri Testamento, partim scribendus erat a primis Evang. propagatoribus (i. e. Novum Testam.) a singulis homin. legendus : 2. ut librum hunc legentes homines certo discant quid eis credendum quid agendum pro salute aeterna, instruuntur interiore directione Spiritus S. — 3. Solum hunc librum Christus dedit pro regula certae fidei et morum, excluso quovis magisterio humano divinitus instituto, quod hunc librum auctoritate sua infallibili commendaret et authentice interpretaretur.

b) Neque protestantes tantum sed quotquot hodie existunt adversus hoc magisterium hostes novelli iique acerrimi necessitatem tractationis ostendunt : aliquot errores hodiernos hac de re videre est in Syllab. propp. 5, 6, 10, *11, 12*. §. IV circa Societ. bibl... 92, *33*, *40*, 44, *45*, 46, 47, 48, 58, 79, 80. — In hoc Magisterio declarando prout ad Ecclesiae constitutionem spectat sequemur vestigia P. Palmieri De Rom. Pfice Prolegom. per asserta seqq.

N. 55.

Assert. I. Ad Constitutionem Ecclesiae pertinet magisterium vivum, personale, auctoritate instructum docendi Christi nomine, obligatione, coeteris imposita audiendi et credendi quae ipsum doceret.

Cum Christus D. coustituit Ecclesiam misit Apostolos suos in universum muudum dicens « *Data est mihi potestas in coelo et in terra : euntes ergo docete omnes gentes h. e.* discipulos facite *baptizantes, docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis* Mth. 18, 20, *Euntes in mundum..* ec.

Porro his Christus D. misit 1. Apostolos ut faciant discipulos ex omnibus gentibus: 2. nomine Xi scholas habituri essent: ait enim « *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra,* potestas proinde discipulos aggregandi ex omnibus gentibus: hanc vobis communico: discipulos proinde facite meo nomine: 3. *baptizantes*, per quod completur id quod dicitur « *praedicate evang. omni creaturae*, utpote qui profitentur fidem, et per baptismum ingrediuntur Ecclesiam: 4. *docentes*, quod dicit quid mere habituale sc. sicut conditio discipuli ita et magisterium, cuius actus est docere; 5. qui actus magisterii praecedere debet Baptismum: *praedicate evang. qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crederit...* 6. Quibus verbis et obligatio sequitur aliis facta audiendi et credendi: a quibus fides requiritur in Evang. praedicatum ab Apostolis sub sanctione damnationis, praeter quam quod idem sequeretur ex potestate praedicandi evang. auctoritate X.i cui omnes subesse debent.

Insuper huiusmodi institutio magisterio ratio est cur dixerit Paul. ad Rom. X, 17. *Fides ex, auditu auditus per verbum X.*, verbum scil. fidei quod Apostoli praedicant ibid. 8. *Quomodo autem audient sine praedicante, quomodo praedicabunt nisi mittantur*; ergo missio Apostolor. ad praedicandum, ad docendum; seu magisterium est medium institutum a Deo pro fide gignenda in cordibus hominum.

N. 56.

Assert. II. In Apostolorum magisterio a) duplex munus distinguendum, munus Testium et munus Doctorum b) obeundum sive voce sive scripto. »

a) Decl. Qui aliis refert factum quod vidit vel audivit *testis* est: qui erit *authenticus* si ius et auctoritatem testandi habet ita ut vi legis eius testimonii ratio habenda sit. Porro *testis divinus* est, qui a Deo mittitur cum obligatione ceteris imposita ut ei credatur, et tunc est etiam *necessarius*.. Doctor *late* is, qui notitiam alicuius veritatis quam tenet, alteri dat, quo sensu, etiam testis est Doctor: *stricte* is qui notitias veritatum rationalium quas ipse novit, alteri communicat simpliciter affirmando: *strictius* qui scientiam in alio gignit illius mentem per ordinatam idearum seriem dirigendo ad claram notitiam veritatis: quod proprium officium est doctoris. Assensus doctrinae ab eo traditae qui docet mere affirmando, est propter auctoritatem eius, est fides, non scientia. Cum Doctor sit simplex homo gignit per se in audiente assensum infirmum qui vim probabilitatis non excedit. Qui ita gignit assensum ut vi solius suae affirmationis certos omnino reddat auditores ut nefas sit detrectare assensum, hic nequit esse nisi doctor infallibilis sc. Deus, aut a Deo auctus infallibilitate. — Doctor *authenticus* qui ex legitima auctoritate ius habet docendi, *necessarius* si vi legitimae auctoritatis alii eum audire teneantur.

Iamvero a) ipsemet Auctor et institutor Eccl. functus est officio testis Io. III, 11, et XVIII, 37 » *Ego ad hoc natus sum ut testimonium perhibeam veritati*: b) quod officium seu munus voluit per Apostolos continuari Io. XV, 26. *Et vos testimonium perhibebitis quia ad initio mecum estis.* Et ascensurus in coelum mittens eos in mundum ait « *Et eritis mihi testes in Hierusalem... usque ad ultimum terrae* » Cf. Act. I, 21, 22, II. 32, IV, 20, 33. V. 30-32, XIII, 21 -- 1. Io. 1-3. — Ad hoc sese extendebat magisterium Apostol. ut sc. quae viderant in Christo quae ab eod. acceperant, quae Sp. S. eis revelaverat, referrent: factum sc. revelationis attestantes haec et haec Xum gessisse, tradidisse, Sp. S. revelasse. Miracula vero quae ita testantes Apostolos comitabantur, eo fiebant ut ostenderentur depositiones esse testium divinitus missorum, quibus credere oporteret.

Sed Apostoli obibant et munus Doctoris: quia id quod attestabantur vel erat doctrina quaedam, cuius revelationis factum affirmabant, vel simpliciter quoddam factum e. g. conceptus virginalis, dominica resurrectio. Sed doctrina quaelibet erat explicanda, captui rationis accomodanda, defendenda et probanda SS. Scripturis, norma tradenda ad quam dogma esset concipiendum. Quod et circa facta revelata praestandum. Quaedam pro rei revelatae declaratione afferenda erant vel ex ipsa revel. vel ex scientia propria 1 Cor. XV. Gal. III, 15. Quibus textibus rite perpensis patet discrimen intrinsecum inter testem et doctorem: testis factum affirmat cui muneri satisfecerunt Ap.li affirmantes id quod audierunt · et viderunt: doctor scientiam rei exhibet usus sc. rationalibus ideis quas vel naturale lumen, vel fidei lumen suggerit, aperitque mentem audientis ad rei intellectum.

b) Dixi *obeundum utrumque munus sive voce sive scripto.* Nam cum Christus Dnus magistros dictos constituit, modum exercendi suum magisterium reliquit

arbitrio eorum, ut pro opportunitate adhiberent quem utiliorem aestimarent. Sed homines doceri solent tum voce tum scripto, modo sit actus magisterii vivi personalis h. e. egrediens a vivente persona, cognoscente quod docet et exprimente id verum, quod tradit. Scripto plures doceri possunt, etiam absentes: et doctrina per scripturam tradita facilius conservatur et ad posteros transit. Apostoli de facto utroque modo usi sunt, doctrinamque alterutro modo traditam aequaliter commendarunt « *State et tenete traditiones, quas accepitis sive per sermonem sive per epistolam nostram 2. Thess. II, 15.* Quae fuerunt scripta ab Apostolis, primoribus Ecclesiae Magistris in rebus fidei et morum sunt infallibiliter vera, non solum quia singuli dicti magistri erant infallibiles, sed etiam quia singula sub divina inspiratione acceperunt et tradiderunt.

N. 57.

Assert III. Huic Magisterio Christus D. a) normam praestituit ipsum Verbum Dei sive iam scriptum sive a se vel a spiritus s. revelatum, ita ut Apostoli infaiterlibile b) sequerentur hanc normam, atque adeo ipsorum ineallibile magisterium c) certa et sufficiens norma esset hominibus pro cognoscendo eodem verbo Dei.

1. Cum Apostoli praedicarent, suam doctrinam confirmabant vel provocantes ad id quod viderant et audiverant ipsi 1. Io. I. 1-3 aut quod revelatione acceperant *Gal. I. 11-12*, vel provocantes ad Scripturas vel utrumque simul coniungentes, ut patet legenti eorum epistolas et *Act. Ap. I. 22 32.* — Porro hoc idem est ac significare se talem normam habere. — Insuper Christus D. eos mittens aiebat « *Praedicate evangelium docentes... eritis mihi testes... sc.* qui referrent quod viderant et audiverant sc. verbum Dei ipsis manifestum. Et cum Verbum Dei ex parte iam scriptum erat, ei non licebat contradicere : cumque intimus et necessarius erat nexus inter Verbum illud scriptum et Verbum Apostolis revelatum, sequebatur quod eorum Magisterii, evaderet norma hoc ipsum Verbum Dei scriptum ipsis perfecte notum ut constat ex *Luc. XXIV, 45* « *aperuit illis Christus sensum ut intelligerent scripturas.* Unde merito Paul. *Gal. 1-8,* dicere potuit « *Licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis A. sit*

2. Hanc normam sibi praestitutam infallibiliter sequebantur Apostoli in docendo: a) quia id est fundamentum et principium in Religione Christiana. Christi fideles usque persuasi fuere illud esse verum quod Apostoli tradiderunt, se quoque tenere veritates religionis quia est doctrina praedicata ab Apostolis sive scripto sive voce. b) Et re quidem vera Christus D. voluit ut Apostoli docerent omnes gentes, et sub interminatione poenae aeternae id credi voluit ab omnibus quod praedicarent: quod vero praedicant credendum est Deo revelanti Mth. XXVIII, 19-20, Marc. XVI, 16. — Sed non potest exigi sub gravissima obligatione fides Deo propter verbum hominis, nisi homo proponat doctrinam immunem ab errore et illud reapse referat quod Deus revelavit, idque certo constet iis qui sunt credituri — c) In verbis Christi Io. XIV, 16, 17, 26, XVI, 13, Act. I, 8. α) Spiritus veritatis est magister Apostolor. β) Apostoli rite intellecturi quod Sp. S. docebit, *deducet vos in omnem veritatem:* γ) Magisterium extrinsecum Apostol. erit conforme notitiae acceptae et magisterio Sp. S. seu in apprehendendo et lo-

quendo sequuntur magisterium Sp. S. « *Accipietis virtutum Sp. S. et eritis mihi testes.* Sed ex his constat immunitas ab errore Magisterio necessaria.

3. *Magisterium Ap. est certa et sufficiens norma fidei omnibus eos audituris.* Nam hoc intendebatur a Christo D. per charisma infallibilitatis ut sc. ceteri Apostolos audirent et crederent quae ab ipsis praedicarentur : quod sponte consequebatur ex certa persuasione de ipsorum infallibili testimonio. Ex hoc testimonio simul prodeunt et factum divinae revelationis, et veritatis revelatae : ergo magisterium Apost. est *norma certa et infallibilis* fidei qua infallibiliter manifestat et factum divinae revelationis et res revelatae. — Sed est etiam norma sufficiens pro omnibus... quia Apostoli ex magisterio Sp. S. noverant omnia credenda; sed eorum testificatio erat infallibilis: ergo sunt testes praediti scientia et veracitate. Sed huiusmodi testimonium est sufficiens ut certo constet rem se habere ita ut testis affirmat.

N. 58.

IV. Ex dictis sequitur Christum D. instituisse Magisterium Apostolicum a) ut supremum et irrefragabilem iudicem in omnibus quaestionibus fidei, b) nec non authenticum et necessarium interpretem Scripturam c) quas ab Apostolis accipere fideles oportebat.

1. Christus constituit Magisterium Apostol. supremum et irrefragabilem iudicem quaestionum. Cum ipse voluerit certam esse ac firmam discipulorum fidem ad Eph, IV, 13, 14. eamque inniti magisterio Apostol. voluit etiam omnes actus huius magisterii necessarios pro gignenda firmandaque discipulorum fide: sed hi actus necessarii sunt definitio quaestionum seu sententia, certa, lata. Et cum magisterium hoc sit infallibile quaestiones definiri debent infallibiliter, seu definitio est irrefragabilis. — Facto quoque id comprobant fideles cum iam ab initio Ecclesiae appellarunt ad vivum magisterium ac seniorum primitivae Ecclesiae Tit. XV. 1, 23. — Dictum est quoque Apostolis *Quaecumq. alligaveritis, quaecumq. solveritis.* Iamvero docendo ligant quâ obligationem imponunt fidelibus credendi quod docent. Sed haec auctoritas ligandi tanta est ut quod ipsi ligaverint, ligatum sit quoque a Deo in caelis, ut idcirco nemo solvere possit quod ligant Apostoli, nemo obligationem tollere quam illi imponunt: sicut nemo obligationem tollit quam Deus imponit. Sed talis auctoritas imponendi obligationem credendi quod quis docet, est propria ultimi et supremi iudicis in quaestionibus fidei.

2. Authenticus et necessarius interpres Scripturarum is est, qui Scripturas ex auctoritate divinitus accepta interpretatur et cuius interpretatio necessario est tenenda. Sed talis interpres in Ecclesia est magister infallibilis necessarius omnium veritatum credendarum; quia cum veritates in Scripturis contentae etiam credendae sint, qui est magister omnium veritatum credendarum erit et ipsarum magister prout continentur in Scripturis, seu qua est interpretans scripturas, et si est infallibilis magister, infallibiliter interpretabitur : atqui Apostoli sunt tales magistri et quidem necessarii sc. quorum ope omnes veritates credendae in Ecclesia, tradi debent : omnis scil. veritas fidei eis est communicata ut traderent fidelibus.

3. Fideles accipere debent Scripturas ab Apostolis. Certos libros esse Scriptu-

ras seu Verbum Dei scriptum continere est veritas revelata, credenda non secus ac alia : sed omnis veritas credenda in Eccl. ab Apostolis tradenda erat, atque per Apostol. magisterium discenda a fidelibus. E.

N. 59.

V. « Ad huiusmodi porro magisterium maxime pertinet ut sit perpetuum in Ecclesia ».

Patet id a) ex verbis X. mittentis Apostolos : ubi enim dixit « *euntes docete*... addit *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi,* Mth. XXVIII, 20. Heic το *Ego vobiscum sum* solemne est pro praesenti auxilio Dei praestito hominibus ad aliquod opus, ad quod a Deo destinatur: Christus alloquens Ap. hos spectat prout executuri erant aliquod opus sibi a Deo commissum: sed hoc opus erant Magisterium, quo discipulos sibi facerent, eos baptismo obsignantes, et docentes quaecumque Dnus mandavit. Promittit autem huic magisterio auxilium suum seu se ipsi adfuturum usque ad consummationem saeculi. Christus D. vero usque ad consummationem saeculi cum Apostolis esse potest non aliter adfuturus quam vel qua ipsae personae Apostolor. victurae usque ad finem saeculorum, vel qua hi continuos successores habituri essent: quod enim toti successioni quis dicere velit, recte primis affirmat spectatis ut primis, qua sc. perpetuos habituris haeredes. Sed historia constat 1.m excludi : ergo restat 2.m Et cum in hoc loco Mth. de perennitate actus magisterii sermo est, huic consonare debet illud Mrc, XVI, 15, 16 « *Qui crediderit* » scil. vobis praedicantibus, non solum verbum a vobis ab initio praedicatum. *Confirm.* Christus D. *oravit* pro *omnibus in se credituris* non tantum 1. saeculo sed usque ad finem mundi : sed credituros dicit per verbum seu magisterium Apostol. ergo hoc est perenne.

b) *Ex perennitate Eccl.* Christus D. ita instituit Ecclesiam suam ut esset societas magistrorum et discipulorum ita ut haec habitudo necessaria foret pro fine ipsius Eccl. qui est professio doctrinae a Deo revelatae et observatio mandatorum Christi quorum notitiam voluit pendere a Magisterio. Sed Eccl. Christi est perpetua et indefectibilis, talis sc. semper quam Christus instituit, et nulla est unquam humana potestas mutandi in hoc regno constitutionem, quam a divino Fundatore accepit. Vidimus enim stare Ecclesiam fundamento sito in auctoritate collata personae regendi et docendi, sed fundamentum est necessarium aedificio, ac tamdiu durare debet quamdiu aedificium.

c) Apostoli fundarunt de facto Eccl. iuxta normam a Christo praefixam. Fundantes ecclesias singulis praeficiebant praepositos Act. XIV. 23 cuiusmodi certo erant qui dicebantur Episcopi 1. Tim. III, 51. — Sed horum munus erat certe *docere*; 2 ad Tim. I, 8 ubi v. 13-14, Tit. I, 9.

d) Hanc oeconomiam institutam ab Apostolis Patres Apostolici agnovere et necessariam ac perpetuam fassi sunt : *Clem. Rom.* ep. ad Cor. 42-44.

e) Ex sensu perenni Eccl.; semper enim exortae fidei controversiae auctoritate decisae sunt vel Synodum vel Apostolicae Sedis, quâ ab eis definitus est sensus doctrinae ab apostolis traditae vel Scripturis contentae.

N. 60.

Assert. VI. « Successores autem Apostolorum in eodem perenni Ecclesiae magisterio sunt qui in monumentis ecclesiasticis veniunt nomine Episcoporum.

Certe ex institutione Christi, Epi sunt rectores et pastores singularum Ecclesiarum ut vidimus supra : regimen vero ovium in societate credentium absque auctoritate docendi esse nequit. — Ex ead. Christi institutione plures debent esse simpliciter magistri (etsi cum subordinatione ad unum): Christus enim non unam personam sed collegium apostolicum auctoritate docendi instruxit : collegio autem unus ordo plurium succedit si Ecclesia eo pacto durare debet quo instituta est. — Atqui non est alius ordo magistrorum succedens Apostol. collegio, huius iura et officia obtinens, quam ordo Eporum ; patet a) ex ratione agendi Apostol. qui Epis a se institutis munus docendi commiserunt 1, Tim. III, 15; IV, 6, 11, 16; VI, 20 — 2. Tim. I, 9, 13; II, 14, 16; IV, 2. — Tit. II 1, 6-8; III, 1, 2, 9, 10; idemque voluerunt tradi Epis qui ab iis instituerentur 1, Tim. III, 2. — Patet b) ex antiquae Eccl. sensu qui ex testimonio Clem. supra cit. et ex eo quod cum quaestiones fidei solvendae essent vel quaereretur quid tenendum cum constaret doctrinam eam tenendam quam Apostoli tradiderunt, provocabatur pro ea cognoscenda ad testimonium Episcoporum, quorum series ab initio decursus habuerit auctorem Apostolum vel aliquem ab Apostolo institutum. Sed hoc aliud non est quam spectare Episcopos ut legitimos Apostolorum successores in magisterio cf. Iren. l. 3.

Cf. Card. Segna opus citat. ubi 2.ª parte maximam partem assertum hoc nostrum confirmatur . . .

N. 61.

Assert. VII. Depositum Veritatum revelatarum credendarum in Ecclesia integrum fuit a Deo Apostolis traditum et ab Apostolis Ecclesiae ita ut eorum successores nullam novam revelationem sibi polliceri, sed, quae ab initio facta est conservare et propagare debeant.

Prob. Nam Apostoli instituentes alios post se magistros, diserte monuerunt, ut ii ea traderent, quae ab Apostolis acceperant 2, Tim. II, 2, I, 13, ut depositum doctrinae ipsis traditum custodirent, 1, Tim. VI, 20; 2, Tim. I, 14, ut permanerent in iis quae didicerant et ipsis credita fuerant, scientes a quibus didicerant 2, Tim. III, 14, nulla unquam mentione facta possibilis novae revelationis et modi quo ea discernenda et suscipienda esset; imo Paulus aperte pronuntiat « *sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis praeter quam quod evangelizavimus vobis A. S. et Christus* Dnus eiusque Apostoli instanter inculcant usque ad saeculi consummationem cavendum sibi esse sollicite ab iis qui *aliam* seu *novam* proponerent doctrinam : ex alia vero parte usque ad finem saec. se fore promittit Christus D. cum magisterio a se instituto seu Ecclesia plane audienda nisi velit esse ethnicus et publicanus.

Insuper a) semper viguit fides in Eccl. Apostolor. successores esse testes et custodes depositi seu doctrinae apostolicae, cui nil addi possit, nihil detrahi.

Vinc. Lir. commonit. c. 32, Hier. in ps. 86 — b) Vnde novitas doctrinae semper habita fuit nota *haeresis*, et apostolicitas character necessarius doctrinae fidei — c) controversia de fide oborta primum semper fuit ut inquireretur utrum doctrina controversa contineretur divinis libris vel traditione apostolica: Tertull. de praescr. c. 8.

N. 62.

Assert. VIII. — Cum dictae doctrinae Apostolorum immobilitate non repugnat, imo coharet scientificus progressus, quod doctrina ab initio tradita evolvatur et explicetur in dies h. e. distinctius apprehendatur et plenius intelligatur.

Decl. et prob. — Etsi ut vidimus nullus in N. T. admitti possit revelationis profectus seu incrementum obiectivum, tamen concedi debet profectus subiectivus seu explicationis et intelligentiae, quo vel Eccl. sub directione S. Spiritus vel fideles ipsum revelationis depositum clarius perspiciunt, altius penetrant, et articulatius attingunt S. Th 2, 2, q. 1 a. 7. Franzelin de trad. th. 26. a) Si enim quaelibet scientia huiusmodi profectus capax est, cur non et scientia fidei: b) semper enim veritates etiam revelatae non lapidum sed seminum instar habentur et quo altiores eo fecundiores ac feraciores conclusionum: et intellectus in percipiendis hisce veritatibus se habet agri instar plus minus fertilis et haec semina explicanda et excolenda, accedente praesertim industria et calore solis supern.lis i. e. illustrationis Sp. S. Cf. Vinc. Lir. commonit. c. 23.

Harum veritatum vero profectus et explicatio fit ope analysis eiusdem veritatis et collatione cum aliis ut a conceptu minus claro et confuso ad conceptum distinctum et completum eiusdem perveniamus, atque adeo omnia eius elementa, habitudines, nexus, percipiamus: qua in re nil obiective novi, sed solum novam utique praestantiorem notitiam eiusdem rei habemus. — Hinc ex eo quod nulla nova veritas seu revelata accedere potest deposito revelationis, non impeditur intellectus catholicus successu temporis assequi perfectiorem notitiam quam quae prius habebatur earumd. veritatum, quae semper creduntur sive implicite, sive explicite. — Ratio necessitatis huius profectus petenda est tum ex parte huiusmodi veritatum revelatarum, quae singula plura in se secernibilia continent, quam quae ordinarie possint primo obtutu singillatim percipi, tum ex parte humanis intellectus qui a notis ad ignota, a confusis ad distincta procedit, quisque ad analysim dictam instituendam solet fere determinari aliqua accidentali causa.

Historia autem teste eiusmodi causae fuerunt plerumque exortae haereses vel disputationes inter catholicos, ut DD. mens acueretur, profundius dogma investigaretur et in luce evidentiori collocaretur. — Hic autem est profectus *scientificus* quia a) analysi fit, quae est actus scientiae, b) per quam analysim ratio intrinseca, quantum fieri potest, veritatum et nexus huius cum illa percipitur; atque ita omnes veritates sive ad unum capitale sive ad cuncta tandem dogmata spectantes coordinari et subordinari possunt in unum logicum systema quod sane opus est *scientiae*.

N. 63.

Assert. IX. Secundo loco recensentur cum authenticis Magistris successoribus Apostolor. ii, qui extra ordinem Eporum in consensu ecclesiastici Magisterii docentes doctrinam apostolicam referunt et illustrant et quorum doctrinalis expositio Magisterio est probata.

Constat esse in Eccl. hos viros pios et doctos probatos ex quibus notitiam certam haurire possimus doctrinae et eccl.ci magisterii, et traditionis Apostolicae, si Eccl.co Magisterio probati sint. Sed constat esse probatos: nam vel hoc ab eo declaratur explicito solemni suffragio e. g. si quis Eccl.ae Doctor appellatur: vel cum alicuius testimonium invocatur in oecumenicis Concil. aut a suprema auctoritate docendi, vel cum ad alicuius viri doctrinam generatim in Eccl. ipso Magisterio sciente provocatur in quaestionibus fidei, vel cum viri docti alicuius aetatis aliquid communiter tradiderunt in materia fidei ecclesiastico Magisterio non refragante. Hi namque, etsi non sint authentici magistri, quia divina missio ipsis non est facta in Apostolis, tamen quia ex probatione eccl. Magisterii constat eos apostolicam tradere doctrinam sponte iidem evadunt fons unde eam haurire fideles tuto valeant. Ita inter testes traditionis et doctrinae dogmaticae lumina computantur Iustinus, Hieronymus, Prosper, Vincentius Lirinen., Beda, Damascenus, Bernardus, Thomas, aliique quos longum esset enumerare et generatim D. D. Scholasticos aliquid unanimiter docentes in materia fidei.

N. 64.

Assert. X. In dictis Magistris 1.i et 2.i ordinis duplex munus distinguitur sicut in Apostolis, testis sc. et doctoris Duplex quoque praerogativa distinguenda est, antiquitas et sapientia: propter illam Patres, propter hanc doctores pressiori sensu, audiunt.

Quibus Apostolos probavimus testes et Doctores eadem arg.ta valent pro eorum successoribus, tum quia eiusdem magisterii haeredes sunt, tum quia sequentibus aetatibus post Apostolos non solum necesse fuit continue testari quod ab initio traditum erat, sed illud declarare, explicare, tueri : proficere enim potest intellectus catholicus, et semper novi hostes insurgent in Eccles. — Pro 2.a p. cf. quae de SS. PP. diximus de fontibus Iur. can. in lib. Isagog.

N. 65.

Assert. XI. Ex X.i institutione, authentici ac perpetui in Eccl. Magistri sc. successores Apostolor. in authent. magisterio qui sunt omnes Epi, in unitate docere debent, principium que inter eos efficiens unitatis constitutum est ut idcirco tunc ius haberent illi docendi cum huic principio unitatis adhaererent.

Ex una enim parte a Christo D. missio docendi Mth. XXVIII, 19, 20 sicut et regendi ib. XVIII, 18, ac sanctificandi Io. XX, 23, facta est non singulis Apostolis seorsim (excepto Petro) sed omnibus simul sumptis: scil. collegium apostol. auctum est potestate docendi : voluit ergo ut singuli docerent prout mem-

bra erant unius Collegii: conferre enim collegio seu corpori morali alicui auctoritatem docendi, idem est ac unum principium magisterii constituere. Et quidem unum principium unitate non obiectiva sed subiectiva. Nam unitatem obiectivam voluit Christus D. hoc ipso quod iussit suam doctrinam ab omnibus a se missis praedicari quae necessario una est ut idcirco inferat unitatem obiectivam in Magisterio Collegio seu Corpori morali potestatem dedit Christus docendi; sed corpus unum morale auctoritatem auctum obtinet unitatem *subiecti* quod est prius qualibet actione sua; hinc Christus voluit unitatem in Magisterio quae esset priori unitate obiectiva in docendo.

Ex alia vero parte unitatem corporis moralis magistrorum in Apostolis instituit Christus D. instituens principium efficiens unitatis perpetuum i. e. auctum suprema auctoritate cui tamquam capiti subessent ceteri D. D. et quorum corpus efficerent. Haec porro auctoritas capitis superior qua corpus sub ipso potiretur et perpetuo extitura eadem in singulis successoribus ratio fuit cur ipsi uni seorsim ab aliis promissiones fierent et iura conferrentur. Ergo....

N. 66.

Assert. XII. Magisterium authenticum in Eccl. a) auctum est a Christo D. praerogativa infallibilitatis, et b) universalis consensus Magistrorum una cum suo capite docentium est infallibilis sive una simul sint collecti, sive singuli in suis Cathedris sedeant: c) ita tamen ut si dissensus accidat inter magistros doctrina eius, qui primas inter eos tenet, sit sequenda sive eum eo maior sive minor pars ante definitionem consentiat.

Decl. et prob. 1. p. Ad infallibilitatem requiritur 1. ut factum erroris excludatur. 2. excludatur necessario sive absolute ut in Deo, sive hypotheticae h. e. supposita aliqua assistentia Dei ita ut non modo error sed erroris possibilitas removeatur: 3. quod talis praerogativa magisterii pubblice certo constet: quia magisterium non pro se sed pro universa Eccl. est institutum cui nullatenus prodesset si de eius immunitate ab errore dubitari posset. Hac parte volumus probare Deum consuluisse conservationi depositi veritatum revelatarum ut perpetuo extiturum Magisterium perpetua infallibilitatis praerogativa gauderet, ut singulis aetatibus non secus ac Apostolica aetate collegium magistrorum in sua unitate perseverans, esset infallibile.

1. Constat ex Marc. XVI, 15, 16. « Praedicate evang. omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur » quibus Christus Dnus non solum Apostolos sed et horum successores alloquitur. Fides porro evangelio est fides divina, qua Deo revelanti credimus evangelium. Sed nequit credi Deo revelanti id quod constat posse esse falsum, quod iure dubitamus an sit a Deo revelatum: hic enim esset actus contradictorius et Deo iniuriosus. Insuper nequeunt puniri poena aeterna qui non credunt id quod cum sit rationi impervium accipitur tantum *ab iis* qui erroneam doctrinam proferre possunt, vel per eos, qui errare possunt in referenda doctrina primitus tradita a Magisterio infallibili.

« Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quacumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. » Certe his ver-

bis magisterium vivens constitutum pro omnibus perpetuum usque ad consumationem saeculi quibuscum sic docentibus se adfuturum promittit Deus: sed ubicumque Deus dicitur fore cum aliquo toties ea signatur assistentia quae in negotio pro quo promissa est, nullum patitur lapsum et omnem praecavet ab intento fine defectionem. Porro Apostolis eorumque in perpetuum successoribus promittitur assistentia Christi continua et numquam interrupta relate ad docendum omnia quaecumque in evangelica revelatione continentur. Ergo.

Ioan. XIV. 16. « Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum spiritum veritatis quem mundus non potest accipere: » ubi promittitur Spiritus S. sub ratione spiritus veritatis mansurus cum Apostolis in sempiternum: sed fieri nequit ut ii quibuscum manet spiritus veritatis quamdiu cum eis manet, eique assistit a veritatis regula aberrent. — Asserit Paul. ad Eph. IV. 11 a Christo positos pastores et doctores donec veniat SS. consumatio *ut iam* non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; sed dictum magisterium seu corpus pastorum et doctorum id non posset praestare si obnoxium foret errori. Ergo.. cf. Franzelin de Traditione thes. v. §. 3.

2. Pars. Nam magisterium cum docet est infallibile: sed exsistente consensu universali magistrorum una cum capite nil amplius desiderari potest ut habeatur magisterium docens. Ergo. Dixi *sive una collecti sint, sive in suis sedibus singuli maneant* quia ad exercitium magisterii opus non est certo loco, nec conventu magistrorum locali. Nam singuli in suis Ecclesiis manentes unum coetum constituunt non secus ac Eccl. per universum orbem dispersa, eumque caetum constituunt, cui facta est promissio infallibilitatis: ecce ego vobiscum (docentibus) sum omnibus diebus non solum cum conveniant omnes in unum locum, sed omnibus diebus, semper.

3. Pars. patet ex suprema auctoritate docendi R. P. supra probata a) cui sc. vel ad quam *oportet omnem* convenire Ecclesiam propter potentiorem principalitatem . . . ergo etiam in docendo. b) Insuper confirmatio Rom. Pficis fuit semper necessaria cuilibet definitioni aut decreto conciliari . . . ergo maior pars aliud sentiens a Capite praevalere non potest.

N. 67.

Assert. XIII. — « MAGISTERIUM AB APOSTOLIS INCOEPTUM ET IN EORUM SUCCESSORES PERENNITER CONTINUATUM EX DICTIS NECESSARIUM EST, NEQUE S. SCRIPTURA PER SE SOLAM SUFFICIENS EST MEDIUM COGNOSCENDAE REVELATIONIS ».

Illud necessarium quod ex Christi institutione non potest non esse in Ecclesia. Sed ex iis quae supra diximus manifesta est haec institutio pertinens ad Constitutionem Eccl. vivi sc. ac perennis Magisterii, quod revelationis depositum possidens, doctrinam fidei proponit, seu scripturas interpretans seu etiam, sine usu scripturarum, auctoritate sua docens, et cui adstipulatur in singulis Spiritus S. eos movens ad ei credendum.

Sola scriptura non sufficit: 1. enim debet probari absque auctoritate S. Scripturae hunc librum esse reapse Scripturam, continere verbum Dei et iis

non aliis partibus constare. Sed haec ex ipsa S. Scriptura cognosci nequeunt. Ergo nonnisi via distincta a Scriptura ; quae via, experientia teste, non est immediata quaedam Dei revelatio et inspiratio. Unde restat magisterium infallibile vivum perenne, tradens omnem veritatem . . . Utique historica et critica traditione demonstrari possent *utcumque* genuinitas, veracitas, integritas S. Scripturae et quod ea contineat doctrinam divinam, tamen haec nequeunt probari. a) quoad omnes textus b) et pro omnibus qui credere tenentur, quia maxima hominum pars incapax est aggrediendi vel percipiendi demonstrationem: c) ea *securitate et certitudine* quae obortis dubiis par sit controversiae dirimendae *authentice*. Unde aliud principium non restat quam ipsum authenticum magisterium seu praedicatio ecclesiastica authentica sub assistentia Sp. S. quae sola est principium universale accommodatum omnibus, ad omnes libros librorumque partes tuto cognoscendos, ad controversias omnes pro omnium captu definiendas. — Ad hoc authenticum Magisterium vidimus a) spectare non modo S. Scripturae doctrinam (quae antequam scriptis consignaretur orali Apostolor. praedicatione promulgata et cum fuerit scripta eadem ratione i. e. viva voce magisterii ecclesiastici propagata semper fuit); sed etiam doctrinam *de S. Scriptura* quae integra saltem ipsis S. Literis non continetur: b) S. Scripturam intelligendam secundum hoc auth. magisterium quae explicatius et uberius proponit quae obscurius et brevius divinis literis continentur. c) Id patet quoque ex *theoretico* Patrum suffragio qui passim inculcant non omnia sive credenda sive ex voluntate Christi agenda SS. Scripturis contineri: d) *practice* ad hanc provocant praedicationem seu magisterium, cum revera plura quae spectant vel ad doctrinam vel ad disciplinam ecclesiastic. et ex script. vel nullatenus vel non satis probari possunt.

N. 68

Assert. XIV. — Huius Magisterii infallibilitas ad alia se porrigit quam meras veritates revelatas.

Decl. In hac prop. prob. I.^{m} quod infallibile Magisterium se porrigat ad omnem verit. revelatam. II.^{m} praeter has etiam ad alias non revelatas, quae tamen connexionem specialem habent cum revelatis.

Prob. 1. p. Tum ex verbis, quibus Christus praerogativam infallibilitatis contulit, tum ex fine, quem in ea conferenda intendit obiectum infallibilitatis non minus patet quam ipsa patet revelatio christiana. Nam Christus D. *Io. XIV, 16 coll. XVI, 13* promittit Sp. S. qui ducat Eccl. in *omnem veritatem* a se et voluntate Patris hominibus manifestandam: promittit assistentiam suam omnibus diebus... Magisterio eccl. docenti *quaecumq.* ipse *mandavit* Mth. 28, 20 et praedicanti evangelium qua late patet *Mrc 16, 15.* — *Finis* vero Eccl. Magisterii est totum revelationis depositum conservare, promulgare, atque omnes de eo obortas controversias peremptorie dirimere, ut omnes occurrant in unitatem fidei, ne circa Christi evangelium omni vento doctrinae circumferantur. — Ergo cum Ecclesiae Magisterium sit infallibile quoad omnem veritatem revelatam, patet esse infallibile etiam a) in agnoscendis, recensendis, exponendis libris divinitus inspiratis, et aliis traditionis divinae fontibus: b) in proponendis et e-

narrandis symbolis et canonibus dogmaticis . . . c) in explicandis praeceptis moralibus et consiliis evangelicis.

Decl. et prob. 2. p. Sunt veritates quae revelatae non sunt, sed cum his ita connexionem habent, quod veritatum licet non revelatarum certitudine deficiente, sive permisso errore iisdem adverso, a) vel subiectiva fides fidelium circa aliqua dogmata consistere non possit, deficiente veluti aliqua conditione, b) vel fidei obiectiva integritas penes fideles animarumque salus plus minus periclitetur. Priores tales sunt quarum certitudo nobis necessaria est ut aliquid aliud sit certum e. g. auctoritas infallibilis definientis immaculatum conceptum B. M. V. huic definitioni extrinseca. Posteriores tales sunt quarum veritas necessaria ut aliquid sit verum. Id porro cuius veritas necessaria est ut aliud sit verum, quod idcirco huiusmodi est ut si ipsum sit falsum et aliud quoque falsum sit oporteat, est ita intrinsece nexum cum veritate huius alterius ut sit elementum quoddam adequatae veritatis eius et contineatur comprehensione eius veritatis e. g. elementum veritatis de animi immortalitate est eius spiritualitas.

Porro ad priores spectant quae dicuntur facta dogmatica. Ad posteriores spectant a) alia rursus in facto posita sc. *textus* qui dicuntur *dogmatici* humanae quidem originis sed quoad doctrinam, quam continent, conformes vel difformes doctrinae revelatae: in quibus veritas necessaria scitu est utrum hi textus sint nec ne conformes veritati, utrum nec ne haeresim aut errorem contineant; b) plures veritates sive speculativae sive practicae adversae iis propositionibus ex quibus periculum fidei vel animarum salutis consequi potest.

Monendum quoque Eccl. institutam ut homines in salutem reducat, deduci autem primo tradendo salutarem doctrinam et errores saluti infestas removendo; ergo finis postulat ut ipsa sit magistra omnis veritatis salutaris et per eam cavere possint homines errores hominum saluti obnoxios. Iamvero prout Eccl. docet et errores proscribit id exequens auctoritate coactive, est *magistra veritatis*, prout sua auctoritate coactiva controversiae finiuntur *iudex doctrinae* prout docens vel iudicans refert eam veritatem, quam *a Deo revelante accepit*, *testis veritatis* audit. Iamvero dicimus non eatenus tantum patet munus magisterii quatenus patet munus testis sed *auctoritas magisterii* Eccl. a) sese porrigit ad veritates non revelatas circa quas b) est etiam infallibilis.

Patet 1.m quia Eccl. magisterium dirigere debet fideles in salutem per veram doctrinam: ergo docere debet id omne quod scitu necessarium vel utile est ad salutem atque adeo omnes removere errores qui saluti fidelium essent impedimento — Insuper si magisterio commissum sit depositum integre et inviolate custodiendum, ergo officium quoque incumbit, ne credendum aut tenendum proponatur quod veram notitiam fidei labefactare posset: sed plures sunt veritates non revelatae, quas necesse est vel utile scire: plures sunt errores, etsi non directe oppositi veritatibus revelatis, quos ceu tales cognoscere rursus necesse est vel utile cognoscere, ut fides integra et illibata in fidelium mentibus conservetur, ut periculum verae amittendae fidei caveatur atque ita viam salutis tuto arripere valeant fideles. —

Praxis et doctrina Eccl. est, quod praeter haereses, proscripsit et errores adversos veritatibus, quae fide supponit, vel quae ex fide et ratione deducuntur Cf. quoad

textus dogmaticos conc. V. coactum pro proscribendis tribus Capitulis: quoad facta dogmatica Mart. V. Bul. *Inter cunctas* praecipiens interrogari suspectos « utrum credant quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor b. Petri habens supremam auctoritatem in Eccl. Dei »; ubi per *to persona eius nomine e proprio expresso* e. g. Leo XIII. est successor Petri habens auctoritatem in Eccl. est factum dogmaticum ; cui fidem exigit.... Ergo.

Patet 2.m circa quas sc. est etiam infallibile Magisterium. Nam hoc debet esse infallibile in custodiendo deposito fidei: est enim columna et firmamentum veritatis: ergo debet esse infallibile in iis actibus, quibus depositum fidei custoditur: sed eiusmodi actus non sunt solum definitiones dogmatis revelati, et haeresis condemnationes, sed et ii, quibus errores proscribuntur, ex quibus damnum fidei oriri potest, quibus oppositae veritates statuuntur ad textuum dogmaticorum sensum determinandum. — Item eo se porrigit infallibilitas, dos necessaria Magisterii quo ex officio sibi imposito se porrigit auctoritas docendi: sed haec complectitur et alias veritates. — Dixi supra id omne quod scitu necessarium est vel *utile*, quia si notitia certa eius veritatis utilis est pro tuenda integritate dogmatis aut salute animarum, vel si pariter ad eumd. finem utile est nosse propositionem aliquam esse ceu falsam reiicendam, iam adest connexio eius veritatis cum dogmate, quatenus conduceret ad illud labefactandum: sed Ecclesia ius habens ad finem, ius habet ad id quod est utile ad finem, ergo et ad definiendam veritatem cuius notitia utilis est ad finem. Hinc merito ius sibi vindicat Eccl. praeter censuram haeresis censuris aliis notandi propositiones, quibus fides et honesti mores impetantur.

N. 69.

Coroll. I. — Si cum authentico Magisterio scripturae s. comparentur, illud primo tenendum est, etiamsi verum foret omne verbum revelatum scripturis fuisse consignatum vim et necessitatem magisterii integram manere, ac decipi Protestantes cum omnem quaestionem revocant ad exsistentiam quarumdam traditionum non scriptarum.

Coroll. II. — Pressius comparatis invicem magisterio et scripturis, e primo ratione habita rei contentae, haec est eorum habitudo, utrumque continet verbum Dei at non eodem pacto: quoad modum enim origines huius verbi, a Deo praestant scripturae, quoad plenitudinem eiusdem verbi, si sermo sit de Verbo propter se revelato praestat magisterium; si autem consideretur etiam Verbum quod propter aliud Deus est locutus, praestant rursus Scripturae.

Coroll. III. Ratione deinde habita auctoritatis absolute quidem pares sunt Scripturae et Magisterium: relative vero quod nos a) *prius est Magisterium, quod scripturas tradere debet.* b) *scripturae sunt quidem authenticum instrumentum, at magisterium est earum authenticus interpres, qui* c) *et quaestiones de eo exortas sua auctoritate finire debet. Tandem* d) *Magisterium non scriptura necessarium est pro evangelii propagatione et fundatione Ecclesiarum. Cf. Palmieri pro hoc et antec. Coroll. in proleg. de Eccl. §. XLI-XLIII.*

CAPUT II.

DE MODIS PRAECIPUIS EXPLICANDI DICTAM DOCTRINAM.

§. 1. *Definitiones et symbola fidei.*

N. 70.

1. De iure — Cum Ecclesiae Magisterium sit sensibile et in suo exercitio sit infallibile, necesse est ut et forma quoque sensibilis qua veritas repraesentatur, infallibiliter sit vera non alia infallibilitate quam ipsa infallibilitate Magisterii quod est essentialiter sociale et sensibile; involvit enim discipulos seu homines docendos infallibiliter seu sensibili modo. Haec autem forma sunt propositiones ex verbis constantes quorum significatio iam fixa et nota est ac esse debet, quamvis Eccl. nova vocabula cudere possit, vel verbis sensum determinare si multiplex esse possit. Dixi sunt propositiones verbis constantes, etsi aliis signis Eccl. uti valeat « Dixi *infallibiliter* sit vera, secus, non obtinetur finis qui est ut veritas manifestetur et error profligetur.

1. Paul. ad Rom. 10, 10. « Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem, postulat professionem fidei, sed haec sine certis verborum formulis fieri nequit: professio autem fidei vera esse debet et sub magisterii Eccl. directione facienda est. Ergo hoc magisterium debet esse immune ab errore in determinatione earundem formularum. Hinc ep. 2 Tim. c. I, v. 13, praecipit ut formam habeat (Timotheus) sanorum verborum atque utrumque requirit formam sc. sanorum verborum et custodiam boni depositi, formam ait sanorum verborum, quae a me audisti in fide et dilectione Iesu Christi bonum depositum custodi per Sp. S. qui habitat in nobis.

2. *De facto Ecclesia plures professiones* fidei proposuit cum obbligatione credendi id, quod iis continetur h. e. per eas secundum usum communem loquendi significatur: hinc sanctio certorum terminorum, quibus fidei dogma certissime repraesentaretur e. g. ὁμοούσιος, θεοτόκος transubstantiatio; et uti haeretici habiti sunt quicumque dictorum terminorum verum sensum negarent vel eosdem improbarent.

Quod de propositionibus definientibus veram doctrinam quae verbis constat, idem de aliis signis dicendum est e. g. de picturis et imaginibus quibus Eccl. ordinario et universalis magisterio doctrinam fidei repraesentat: sed haec praeterimus sermonem coarctantes ad verba et verborum formulas quibus doctrina fidei maxime exhibetur.

3. Itaque diximus in genere de verborum propositionibus seu definitionibus quibus definitiva sententia ab Ecclesia doctrina proponitur: nunc pauca in specie *de symbolis et de professione fidei, quibus* sub certa verborum formula fides a fidelibus postulatur.

De symbolis animadvertisse sufficiat: a) symbolum consistere « in compendiaria recensione eorum, quae Catholica fides docet, quaeque a nobis firmiter credenda et retinenda sunt... Dicitur etiam symbolum fidei regula, definitio

expositio et interdum etiam lectio, quoniam e cathechistis memoriter discebatur. » Devoti ius Eccl. univ. l. 1, t. 1, n. IV. — b) Novum symbolum condere ad unum Rom. Pontificem spectat, vel solum vel una cum Concil. oecumen. — Dixi *unum* R. P.: quia Epi sive singuli sive in peculiaribus Conciliis carent praerogativa infallibilis magisterii. — c) Duplicem symbolorum speciem distingui: 1. quae in S. lithurgia vel officiis divinis et universim in ritibus eccl.cis; 2. quae extra illas functiones in usu Eccl. adhibentur. — d) necessitatem et diversitatem docet *S. Th. 2. 2. q. a. 10.* — e) Inter caetera symbola et Professiones fidei celeberrima sunt 1. Symbolum Apostolor. quod semper in Eccl. Rom. usurpatum est hucusque praesertim in baptismo et in breviario, 2. Symbolum Nicaenum, 3. Constantinopolitanum contra errores Macedonii an. 387, 4. Athanasianum: 5. Symbol. Innoc. III quod continetur in formula Professionis fidei praescripta Waldensibus; 6. Symbol. Conc. Later. IV an. 1215: 7. Confessio fidei Michaelis Palaeologi a Greg. X in Concilio Lugdunensi II 1274 acceptata continens symbolum Leonis IX praesertim doctrinam de Sacramentis et praerogativas Sedis Rom. contra Graecos: 8. Symb. Conc. Viennen. 1311. 9. Trident. symbolum duodecim articulis complectens definitiones Tridentini a Pio IV an. 1564 ceu novam professionem fidei constantem ex dictis 12 artic. et simbolum Nicaenum Costantinopolitanum. Hoc nunc, postquam eidem ex Vatic. Conc. pauca addidit Pius IX, adhibetur ad publicam ac solemnem professionem fidei extra lithurgiam.

4. Quod *publica et solemnis professio* fidei sit generatim insigne cultus Dei, fidem roboret, populum aedificet, ad detegendos falsas fratres inserviat, patet.

Speciatim emittenda est 1) a baptizandis vel eorum loco a patrinis per Symbolum Apostolorum. 2) ab iis, qui ex haeresi vel schismate ad Ecclesiam catholicam redeunt, iuxta formam praescriptam c. 9 can. 1 q. 7. Pontif. rom. ordo ad reconciliandos apostatas schismaticos vel haereticos et S. C. S. Off. 20 Iul. 1859 — 3) a Presbyteris iuxta ritum ordinationis solemniter profitentibus Symbolum Apostolorum atque ab Epis in S. consecratione per modum examinis — 4) ab iis qui generatim officium quoddam ecclesiasticum obtinent quales sunt: a) ipse Rom. Pfex coram Collegio Cardin. Concilio oecumenicum in initio celebrationis: b) Praelati electi vel nominati ad epalem dignitatem, c) Episcopi in primo concilio provinciali ad quod accedunt, d) obtinentes qualiacumque beneficia ecclesiastica qui ad synod. dioeces. couvenire debent: e) provisi de beneficiis curam animarum habentibus; f) provisi de canonicatibus et dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus.

5. Tandem professionem hanc emittere debent Praelati Monasteriorum, conventuum, domorum .. Pius IV qui Tridentinum extendit *const. Iniunctum nobis* — 6) Magistri et alii cuiuscumque artis liberalis professores sive Clerici, sive laici *Pius V const in Sacrosanta* — 7) Qui ad gradus literarios in universitatibus promovendi sunt.

Alterius est loci formam et tempus exponere professionis emittendae nec non censuras recensere quae, in negligentes eam omittere, fuerint statutae.

§. 2. *De Praedicatione.*

N. 71.

1. Alter modus explicandi doctrinam christianae religionis est per praedicationem. Nomine praedicationis late heic intelligitur omnis instructio et exhortatio quibus excitantur omnes ad profitendam et exercendam christianam religionem ab eo qui ad verba facienda canonice missus est. Unde intelligitur non modo concio proprie dicta, sed quilibet sermo de religione, etiam catecheses, etiam per Sacras expeditiones, sive ad infideles sive ad fideles directe.

2. Necessitas praedicationis totius christianae Doctrinae nec non ad administrandum verbum Dei canonicae missionis patet a) ex fine totius revelationis, Magisterii institutionis., et ut cetera testimonia missa faciam, vel unus S. Paul. ad Rom. c. X, v. 14-15 apertissime docet « *Fides ex auditu , auditus autem per verbum* » et « *Quomodo audient sine praedicante, aut quomodo praedicabunt nisi mittantur?* b) Hinc praxis perpetua et constans in Ecclesia, hinc varia decreta Concilior. oecumenicorum nominatim *Trid. Sess. V. c. 2 de Ref.* quibus explicatur et imponitur ceu praecipuum Eporum munus ita ut si legitime impediti aut pares non sint ad hoc munus, assumant viros idoneos. *Cf. et Inn. III c. l. De Off. Ordin. Bened. XIV de Synod. l. 9, c. 17, n. 5.*

Dixi *canonice missus:* Canonica missio, quae est positiva deputatio ab auctoritate ecclesiastica facta ad docendam religionem Christianam, patet a) ut dixi vel ipsa instit. magisterii. Christus enim Dnus in Ecclesia sua vivum, perpetuum, infallibile ac necessarium instituit Magisterium quod ceu privo ac nativo iure S. Petro et Collegio Apostolico nec non successoribus suis tradidit exercendum. Ergo hoc munus publicum nemo exercere potest nisi quis in corpus authenticorum Magistrorum fuerit cooptatus, aut nisi fuerit ab illis legitime deputatus — Idem b) liquet ex Trid. Tess. 23, can. 7. « Si quis dixerit eos, qui nec ab eccl.ca et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt legitimos esse *verbi* Dei et Sacramentorum ministros A. S.

Ex dictis consequitur 1.) ad canonicam missionem non sufficere per se declarationem seu approbationem de aptitudine ad praedicandum sed requiri positivam licentiam seu auctoritatem praedicandi vel officio annexam vel delegatam a competente potestate ecclesiastica. 2. Hinc alios dici ordinarios, alios delegatos : illos vocari ordinarios qui munus pastorum in Ecclesia gerunt, quales sunt Rom. Pontifex in universam Ecclesiam, Episcopi in subditos suae dioecesis, Parochi in suos parochianos, ita tamen ut Eporum ordo sit coetus magistrorum iure divino institutorum, parochorum autem officium, cui ius et obligatio praedicandi inhaeret in perpetuum, sit ex iure ecclesiastico. Coeteri vero quibus vel per plures annos munus committitur praedicandi Adventum, Quadragesimam, et alias per brevius tempus praedicationes. . censu delegatorum habendi sunt. 3) Sunt et qui vocant praedicatores *extraordinarios* eos, qui sacris missionibus aut spiritualibus exercitiis populo aut clero suppeditandis dimittuntur.

A quo missio canonica danda sit, patet ex dictis nempe a *praelatis ecclesiasticis* sive saecularibus, sive regularibus, ita ut concionatores regulares etiam in propriis Ecclesiis praedicare nequeant sine Epi loci benedictione accepta, si agatur de verbis ad populum et clerum faciendis, non vero si ad suos confratres et familiares : secus dicendum si de monialibus iurisdictioni regularium subiectis agatur. In Ecclesiis porro saecularibus regulares etiam Ordinarii indigent licentia. Alibi seu in iure canonico dicendum est de materia, forma, loco, tempore, aliisque conditionibus ss. concionum quibus invigilare debent Epi — Interim cf. Ferraris v. *Praedicare;* circa tria quae agenda occurrunt praesertim quoad praedicatores Adventus et Quadragesimae Sc. quis eos approbare, quis nominare, quis stipendium solvere teneatur.

Munus praedicandi christianae religionis adeo praestans et necessarium ut in S. ordinatione diaconatus et presbyteratus, et a fortiori in Eporum consecratione, ceu inter praecipua officia recenseatur; et generatim nonnisi dicti ordinati vel consecrati habiles ad praedicandum iure censentur, atque adeo generatim laici, a fortiori mulieres habiles huic publico muneri non reputantur. Clerici porro in minoribus constituti possunt ab Epo deputari saltem ceu tyrones in hac S. palaestra ad sese exercendos.

2. *Sacrae expeditiones* nominatim fieri possunt 1) ad ethnicas vel acatholicas nationes auctoritate Pficis Rom. relate ad universas gentes, vel Epi relate ad infideles et protestantes qui in suo existerent territorio, et quibus ipse per se vel per alios veram fidem praedicare tenetur, ita ut omnibus incumbat obligatio ex iure divino audiendi eiusmodi praedicantes qui Missionarî audiunt. Hi porro Missionarî in propaganda fide catholica servare tenentur leges divinas atque speciales canonicas sanctiones. Cf. Bened. XIV. *Const. Ex quo 11. Iul. 1742. §. 27.; Const. Omnium sollicitudinum 12. Sept. 1747. S. C. de Prop. fide, collect. 1762.*

2). Fieri quoque Missiones possunt et adhiberi ceu remedium extraordinarium inter christianos, a) quod tanto commendant opere ipsi Rom. Pontifices e. g. Bened. XIV. *Const. Gravissimum 8 Sept. 1745.* et ut alios praeteream Pius IX. lit. encycl. ad Ital. Epos « *Nostis quidem 8 Dec 49 § Equidem* ait » Attamen illorum (sc. Parochorum et concionatorum adventus et quadragesimae) operae adiungere interdum oportet extraordinaria subsidia spiritualium exercitiorum et S. Missionum, quas, ubi operariis idoneis commissae fuerint, valde utiles, benedicente Dno esse constat tum fovendae bonorum pietati tum peccatoribus et longo etiam vitiorum habitu hominibus ad salutarem poenitentiam excitandis, atque adeo ut fidelis populus crescat in scientia Dei et in omni opere bono fructificet, et uberioribus caelestis gratiae auxiliis munitus a perversis inimicorum Ecclesiae doctrinis abhorreat. » Ad hoc autem praeclarissimum SS. Missionum opus praeter Patres S. I., praeter Liguorinos, quos vocant, plures alios Deus religiosos ordines seu Congregationes excitavit peculiari vocatione. c) Hinc nil mirum quod S. C. C. remedium hoc solemne semper habuerit, illudque proposuit, atque Epis commendavit in responsionibus, quas ad relationes de statu dioeceseon ipsis mittit.

§. 3. *De Catechesi.*

N. 72.

1. Cum maximo cordi Ecclesiae sit uniuscuiusque institutio praesertim in christiana doctrina, puerorum, rudium, aliorumque illam ignorantium instructionem catecheticam valde promovit semper et ubique. Est autem instructio catechetica institutio non solum simplex de praecipuis articulis fidei, de morum praeceptis, deque mediis salutis, quae exhibetur diebus praesertim dominicis et aliis festis, in Eccles. parochial. vel scholis elementarib. Sed etiam quae in scholis mediis seu gymnasiis vel lycaeis traditur.

2. Iam necessitas tradendi doctrinam Christianam per se patet. Sufficit tam ad necessitatem quam praestantiam ostendendam indicasse Leon. X. *Const. supernae* qua ipsis magistris impositum fuit ut suis scholaribus explicarent rudimenta fidei. Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 4. de Ref. sess. XXV novas hac de re et accuratiores constituit leges, quas l. c. et ipsa publicatione catechismi rom. a Pio IV. facta, nec non approbatione catechismi Card. Bellarm. per Clem. VIII. et commendatas et executioni mandatas voluit. Cf. et Bened. XIV. *Const. Etsi minime 7. Feb. 1741.* et Bened. XIII. *in Conc. rom.*; Pius IX. *encyc. Nostris 8. Dec. 1849. ad Epos Ital.*

3. Docendae doctrinae christianae habiles censendi sunt qui graviter obligantur ad eam tradendam sive per se, sive per alios: praesertim Pastores Eccl. quibus onus inest gravissimum ut populus sibi commissus sufficienter instruatur atque etiam contra errores modernos muniatur. — Conc. Trid. maxime obligatos voluit tanto muneri obeundo per se et personaliter parochos.

4. Ad Epos autem pertinet non modo personas catechistas approbare, sed formam quoque, locum, tempus et alias conditiones catechesim tradendae determinare. Ex dictis patet quaenam materia sit explicanda.

5. Inde sequitur quod cum Eccl. officium gravissimum sit curare ut singuli fideles efficaciter instituantur in christiana doctrina, ius et officium habeat arcendi populum a venenatis pascuis sive per prohibitionem pravorum librorum, sive a scholis removendo quae periculo sint fidelibus sive alias causas subtrahendo. Prohibitionem librorum pravorum iam vidimus factam esse et identidem fieri.

Iam 1.o vol. diximus reprimendam libertatem quosvis libros evulgandi a qualibet societate perfecta; quod asserendum maxime est Ecclesiae: unde haec merito plures libros praevia censura prohibet ne edantur, pluresque alios ne legantur. De libris improbatae lectionis sermo recurrit in iure canonico: nunc in genere. a) Nil indulgendum sed maxime resistendum libertati quaecumque cogitandi evulgandi et legendi cum verba, scripta, libri eo tendant ut corrumpatur fides, depraventur mores, ut mentes errore omne genus inficiantur, ut passiones extimulentur atque ad omne malum voluntas pertrahatur; atqui hic est finis eorum, qui tales libros edunt, ut saltem in discrimen adducant fidem, mores, ordinem socialem . . . b) Quod si omnes leges libertatem humanam semper quadantenus coarctant, idque eo magis quo graviora ac universaliora ad mala avertenda diriguntur: iure merito Ecclesia et societas civilis quosdam

libros prohibet ne edantur, quosdam ne legantur. Quod si per leges arcendi sunt, quam longissime fieri potest, qnotquot religionis unice verae hostes publici reperiantur in regno, per easdem libri quoque pravi arcendi quibus veluti praepotentibus armis venenata tela in tranquillos socios immittuntur ab hostibus. Sicut corrumpunt bonos mores colloquia prava: sicut parum fermenti totam massam corrumpit, sicut vel minimum veneni granum totum corpus dissolvit atque vel unus peste correptus integram multitudinem inficiat, atque scintilla una magnum excitat incendium: ita vel unus pravus liber; si enim verba prolata quae de ore in os transeunt, id conficere possunt quanto magis etiam a morte auctoris verba scripto mandata maiori cum maturitate edita? Experientia constat pravos libros valde corrumpere bonos mores, ciere seditiones, proruere religionem. Quos pravos effectus ex libris gigni improbatae lectionis haud mirabitur quis si fraudes ac dolos consideret quibus liber confectus est. « Il pericolo poi d'esser ingannato ait Scotti tom. I, teor. IX, §. VI. . . . . Imperocchè oltre la *magia dello stile* onde sono scritte codeste opere, magia opportunissima a promuovere quel diletto che rende benevolo e quindi attento e docile il legitore, osservansi esse fingere onestà e rispetto per la verità della religione; onde tolgasi quell' orrore che la irreligiosità smascherata ed il vizio fatto palese recherebbero ad un' animo non ancora corrotto. Seguono inoltre un metodo interamente diverso da quello che in disputa di religione seguir si deve da ogni uomo onesto ed amante di verità cioè adoperano sarcasmi e satire contro i ministri della religione spargendo dubbiezze su i misteri rivelati, propongono obiezioni senza principii e senza nesso, e destano nella gioventù il desiderio dell' indipendenza . . . e gli imbevono di massime libertine. Queste poi son pronunciate con tal tuono fermo e sicuro, sgombro d'ogni esitanza e con aria tanto imperiosa che fa mirarlo scrittore quasi in vetta a tutto il genere umano, dinanzi a cui niuno più debba zittire non che possa contradire o rispondere alle di lui asserzioni, ed è questo un mezzo valevolissimo ad accreditare l' impostura presso il volgo de' legitori. Finalmente l' ultima frode più dannevole di tutte le altre sono i racconti turpi e le immagini scandalose che formano d' ordinario l' erudizione ed il pregio de' lavori, il cui veleno si rende del tutto insanabile mercè delle teorie con cui si significa l' iniquità e si autorizza ogni sfogo. Qui non solo il ribrezzo della natura è vinto il che pur opera l' esempio ma il timor ancora della religione è levato, il che è l'effetto delle perniciose dottrine. Ciò che alletta, convince; e l'errore che giustifica poco meno che ogni brutalità, persuade più della verità che la vieta.

Hinc ad n. XI addit. Da tutto ciò ad evidenza si deduce . . . ma non voglio preterire un' altro argomento che sorge dal carattere delle opere, di cui deesi arrestar l' edizione e il divolgamento. Esse dividonsi in irreligiose lascive satiriche e demagogiche. Le prime cui appartengono ancora le superstiziose, le astrologiche, le ingiuriose a' ministri del Santuario e simili offendono tre diritti inviolabili della religione: cioè quello di essere rispettata come la più nobile delle instituzioni a noi venute dal cielo; e l' altro d' esser temuta perchè è un gratuito dono di Dio che può perdersi dallo stato com' è sventuratamente avvenuto a que' paesi in cui il governo non ha badato a custodire la sua integrità; e il terzo d'essere amata come una cagione fecondissima d' immensi beni che produce alla società, quando vi fiorisce. Il mancar dunque al

rispetto, al timor ed all' amore cui siamo obbligati verso un' obbietto così importante che è fondamento dell' ordine sociale non è forse un delitto? E non sarà lodevole il governo, che o lo previene vietando la stampa, in cui il delitto anderebbe commesso, o lo vendica colla proibizione del libro e ne arresta pure i progressi? Per le opere lascive non vi ha dubbio che esse offendano la pubblica morale, in taluni corrompono l' innocenza de' costumi e solleticano in altri le prave passioni ed i costumi già corrotti: perciò chi da Dio ebbe l' incarico di provvedere al ben essere de' popoli, dee prendere tutti i mezzi per impedire che quelle girino impunemente per le mani della moltitudine. Platone per tal motivo bandì i poeti dalla sua repubblica; gli Spartani cacciarono fuori i versi impudichi di Archilogo, ed Augusto proibì le elegie amorose di Ovidio; stimandosi come avverte Plutarco che siffatte produzioni letterarie *turbino* la gioventù e facciale perdere la sanità della mente. Intorno ai libelli famosi già son conte le disposizioni ben vigorose date da Augusto medesimo; mentre tutte le leggi divine ed umane gli han sempre vietato. Ha in fatti il governo un dovere indispensabile di custodire la stima dei cittadini, come quella possessione che è più preziosa delle molte ricchezze, e se non può permettere la dilapidazione di queste molto meno potrà permettere la rapina, che di quella fanno gli autori delle satire. Finalmente le opere demagogiche inspirando nei sudditi dispetto e diffidenza verso l' autorità constituita ed incitandogli alle sedizioni affrontano la pubblica tranquillità e promuovono l' anarchia. Che se questo è il più grave danno, cui possa soggiacere lo Stato; ben s' intende che non debbano i magistrati riguardare con indolenza siffatte produzioni. Sed nunc.

§. 4. *De Scholis.*

Scholae aliae constitutae sunt ab Ecclesia, aliae a gubernio civili, quae proprie sunt laicales. De his nunc satis est dicere cum agatur de literis, scientiis, aliisque profanis rebus tradendi Ecclesiae ius negativum a) interdicendi fidelibus scholas quascumque laicales, quibus inest periculum quoad fidem et mores. b) Ius invigilandi ne in qualibet schola aliquid contra christianam doctrinam tradatur: c) exigendi ut in republica christiana removeantur punianturque qui ei contrarium aliquid attentaverint. Heic adnota quod ex missione Ecclesiae manat Ecclesiam esse altricem atque aeducatricem populorum. Porro cum scholae ad pueritiam ac iuventutem informandam spectant tam quoad intellectum quam quoad voluntatem praesertim relate finem supernaturalem patet ad Ecclesiam maxime spectare curam institutionem, moderamen scholarum: quibus infirmae conditionis atque imbecillis aetatis homines instituuntur.

N. 73.

I. De Scholis clericalibus seu de Seminariis.

Ex dictis supra sequitur praedicatores, rectores, sanctificatores fidelium esse *vim executivam*, quam vocant, ipsius Eccl. in gubernandis intellectu et voluntate totius christianae plebis, unde huic proportionate applicandae leges quae quoad vim executivam societatis civilis obtinent.

Vnde sequitur 1. magistrorum electionem qui canonice plebem seu subditos edoceant, ad supremam Eccl. potestatem essentialiter spectare: hinc Epi, professores, concionatores, et quotquot etiam inter barbaras gentes proficiscuntur magistri, omnes a suprema potestate mediate vel immediate missionem habere debent et organismum accipere; nec non ab ea fundos pro sustentatione repetere (1).

(1) Ad rem Taparelli Corso elementare di diritto naturale in nn. seqq. scilicet 358. A chiarire l'essenzial connesssione che passa fra la teoria sociale e la religione, basta che dimostriamo 1° che divenendo universale la società umana, abbisogna naturalmente di un' associazione religiosa, in cui ella viva: 2° che questa debb' essere soprannaturale per soddisfare appieno la tendenza naturale. Cominciam dalla prima.

Prop. 1. La società universale del genere umano non può esistere se non nell' associazione religiosa.

Prova. La società quanto più cresce di numero tanto abbisogna di maggior perfezione, epperò tanto diviene realmente più perfetta (giacchè senza il bisognevole niun essere potrebbe durare a lungo). Or questa perfezione necessaria non può moralmente aversi, se non nella società religiosa.

La maggiore può provarsi 1° dal fatto, giacché le società rozze non crescono, e le società pagane, che furono talor dalla forza collegate in vastissimi imperii semi-inciviliti, pure mai non giunsero realmente a formare grandi unità sociali, ma solo complessi aggregaticci di società spicciolate. 2° Metafisicamente.

A formar vasta unità sociale ricercasi gran tesoro di verità che congiunga le menti, giacchè è essenziale all' intelletto umano il bramare per sè e comunicare altrui la verità e il respingere la falsità: onde due intelletti discordi sono nella società elementi di scissura.

E scissura tanto più funesta, quanto sono più importanti le materie su cui si aggirano le opinioni, quanto più salde le ragioni per cui ciascuno giudica evidente la propria. Richiedesi inoltre gran valore di educazione che pieghi le volontà, giacché volontà indomite rendono impossibile una vasta estensione di governo (152, 306, seg.)

Richiedesi finalmente gran forza d' organismo che contenga le forze individuali. Or questo triplice incremento costituisce la social perfezione (179, IV). Dunque a somma unità (qual' è la universale) possibile fra uomini, ricercasi la somma possibile perfezione sociale.

Ma questa perfezione, abbiam detto nella minore, non è moralmente possibile se non nella società religiosa. Imperocchè il principe, non possedendo l' infallibilità nel vero, non può appagare gl' intelletti e quietarli (190): all' opposto la religione è precisamente quella che nelle materie più importanti accheta gli intelletti che a lei aderiscono; imperocchè dove mai se non nella religione, trovan eglino la risposta ad ogni gran problema dell' uom morale? dove le notizie dei doveri e la lor sanzione? dove i destini loro e le loro speranze per la vita avvenire? Anzi anche agli stessi temporali interessi la religiosa unità reca sussidio efficacissimo, essendo questa la tutrice più gagliarda dei dritti civili, cui

2. Haec porro organa vis executivae seu magistros et rectores ordinarie investitos esse munere gubernativo, ut aiunt, captivandi dociles intellectus, sed etiam munere, officiis ceu sacrae militiae ad impugnandos errores, veritatemque tuendam: atque adeo sunt veluti vis *politica* et *bellica* in Ecclesia pro fine suo. Dictae ergo personae constituentes spiritualem militiam conditionibus plus minus tenentur, quibus *vis* publica in politica societate.

---

ella difende fin nei penetrali delle coscienze. Dal che ne siegue che se in una società s' introducano due religioni, questa si divide ben presto in due partiti, come il fatto insegnò mille volte; e specialmente quando la religione è riguardata, com' è veramente, qual sommo tra i doveri (88 II e III).

Dal che apparisce che la religione provvede, non solo alla unità di mente, ma anche di volontà; formando gli affetti con tanto miglior educazione, quanto più intimo è il principio con cui ella muove le moltitudini. Ella è dunque la *vera educatrice* dei popoli: i principi senza lei ben potranno contenerli con la forza, ma educarli non mai. Eppure da questa educazione dee risultare la perfezione dell' organismo sociale, sia che si riguardi nel principe o nei ministri o nel popolo. Il principe, se non tende all' ordine per volontà retta, ha mille mezzi e mille incitamenti ad opprimere; i ministri dopo averlo secondato nella tirannia, cercheranno di rapirgli lo scettro con quella stessa autorità e mezzi che da lui riceveano. Il popolo poi oppresso dal governo e privo del sentimento di pazienza, rassegnazione e speranza, cui solo religione ispira, non sarà congiunto ai governanti, se non da quelle catene che questi gli ribadiscono continuamente e che continuamente ei si sforzerà di spezzare.

Ecco l' organismo di una società senza religione.

Concludo dunque che perfezione di universal società non può darsi senza religione, perchè senz' essa manca sì l' unità di mente, sì l' educazione dei cuori, sì il legame dell' organismo.

Ma dirò ancor più. La religione non solo aiuta la natural propensione dell' uomo all' universal società, moderandone ed ordinandone le tendenze individuali, ma contiene inoltre un elemento di universalità per cui ella è essenzialmente associazione di tutti gli uomini. Infatti la Religione è essenzialmente una, come si dimostra nella teologia naturale dall' unità del vero e del giusto: se l' essenziale della religione egli è riconoscere la nostra dipendenza dal Creatore, e compierne i disegni (92 segg.); uno essendo il Creatore, uno il suo disegno, uno l'impulso con cui ci muove ad ottenerlo, la natura (13, seg.); uno deb'essere essenzialmente negli uomini tutti il movimento religioso (a). Or l'unità di religione costituisce tra gli uomini società; imperocchè se il cospirar di molti uomini ad un fine conosciuto e voluto in comune è società (119); l'operar di tutti gli uomini con mutue relazioni d' ordine, affin d' ottenere l' intento del Creatore, in cui sta il comun bene del genere umano (26, 2. p.), sarà società del genere umano: società religiosa, poichè il suo scopo è essenzialmente lo scopo a cui mira la religione (92); società universale per diritto, essendo ogni uomo obbligato all' adempimeto del dovere religioso nella vera relgione (97).

E con ciò parmi dimostrato l' assunto che se la società tende naturalmente a divenire universale, ella tende insieme a divenire religiosa. Dimostrisi ora il secondo.

Hinc *quoad numerum*, haec coalescit ex voluntariis qui vocantur a Deo tamquam Aaron.: ita ut succrescens numerus in bona disciplina et ordine conveniente versetur. Neque horum voluntariorum multitudo nimia reformidanda est, tum propter difficillimas conditiones e. g. caelibatus, quibus subiiciuntur, tum quia

---

359. Prop. II. Se la società universale aver possa una religione soprannaturale, a questa anche naturalmente ella tende (nel senso già da noi altrove esplicato 25. IV, 28. III).

Prova. La unità natural-religiosa, a cui tende natura, esige, diss'io poc'anzi, unità del giudizio nel vero, del volere nel retto, dell' organismo nell' opera.

Or tale unità, senza il soprannatural concorso è, nella universal società, moralmente impossibile. Dunque il suprannatural concorso è moralmente necessario. Dunque se un conforto soprannaturale graziosamente ci si profferisca, natural tendenza ci obbliga ad accettarlo ed usarlo. (94 e 98, VI).

Dimostriam la minore nelle tre sue parti.

L' unità nel vero non può ottenersi se non o colla sua evidenza razionale o coll' autorità infallibile (174. NB); or la società naturale manca d' entrambe (190 seg.). Dunque quella unità è, senza aiuto soprannaturale moralmente impossibile.

L' unità nel retto può ottenersi con un' autorità che con inviolabile rettitudine lo sostenga (175, VII): or l' autorità nella società umana tende per sè ad esorbitare. Imperocché l' umana società civile, collocando nel superiore, congiunta con le sue passioni, una forza irresistibile tende a produrre tirannia (264, segg.): ben può questa tendenza correggersi nella società ipotattica col freno dell' autorità superiore (162); ma nella società universale di cui parliamo mancherà un superiore più che universale a cui appellare; che se ricorrasi alla società religiosa naturale, questa, non avendo nè evidenza ferma di principii (328), nè coraggio nel sostenerli, nè aiuto contro la spada della forza, o sbaglierà nei dogmi o li tacerà, o sarà dalla forza trucidata e distrutta: anzi in tutti e tre questi modi verrà mancando. Mentre all' opposto una religione soprannaturale, non solo dà infallibilità nel conoscere il retto, ma dà coraggio nel professarlo in faccia ai tiranni, e sotto la lor mannaia; ed assicura con promesse infallibili l' esistenza d' una società conservatrice della santità nei dettati morali.

Dal che risulta che ella sola può essere custode dell'unità organica sociale, la quale consiste nella giusta relazione delle persone sociali: nè giusta potrebb' essere tal relazione senza la rettitudine dei dettati morali da cui essa dipende.

Dunque naturalmeute parlando la società universale non può aver realtà, se non le soccorra un conforto soprannaturale: il quale (se le si offerisca) formando l' apice di sua perfezione, trae naturalmente a sè la volontà umana, bramosa naturalmente di perfezione (25, 28, III).

L' universal società religiosa soprannaturale, formò dunque una parte integrante dei divini disegni, allorchè l' Eterno creò l' uom sociale e nel cuor di lui piantò i germi della società e della sua perfezione: è compimento e fine, senza cui non può comprendersi principio nè movimento (3, VI, 4, II). Dal che si rende evidente esser incompiuta la sintesi delle dottrine morali senza

haud parvus numerus magistrorum requiritur ad tot tantosque errores impugnandos, coercendos, ad tot tantaque crimina et peccata amovenda quae grassantur ubique terrarum. Plurimae adhuc existunt infidelium terrae, plurimae barbarorum gentes in umbra mortis sedent, innumerae adhuc sunt civitates pauperrimae sublevandae, innumerae provinciae ne dicam regna scelestissimis sunt oppleta hominibus convertendis, haereticis profligandis, hostibus cuiusque generis exterminandis. Illud timendum potius quod pernicies est cuiuslibet militiae, otium videl. et indisciplinatum ingenium, queis occurrendum per scholas in quibus, coetera inter, severissimis legibus spiritu et disciplinis ecclesiasticis imbuantur.

Quoad intrinsecam activitatem seu militarem spiritum ac externum ordinem, quo hic spiritualis exercitus informari debeat, sufficit advertisse quod de materiali exercitu aiebat Iacquinot cours d' art militaire.... t. 1. pag. 27. « Lo spirito militare che distacca l' uomo dalla sua famiglia per fargliene adottare un' altra, ove gli s' impongono rigide obbligazioni: quello spirito che dà all'uomo una tranquilla indifferenza sopra i pericoli che lo aspettano; questo egli non può acquistarlo finchè si rimane nelle mura domestiche o in lor vicinanza. Devesi allontanarlo da' luoghi, a lui cari affinchè prenda quello spirito, senza cui il soldato non avrà che l' abito. Ma vi è un' altra molla ancor più potente.... da cui tanto può spiegarsi, vogliam dire le dottrine religiose, che promettono in premio della morte che per essi s' incontri, beni immensi ed interminabili. » Ex quibus adnotamus duo: quorum alterum est, quod media, praesertim familiam suam derelinquere ut in novam, quis coaptetur, necessaria sunt pro spiritu acquirendo materialis militiae tendentis ad unam terrenam patriam quanto magis erunt necessaria militiae spirituali, cuius bellum videre est in universo terrarum orbe! Ergo damnare clericos quia pro hoc spiritu imbuendo in s. militia, relinquunt patrem, aut matrem et universa quae habent... aut quia aliis gravibus oneribus sese subiiciant... procedit ex ignorantia functionum Sacramentum quae manet eiusmodi officiales ac milites, aut cupiditate qua milites ex habitu tantum eos esse velint. Alterum est quod si pro materiali militia praepotens impulsus sit spes aeternorum bonorum, quanto magis pro spirituali militia quae nonnisi contemptus et coetera mala hisce in terris expectare sibi potest? Haec autem aeternae vitae bona nonnisi in collegiis aut recessibus ecclesiasticorum aut religiosorum efficacius recoli possunt.

Quoad ordinem et graduum in hac militia subordinationem, per quam necessarium esse dicimus: secus neque finis, multoque minus eius perfectio obtineri valet.

---

una giusta idea della società religiosa: giacchè che altro sono le dottrine morali se non l' esplicazione successiva del primo principio morale nella serie e teorica ed applicata delle sue conseguenze (23, 1.)?

Come dunque sarebbe imperfetta la teoria del diritto se parlasse solo dell' individuale e del domestico, tralasciando il politico, o internazionale; così imperfetto sarebbe se, sviluppati questi ultimi arrestasse il suo corso, e non progredisse a sviluppare l' universale, il cattolico.

3. Ut autem in hac militia tyrones recta ratione ad finem suum instruerentur, aperuit semper Ecclesia sacram palaestram Collegiorum in quibus magistri futuri populorum rite educarentur, atque ad sacra arma ferenda, ac bella gerenda perquam idonei efficerentur. Huiusmodi recessus pro clericis educandis instruendisque fuerunt loca penes domos epales aut cathedrales, monasteria Regularium, atque deinceps collegia, varii generis, ecclesiastica usque ad seminaria iuxta formam Trid. erecta. Pauca nunc de his dicenda i. e. notio, necessitas, et erectio atque regimen coetera quaeque in Iure can. singillatim exponentes.

Seminarii a) NOTIO, prout disciplina trid. nunc viget, his absolvitur quod sint « loca pia seu collegia in quibus adolescentes ceu Clerici saeculares iuxta Trid. normam aluntur, religiose educantur, nec non disciplinis ecclesiasticis instituuntur ut ad omne clericale munus sese idoneos reddant. — Distinctio seminariorum in maiora pro theologicis disciplinis adipiscendis, et in minora pro inferioribus ; in diocesana, provincialia, nationalia et Apostolica per se patet.

Ex dictis patet exclusivam ius inesse Ecclesiae pro suis Clericis integre atque perfecte educandis, in fidei puritate, vitae honestate totiusque formae ecclesiasticarum virtutum, nec non in qualibet sacra et profana scientia prout decet clericos, solidissime instruendis, scholas et collegia erigere, eaque suis moderari legibus atque fundos pro vitae tuitione statuere. Est enim Eccl. societas perfecta independens prorsus a societate civili in his quae ad suum supernaturalem pertinent finem: educatio porro clericorum ut praeparatio ad sacerdotium, ad hunc spectat finem ut idonei ministri habeantur... Quod si quaelibet societas perfecta ius habet independens quaelibet alia soc. instituendi scholas sive civiles pro praeparandis suis subditis ad munia civilia et politica, sive militares pro suis instituendis militibus, a pari imo a fortiori id habet Ecclesia pro edocendis educandisque alumnis in seminariis et collegiis eccl. qui caeteros postea edocere, regere et sanctificare debent? Si vero ex bene disciplinato exercitu pendet salus corporum, ex disciplina ecclesiastica salus tota pendet animarum: hinc patet finis Duo igitur Ecclesiasticae disciplinae institutio habet capita: unum vitae rationem ecclesiasticae professioni consentaneam respicit, alterum scientiarum facultates, quibus imbui debet is, qui Eccl. ministeriis exercendis sese mancipabit. Quoad 1.m faciunt quae habet Card. Borrom. (De semin. inst. P. III, c. 1) sunt igitur ea potissimum de causa seminaria erecta ut in iis boni strenuique operari ad curationem animarum quas suo pretiosissimo sanguine Christus redemit, instituantur, et ii quidem adolescentes (qui ob aetatem cum tenera sit et proclivior ad voluptates, et flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendos in operibus virtutum eruditi debent) ut eam vitae perfectionem adipiscantur, quae in iis qui doctores populorum futuri sunt, elucere debet, et severioribus disciplinae legibus coercendi. « Vnde ex PP. Trid. mente eo omnia dirigantur » ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit.

b) NECESSITAS et PRAESTANTIA patet ex fine modo indicato. a) Epi, qui a S. Paulo prohibentur quominus cito alicui manus imponant, melius cognoscent ordinandos cum Ecclesiasticos adolescentes suis sub oculis in Seminariis succrevisse viderint tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aqua-

rum quod fructum suum dabit in tempore suo (ps. 1. 4): b) addatur maxima ratio indicata a PP. Trident. mirum quantum intersit ut exquisitissimo studio ab inguiculis clerici bonitatem, disciplinam ac scientiam doceantur. Dicunt enim sess. 23 c, 18. de R. *Cum adolescentium aetas nisi recte instituatur prona sit ad mundi voluptates...* Praestat huc afferre verba vel unius Barbosae *De can. et dignit. c. I n. 2.* « Quam felices clerici inter ecclesiae septa habitantes nec ullam periculosarum discursationum, mundanarum occupationum, occasionem habentes, sed divinis tantum contemplationibus, laudibus, precibus, concionibus, officiis, cantibus, sacrificiis vacantes, et tamquam angeli quidam terrestres in paupertate castitate et obedientia degentes, et solum Dei gloriam ac suam aliorumque salutem procurantes !! c(Teste S. Carolo Borromaeo huiusmodi seminariorum intermissio maximo fuit Ecclesiae detrimento: et Concilium Aquileiense asserit Ecclesiam vix posse sine seminariis prospere consistere. Hinc moderni aevi secretae societates acerrime seminaria oppugnant. Trid. d) decreti executionem quam maxime cnrarunt RR. Pfices praesertim Bened. XIII. const. *Creditae nobis.* Nec silentio praetereunda cura est Pii IX quo auspice praeter coetera instituta fundata erectum est seminarium senogallense et traditum societati Iesu; erectum est seminarium Pium Romae pro statu pontificio.... e) Neque omittenda industria Leonis XIII. qui plura seminaria seu collegia Romae fundavit — f) Neque minori studio usa est atque utitur S. C. C. ad executionem urgendam Conc. Trid. decreti sess. 23. c. 18. de R. quod sic se habet » S. Synodus statuit ut singulae dioeceses...

c) Ad ERECTIONEM ET REGIMEN quod spectat — Ex modo recitatis verb. Trid. patet ius constitutum de seminarii *erectione* d) quae *fieri debet* in quavis dioecesi, metropolitana et abatia nullius, ita ut si nequeant ex his ob paupertatem Ecclesiae Synodus provinc. vel metropolita cum duobus antiquioribus suffraganeis in Eccl. metropol. vel alio commodiori loco plura vel unum seminarium erigendum curare debeat ex fructibus duarum aut plurium Eccl. iuxta Trid. l. c. e) Generatim *dos*, si desit, sumi debet ex reditibus mensae Epalis, capituli et caeterorum beneficiorum — solutionis modo ab Episcopo constituto Trid. l. c.

ADMISSIO. Cum seminarii *finis* sit institutio iuvenum *clericorum* in bonis literis scientiisque eccl.cis *hi ut recipiantur* esse debent 1 legitimi 2. duodecim annos nati saltem inchoatos: 3. legendi ac scribendi periti: 4. eius indolis ut spes sit, est se ecclesiasticis Ministeriis addicturos.

REGIMEN est penes Episcopum sicut et administratio a) exclusa qualibet potestate societatis civilis; b) remota etiam appellatione in suspensivo si quis decernat quoad curam, regimen disciplinam. Vnde ab uno Epo dependet electio Rectoris, Confessorii seu Magistri pietatis, nec non professorum caeterorumque magistrorum. Ita tamen haec omnia intelligenda ut in uuiverso regimine et administratione adhibeat nonnullos veluti consultores cum voto consultivo, qui sunt 1. *quoad* rectam Iuvenum institutionem *duo* canonici ab se electi: 2. quoad seminarii administrationem *quatuor* i. e. duo Capitulares, quorum alter ab Epo alter a Capitulo eligitur: item duo e Clero Viri quorum item alter ab Episcopo, alter a Clero eligitur.

Advertimus tandem quod a) si magna prudentia ac dexteritate opus sit in admittendis seu in delectu alunnorum, atque in eorum ob incorrigibilitatem

et defectum qualitatum dimissione, quanta maiori opus erit cum de delectu moderatorum et magistrorum agatur? b) Coeterum pietas et studiorum amor maxime foveri debet: *illa*, per piam commentationem, lectionem spiritualem aut adhortationem, singulis mensibus confiteantur, et Eucharistiam sumant: saltem semel in anno spiritualibus vacent exercitiis iuxta Loyolaeam Methodum... hic autem per varia in annum specimina... c) Cum Eccl. utpote perfecta societas ad finem necessaria et utilia procurare sibi possit, ius ipsa habet constituendi non solum maiora seminaria in quibus disciplinae theologicae traduntur, sed et minora seu secundarias scholas, quas vocant, ad efficiendos suos Clericos non modo rei literariae et eruditionis peritos, sed virtuosos seu virtutibus non modo Christianorum sed ecclesiasticorum propriis ornatos, quibus a teneris unguiculis una cum instructione informandi sunt. Imo et sub respectu instructionis quoad literas et scientias praeparatorias ad theologiam ius exclusivum habet constituendi scholas pro suis clericis, vel laicis quorum spes est ut evadant Clerici. Dixi vel *laicis*, quorum si sub seminarii peculiaribus legibus, mens solidis literis et scientiis, et voluntas christianis moribus instituatur, facite est ut cor alliciatur ad vitam ecclesiasticam et vocatione sancta firmetur. d) Hinc sequitur non teneri Ecclesiam sequi programma scholasticum civile.

II. DE IURE ECCLESIAE IN SCHOLAS PRO LAICIS FIDELIBUS.

N. 74.

A. De eiusmodi scholis in genere.

Quae iura Ecclesiae asseruimus quoad scholas clericorum, asserenda ipsi quoque sunt quoad scholas laicorum quatenus hi instruendi et educandi sint in catholica religione. Ius scilicet est exclusivum Ecclesiae independens a qualibet civili potestate. Imo ius ipsi in dictas scholas asserendum est, etsi de literaria et civili institutione res sit, cum id exigat securitas religiosae instructionis, vel cum in discrimen vocetur solida iuventutis catholicae educatio. Hinc sequitur non solum cum de una religiosa institutione agatur, sed etiam cum de literaria et scientifica, si id exigat ratio finis sui aut si scholas literarias et scientificas ipsa fundavit, a) Ecclesiam posse designare materiam instructionis, inspicere et dirigere magistros, discipulos, methodum, libros, ... apponere sanctionem, quod verificari semper debet si de religione tradenda agatur; si vero de aliis materiis profanis saltem Ecclesiae approbatio sil i. e. consensus in praesentatos magistros aut in electos libros, in methodum . . . . , b) fideles subditos a scholis pravis prohibere posse: c) aut scholarum urgere frequentationem, quas ipsa fundavit (1).

---

(1) Dixi *supra in religione* quia ad parentes spectat iure nativo instruere et educare prolem suam in ordine naturali ad Ecclesiam vero directe instruere et educare filios quoad ordinem supernaturalem, et indirecte etiam in ordine naturali quatenus haec ordinis naturalis educatio inserviat supernaturali. Non

Ex iure dicto Eccles. praesertim religiosae instructionis et educationis dimanat I. errare eos, qui putant omnes scholas ita directioni et arbitrio potestatis civilis esse subiectas ut quaelibet alia auctoritas Ecclesiae, vel etiam parentum cludatur. Ecclesiae enim vidimus quoad instructionem et educationem religiosam ius competit ex voluntate Christi D. Ad parentes porro quod spe-

---

potest Status monopolium instructionis cuius vis ad se avocare et cogere omnes ut frequentent scholas gubernativas. Nec valent quidquam obiecta *Taparel. Corso elem.*

N. 356. Obbiezioni. — Contro i coroll. VI, cioè: *La pubblica società non può a' parenti innocenti impedire il dritto che hanno sulla mente de' figli: ma ben lo potrebbe in caso di notorio abuso che eglino mai facessero dei dritti, ed autorità paterna.*

C. VII, cioè: *Il padre ha dritto a chiedere ed ottener sussidio in tale ufficio da chi può utilmente prestarlo.*

In una pubblica società, lo Stato sottentra ad dritto paterno in materia di istruzione ed educazione: 1.o per la grande importanza di tal funzione al ben pubblico, cui lo Stato dee provvedere: 2.o per la incapacità in cui sono ordinariamente i parenti, spesso ignoranti, di adempirla: 3.o perché lo Stato dee conoscere a cui fida gl' impieghi.

R. *Nego l' asserz.* la quale invero è strana sulle labbra del sig. Cousin la cui teorica morale si appoggia, come a primo principio, al dovere di essere e conservarsi *libero*: *être libre, sois libre.*

Alla prova 1.ª Lo Stato dee provveder al ben pubblico nell' ordine *pubblico;* ma non può (salvo il caso di pubblica notorietà di abuso) entrar nel domestico. Con raziocinio consimile non v' ha più asilo inviolabile nel domicilio privato, giacchè tutto ciò che al privato si opera, rifondesi poscia nel pubblico. Se molto importa l' educazione al ben pubblico, molto importa parimente al domestico: onde ciascuna autorità dee provvedervi, ma ciascuna nella sfera della propria attività.

Alla 2.ª Se i parenti possono agevolmente ignorar *le norme* di educazione, lo Stato ne ignora *le persone*: e per soprappiú egli manca di quello amor paterno che supplisce in gran parte alla capacità. Nè vale il dire che lo Stato agisce qui per mezzo di ufficiali capaci: giacchè anche i parenti hanno modo di farsi aiutare da' capaci; e conoscendo *le persone* meglio che non ponno conoscersi dallo *Stato* (giacchè *l' intimo sentir* delle persone, dal quale l' educazione dipende, meglio comparisce nella società *domestica* che nella *pubblica*) i parenti hanno qui sempre il vantaggio.

Alla 3.ª Dee certamente lo Stato conoscere i suoi ufficiali; ma, oltrechè la sua cognizione debba essere rispetto ai *pubblici* loro diportamenti, egli ha mille maniere di conoscerli anche senza educarli ed istruirli: l' educarli poi ed istruirli non è il mezzo sicuro di conoscerli, molti essendo i ben educati che si corrompono e i ben istruiti che anneghittiscono. Dee dunque il governo vegliare a tal fine sugli adulti già penetrati nelle file della società; non già invadere i dritti paterni e strappare alle lor braccia il tesoro che vi depose natura. Questo mezzo è del pari violento ed inutile.

Instanza 1.ª Almeno ben potrà il governo negare a chi non frequenta le

ctat; his competit ius nativum per se aut per alios quos velint instruendi et educandi natos suos, modo substituti sibi magistri vere satisfaciant suo muneri neque impingatur contra ius naturale, divinum positiv. et ecclesiast. — Unde merito proscripta est syllabi Pii IX prop. 43, 46, 47, 48. Flocci facienda quae contra hoc ius Ecclesiae et parentum blaterant moderni cf. notam. P. Taparelli praeclaram de publica instructione infra in append.

---

sue scuole ogni impiego, giacchè chi governa è libero nel conferirli. 2. E così infatti si pratica in molti Stati d' Europa, ancor de' più saggi e religiosi.

R. *Dist. l' asserz.* Potrà negar gl' impieghi, se non il frequentar le scuole dello Stato è delitto antisociale, *conc.;* se non è delitto antisociale, *nego*, ovvero *sudd.;* potrà negare gl' impieghi di servitù personale al governante, *canc.;* di pubbliche funzioni sociali, *nego.* Gl' impieghi propriamente sociali sono quelli ove si partecipa in qualche modo all'autorità sociale; e questi debbono dal Principe distribuirsi a norma di giustizia distributiva e non del privato suo genio. Ma i governanti abbisognano non di rado di persone addette alla *personale* lor servitù, benchè stipendiate dal pubblico; tali sarebbero in una corte gli Scudieri, i Ciambellani ed altrettali impiegati *quasi domestici.* Di questi interdirne al sovrano la scelta, sarebbe privarlo della domestica autorità. Vera è dunque la causale della asserzione riguardo ai secondi, ma è falsa riguardo ai primi: chi governa, benchè sia libero dal renderne conto ai sudditi, pure non è libero dalle leggi di giustizia e d' equità, che chiamano agli impieghi i più capaci. Privarneli senza delitto, sarebbe un *punirli* ingiustamente.

Alla 2.ª R. Conviene qui distinguere gli Stati secondo i principii religiosi da loro *pubblicamente* abbracciati. Uno Stato che promette ai sudditi libertà pienissima di coscienza, eppoi li *punisce* perchè non vogliono sottoporre i figli ad insegnamento che la contraddica, è un governo *incoerente* e *tirannico.* Uno Stato che abbraccia una religione falsa, sarà irragionevole nell' abbracciarla benchè di *comune consenso*; sarà tirannico se v' induce *per forza* i sudditi; ma almeno sarà coerente a sè stesso nel punirli se trasgrediscono codesta apparente *legalità* di religione. Uno Stato finalmente che, di comune accordo, riconosce per *legge* dello Stato una religione verace, come potrà positivamente punire chi tragredisce tal legge, così potrà talora punir negativamente chi, ricusando ai figli l' insegnamento religioso, dà di sè stesso ragionevol sospetto in tal materia. Nel che però non è nostra mente canonizzare verun atto particolare di governo anche saggio: giacchè non ogni saggio opera sempre da saggio

— Ma ingiusto sempre sarà punire i figli pel delitto paterno.

Dist.: se il delitto paterno in lor non trapassi realmente, *conc.;* se trapassi, *nego*: sarà allor doloroso ma non ingiusto; giacchè in uno Stato ragionevolmente addetto alla religione verace, l' essere *irreligioso* è una disposizione *antisociale* che rende incapace di ordinar *al bene comune*, fine di tutti gl' impieghi di governo. Or i giovani irreligiosamente educati, secondo natura umana crescono *irreligiosi.* Dunque son incapaci d' impiego; nè ad incapaci dee darsi impiego per mal intesa pietà. Equo però sarebbe che un governo

II. Dimanat errare eos quoque qui tenent quod iam ab elementaribus scholis omnis instructio et educatio religiosa removenda sit: atque deinceps in caeteris scholis a qualibet religione praescindatur: quin imo plurimis in locis contenditur omnibus nervis ut scholares eiusmodi neque tempus par habeant frequentandi catholicam instructionem penes parochum .... aut alios. Et tamen 1) scriptum est « Initium sapientiae timor Domini » cui adde ethnici poet. « Quo semel est imbuta recens servabit odorem. Testa diu » 2) Uni Catholicae Eccl. gravissima demandata est cura docendi omnes homines eosque ad finem supernaturalem ducendi per competentia et necessaria media: institutio autem religiosa iuventutis est ceu radix, fundamentum necessarium ipsius vitae supernaturalis. Neque autem tempus provectae aetatis, expletis studiis expectandum est quo religiosa inchoet institutio, quae praecipue consistit in recta fidei ac morum instructione ac praxi, in debito Dei cultu, ac legitima sacramentorum receptione: quorum omnium infallibilis definitio, ordinatio et administratio est penes Eccl.

III. Ex dictis intelligitur cur Eccl. suos prohibeat fideles a pravis scholis, in quibus sc. discipuli uti debent non modo libris sed et magistris qui fide et moribus si non manifeste corrupti, saltem vehementer suspecti sint. Hinc magistra veritatis et vindex morum suos praesertim tenellos filios a venenatis pascuis semper removit.

IV. Cum porro in plurimis regionibus nonnisi pravae habeantur scholae aut periculis oppletae, vel quia mixti catholici cum protestantibus ad scamna sedere deberent vel quia audire debent professores vel falsae vel nullius religionis... non modo ius sed et necessitas inest Eccl. erigendi dirigendique proprias scholas inferiores, medias, superiores. His enim, praesertim hac nostra aetate, efficaciter morum pericula removentur, et omnes scientiae etiam naturales sine fidei detrimento traduntur. Dixi *proprias* ita ut determinare valeat materias tradendas, disciplinam servandam, nec non personas docentium, et moderatorum designare vel removere, eosque in suis obeundis officiis gubernare. Dixi praesertim hac nostra aetate, quando scil. liberalismo omnia inficiuntur, etiam scholae, praescindendo a vera Religione in omnibus literis, doctrinis et scientiis vel naturalibus tradendis. Mitto autem heic meminisse omnes literas, scientiasque ancillari seu inservire theologicis disciplinis : aut S. Pauli « Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur » ad Rom.

V. Hinc videre est in omni aetate Ecclesiam curare scholas sive elementares, medias, sive superiores sua auctoritate erigere et moderari : prout cuiuslibet aevi docet historia. Hae porro scholae quas Eccl. sive per Epos sive per ordines religiosos instituit nullatenus soc. civili subiiciuntur: illae enim scholae uti vera res eccl. habentur, status vero in res eccl. nullum ius habet. Hoc autem ius Eccl. erigendi et moderandi scholas suas, statu semper brachio saeculari tueri debet, et Ecclesia semper ab impugnationibus verbo et facto vindicavit.

savio ed amorevole agevolasse anche a codesti più sventurati che rei, prima il riacquistar la pietà; poi, dato di sè sperimento, il godere anch' essi cogl' innocenti, secondo lor merito, de' dritti comuni.

Adnotamus tandem in genere quod scholae publicae tam ab Ecclesia quam ab auctoritate civili institui possunt: scholae porro ab Eccl. erectae rationem publicarum habent: in scholas ab Ecclesia fundatas omnimoda ipsa gaudet iurisd.: scholae vero status subsunt Eccl. directe quoad res religiosas, indirecte quoad profanam instructionem.

VI. Evidentis iniustitiae arguendae sunt leges modernarum societatum, quibus, velint nolint parentes, coguntur omnes liberi frequentare scholas publicas, quae fidei catholicae et moribus plerumque valde perniciosae existunt.

N. 75.

B. De Elementaribus et Mediis Scholis pro laicis.

Quoad has scholas pluribus in regionibus status sibi monopolium curat, quo facilius per expertem religionis adolescentium institutionem primam et mediam sine timore Dni efformet ut dein liberales et Ecclesiae adversantes habeat. Sed id conatur status nonnisi magna cum iniuria in parentes et in Ecclesiam (1).

---

(1) Lettera pastorale dell' Arcivescovo di Friburgo del 19 Luglio 1864 intorno al diritto della Chiesa d' invigilare le scuole popolari.

Questo dritto, egli dice, si fonda a) sulla storia b) sul dritto positivo c) sulla natura stessa della cosa d) sulla necessità della Chiesa di assicurarsi dell' educazion cattolica della gioventù.

a) « La scuola popolare, egli dice, ha avuto la nascita in seno alla Chiesa « sua madre... Riandando indietro fin tutto il medio evo, si trova, che la « Chiesa sola ha preso cura delle scuole nelle sue parrocchie. Ovunque il Cri- « stianesimo ha avuto, od ha tuttavia qualche favore si trova altresì, come « proprio degli Ecclesiastici l' incombenza di sorvegliare le scuole... Questo è « il sunto dei 18 secoli, che ci han preceduto. Quando dunque la Chiesa do- « manda di aver parte nella direzione delle scuole, non domanda nulla di nuo- « vo. Non altro ella domanda, se non quello, che le appartiene nella sua qualità « di madre, che le ha date in luce.

b) « La stessa pace di Westfalia del 1648, e la decision della deputazione dell'im- « pero del 1803 riconobbero la scuola come un affare ecclesiastico, e come un at- « tribuzione essenziale dell'esercizio del culto. Nella formazione del Gran Ducato « di Baden fu accettata questa legge; e fu altresì mantenuta fino a questo mo- « mento: e se nella legge del 1860 si disse, che l' istruzione pubblica è di- « retta dallo Stato, non si disse però *dallo Stato solo*, e la Chiesa avea prose- « guito ad esercitarvi la sua influenza. Né poteva essere altrimenti, posto il « principio, che la Chiesa è libera dinanzi allo Stato. Imperocchè se è libera, « deve regolare liberamente i proprii affari; ed é appunto sommo tra gli affari « proprii l' educazione della gioventù ».

c) Il *pascite* — il *docete*, che costituiscono l' officio e l'obbligo della Chiesa divinamente impostole mostrano ben chiaro, che *per la natura stessa* della cosa).

« La Religione non s' insegna ai figliuoli come l' arte dello scrivere o del « calcolare. Non basta punto, che il prete insegni loro il catechismo, e la sto-

a) *In parentes* quidem quibus, priusquam et statui et Ecclesiae, inest obligatio et ius omne educationis quia antequam essent Status et Ecclesiae, parentes tenebantur liberos educare et instruere: ipsis parentibus inest ius cogendi liberos ut discant frequentent Scholas, eosque non obtemperantes puniendi — b) *In Ecclesiam* cui tota educatio quoad fidem et mores directe subest: cum vero haec religiosa educatio potissima pars sit universae educationis et instructionis, indirecte ei quoque subest reliqua educatio et instructio. Quod Ecclesiae ius agnoscere et sequi debent parentes ita ut omne ius educandi quod habent sive directe sive indirecte ab Ecclesia pendeat. Agnoscere et sequi debent ipsi filii, Communitates et Status, ut tum in Scholis quas omnibus aperit, tum in iis, in quibus status adolescentes instruit ceu destinatos suis civilibus et politicis officiis, Ecclesia directe quidem quoad fidem et mores, indirecte quod alia sese

---

« ria sacra; bisogna che li assuefaccia ad una vita cristiana, ad una pietà « sincera, alla pratica delle virtù cristiane, e del perfetto amor di Dio; bisogna « per conseguenza, che attenda con sollecitudine ad allontanar da loro quanto « potrebbe occorrere o alla loro fede, o alla buona morale. Tutto questo non « si può eseguire, se non si sorvegliano le scuole — Se la scuola popolare è un « vivajo, ove si hanno ad educare le tenere pianticelle, che sono i fanciulli, « come possono queste giungere a buon termine senza la benedizione di Dio, « che si spande per mezzo della religione, e conseguentemente dei ministri « della Religione, essendo scritto, che — *neque qui plantat, qui rigat* ecc; e « nuovamente — *Nisi Dnus aedificaverit domum* ec. — Non solo non potran- « no riuscire a buoni cristiani, ma nemmeno a buoni cittadini — Così è cer- « tamente le vedute e le forze umane non bastano a raggiungere così alto « scopo; è assolutàmente necessario il concorso superno; e questo scende per « mezzo della religione e del ministro della religione. Questa è l'economia po- « sta da Dio: e qui ancora si può ripetere — Quod Deus conjunxit, homo non « separet. —

d) È un preciso dovere della Chiesa, ed una verà necessità, che le incombe — Se ha da mantenere il suo gregge nella sua religione cattolica. è necessario che gli dia educazione cattolica, che allontani da esso un educazione anticattolica: Or questo non si può fare. Nè questo è un dovere, che può affidare ad altri; poichè ella, e non altri è stata costituita da Dio per custode, per giudice e per maestro delle verità cattoliche.

Appello magnifico ai Preti — ai Maestri cattolici e massimamente ai Genitori — Se le bestie selvagge difendono i loro figli, se un nemico li attacca, come non difenderete voi i figli vostri dall'estremo pericolo, in cui si pone la loro salute eterna? Voi avete il dritto di esigere che i vostri figli siano educati nello spirito cattolico. Deh! pregate tutti i giorni *insieme coi figli vostri*, che ciò che avete di più caro che è la salute eterna non sia tolta a voi e ad essi. — Raccomandatevi alla B. Vergine.

« In ciascheduna Domenica e festa si aggiungerà alla preghiera generale la seguente preghiera — Fate altresì che i genitori si ricordino, massime nel tempo presente della loro grave responsabilità per l'educazione cristiana de' loro figli e conservate loro gli stabilimenti di educazione cattolica.

ingerere possit ne fides vel mores ex malis magistris et sociis ex pravis libris, coeterisque capiant detrimentum — c) Itaque status 1. parentibus media offerre potest quibus facilius ac melius educationi consulant: 2. potest familiam supplere in educandis liberis, si opus sit, cogendo parentes negligentes ne suae desint obligationi 3. vel etiam status potest educationem in se suscipere, si desint parentes, quia mortui, vel alias impediuntur. Sed status non ita concurrere cum parentibus valet ut hos possit cogere ad mittendos liberos in certas quasdam scholas quas status habet, nec potest sibi reservare exclusive ius scholas instituendi vel in universum educandi et docendi....

I. Quoad. SCHOLAS ELEMENTARES: hae distinguuntur aliae privatae: aliae publicae. Privatae sunt quae privatorum consilio et industria eriguntur, quaeque si expresse publica auctoritate probentur, publicis aequiparantur, iisdemque privilegiis et civilibus ac canonicis effectibus, quibus publicae, fruuntur. Publicae sunt quae pro omnibus impuberibus auctoritate publica eriguntur.

Iamvero in his scholis elementaribus publicis Ecclesia semper ex suo iure et officio iuventutis catholicae instructionem et educationem impertiri et dirigere curat, per magistrum qui debet esse canonice deputatus, ita ut siue Epi approbatione vel consensu nemo Clericus vel laicus scholam catholicam elementarem constituat, postquam fidem solemni iuramento sit professus: tum utatur catechismo probato ab Epo: Epus vero habeat etiam suos inspectores qui scholas parochiales frequenter visitent. Porro in his scholis catholicis Ecclesia liberum exercitium habere debet iurium suorum, quae inter recensetur in primis facultas libere ordinandi universam religiosam instructionem, exercitia pietatis, ius seligendi libros et definiendi universum programma scholasticum, ius designandi magistros eosque removendi si suo desint officio. Maxime tandem fovet Ecclesia praesertim religiosa Instituta ad universam educationem et instructionem impertiendam.

II. Quoad MEDIAS SCHOLAS GYMNASIA... Ius invigilandi et etiam positive erigendi scholas (elementares...) adserendum magis est quoad scholas gymnasi seu medias in quibus adolescentes literis humanioribus excoluntur, et praeter literas patrias, literaturae graecae et latinae dant operam, artibus liberalibus, generatim aliisque disciplinis eousque instituuntur ut ad altiora in Universitatibus postea adscendere possint. Dixi *adserendum magis*: his enim scholis cum crescat mentis instructio, continuare, imo crescere etiam debet religiosa et moralis educatio. Accedit quod per literas humaniores et liberales artes eruduntur atque excoluntur in ea quae audit *estetica* per quam calente iuventa passiones et affectiones explicantur, heu quoties transversum agentes, nisi religio penitus dominetur, totumque hominem possideat.

Hinc Ecclesia ut efficacius provideret huic religiosae educationis necessitati, non tantum invigilavit et fovit bonas eiusmodi scholas ab aliis institutas, sed eas etiam erexit omne in aevum adeo ut non modo servata et propagata sit sed magis in diem creverit in sua perfectione, praesertim literatura graeca et latina nec non ceterae liberales artes, quas Ecclesia non modo per Clerum saecularem sed maxime per religiosas familias veteres et novellus semper tradidit. Ipsi Ecclesiae maximo cordi fecit semper lingua latina eiusque literatura in Occidente, lingua graeca in Oriente, adeo ut hae duae fuerint hucusque linguae propriae Ecclesiae.

Hoc porro ius nativum semper fuit vigens in Eccl. atque hodiedum in huiusmodi scholis etiam ab ipsa non fundatis, generatim praebet instructionem religiosam per magistros a se saltem approbatos, si unum vel alterum excipias tyrannicum gubernium. In iis utendum est catechismis ab Epo probatis — ab ipsa Eccl. constituntur inspectores et commissarî qui invigilare et examinare debent circa instructionem religiosam — Epus per se vel per alios examinat libros etiam in literis humanis et inquirit in magistros ut pravi removeantur, ita ut possit etiam prohibere catholicis quominus certa collegia mixta vel perniciosa frequentent *Cf. SS. CC. in collect. de propag. fid. art. De Scholis* — Inter documenta ecclesiastica de scholis praeter citt. huc revoc. littera Leon. XIII ed. Episcopos Galliar. 8 Febr. 1884 ad Cardinal. Urbis Vicarium 25 Mart. 1879 et ad eumd. 26 Iunî 1878. Litt. encycl. *Sapientiae christiana* ubi prop. circa finem haec leguntur « Natura enim parentes habent ius suum instituendi quos procrearint, hoc adiuncto officio ut cum fine cuius gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et doctrina puerilis. Igitur parentibus est necessarium eniti et contendere ut omnem in hoc genere propulsent iniuriam, omninoque pervincant ut in sua potestate sit educare liberos uti par est more christiano, maximeque prohibere scholis iis a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietatis. Cum de figenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest, nec labor suscipi tantus quin etiam sint suscipienda maiora. In quo sane digni omnium admiratione sunt catholici ex variis gentibus complures, qui suas erudiendis pueris scholas magno sumptu, maiore constantia paravere. Aemulari salutare exemplum, ubicumque postulare videantur tempora, decet. Cf. et Leonis epist. Iun. 1892 ad Episcopos provinciae New-York, ad Cardinal. Gibbons archiepisc. Baltimoren. 31 Maii 1893, ubi probat sicut per S. Cong. de Prop. Fide iam probaverat quae sapientes a plenario Concil· Baltimoren. fuerant statuta atque in huius Conc. decretorum observatione insistendum esse iubet. Porro in XIII decret. Concil. Baltim. sub Kensick an. 1852 celebrati Hortamur episcopos, dicitur, et attentis gravissimis malis, quae ex iuventute haud rite instituta sequi solent, per viscera Dei misericordiae obsecramus ut scholas unicuique Ecclesiae in eorum dioeceibuss annexas instituendas curent. « Quod confirmatur in 2° Concil. Baltim. 1866 celebr. tit. IX C. I. nn. 430, 431. Magni momenti adhuc sunt 12 paginae et amplius Concilii Baltimoren plenari III an. 1875 celebr. ubi praesertim notatur illud ». Oportet ut praesules amplissimi quocumque possint ope, atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc omnium consensu nil tam necessarium quam ut Catholici ubique locorum *proprias* sibi scholas habeant, easque publicis haud inferiores.

Cf. S. C. S. O. 26 Mart. 1866 Collectan. de Prop. Fide pag 197. — Pii IX Alloc· In concistoriali 1 Nov. 1850; alloc. Quibus luctuosissimis 5 Sept. 1851, et praesertim epist. ad Archiepisc. Friburgen. infra inter Alleg.

Cum vero Ecclesia per societ. civ. non impediatur ab hoc iure suo nativo scholas has erigendi exercendo, saepe erigit et reliquit fidelibus libertatem aperiendi eiusmodi scholas quamvis saepe caveat ne quis praesertim clericus absque audito epo. erigat, vel moderetur, vel doceat. Leo XIII. Const. Romani Pfices. IV idus Mai 1881 praescripsit quae servari debent quoad has scholas erectas vel erigendas a Regularibus.

N. 76.

C. De Scholis superioribus i. e. Universitatibus.

1. A scholis mediis ad supremas gradum facimus, in quibus si non omnes scientiae saltem praecipuae facultates publice ita traduntur ut educatio iuvenum suum inde accipiat complementum. Quae scholae audiunt athenaea, archigymnasia, universitates. Hae porro Universitates aliae ecclesiasticae sunt seu catholicae, aliae dicuntur Universitates status: utraque si omnes facultates tradat completa dicitur, secus incompleta.

2. Iamvero Ecclesia ius nativum habet instituendi has scholas, easque dirigendi, cum praesertim negativum invigilandi officium non semper sufficiat. Nam etsi Ecclesia docilem haberet statum ei positive servientem, tamen ad harmoniam inter fidem et rationem ostendendam efficacissima non esset (praesertim nunc temporis cum undique nebulones ad repugnantiam ostendendam corrogent rationes). Adde plures eo spiritu praeditos non esse quo suam deberent informare doctrinam. — Accedit et illud quod iuuni prorsus in theologia, non semper sat idonei censentur ad hanc harmoniam ostendendam. — His incommodis facile occurritur ab Eccl. per universitates a se erectas, adeo ut personae seligantur spiritu christiano informatae et sat in re theologica pro eius relationibus cum caeteris scientiis versatae.

3. Hinc mirum non est si medio aevo praesertim cum studiorum universitates florent, ope RR. Pficum florerent. Nam RR. Pfices pro summa illa auctoritate et sollicitudine quam de populi Christi prosperitate, de scientiarum progressu deque fidei incolumitate semper habuerint, providam curam de his universit. multis modis ita extendebant ut magna donarent privilegia professoribus et discipulis, beneficiis ecclesiasticis sustentationi doctorum providerent nec non pecuniarum aliarumve rerum larga subsidia studiis illiis generalibus tribuerent. Testis est Pontifex Pius II qui praeclare scripsit de hac RR. Pficum sollicitudine « Iter felicitates, quas mortalis homo in hac labili vita ex dono Dei nancisci potest, ea non in ultimis computari meretur, quod per assiduum studium adipisci valeat scientiae margaritam, quae bene beateque vivendi viam praebet et imperitum ab imperito sua pretiositate longe facit excellere, et ad mundi arcana cognoscenda dilucide indicit, suffragatur indoctis, et infimo loco natos inducit in sublime. Et propterea Sedes Apostol. rerum spiritualium et etiam temporalium cuiusvis laudabilis exercitii perpetua et constans adiutrix, ut eo facilius homines . . . illos hortatur, eis loca praeparat, et opportunae commoditatis auxilia impartitur. « Quarum facultatum institutio iuridica et supremum moderamen illarum pertinebat ad Sedem Apostol. Agnoscebatur enim Ecclesia ab omnibus ceu veritatis dux et salutis, hinc cum Universitates maxime eo tenderunt ut regnum boni ac veri diffunderetur, et culturae intellectualis opes sacrae et profanae populis traderentur: ex indole rei suprema hac de re cura ad Ecclesiam spectabat. Ecclesiae profecto officium et ius proprium est tuendi et tradendi veritates supernaturales i. e. eas ecclesiasticas disciplinas quae theologiam et ius can. spectant. Sed harum disciplinarum institutio primum in Universitatibus et praecipuum obtinuit locum:

veritatum porro disciplinarumque naturalium instituta in religionem et mores maximae auctoritatis sunt, ita ut secundum quod recta aut falsa traduntur, vel per magna bona hominibus procurentur, vel in grandia salutis pericula ipsis deducantur: Unde patet etiam sub hoc respectu auctoritatem illam Ecclesiae in studia generalia ipsius societatis Christianae constitutioni respondere.

N. 77.

CONDITIONES PRIVILEGIA UNIVERSITATUM.

4. Hisce connectuntur multiplicia illa privilegia, immunitates, exemptiones, beneficia quae a Sede Apostolica tantum Vniversitatibus conferri poterant. Ad privilegia tamen obtinenda Vniversitatum propria implendae sunt conditiones sequentes: 1. si agatur de completis vel in completis quibus S. Theol. et Ius can. tradatur, erectio universitatis haberi nequit sine interventu auctoritatis pontificiae, et tunc auctoritas civilis intervenit cum ex bonis societ civilis dotandae sint modo dictae Vniversit.es catholicae, vel cum privilegiis civilibus sint augendae: quamvis societas civilis per se possit instituere Vniversit. in quibus facultates mere profanae e. g. iuris civil. vel medicinae tradantur. 2. Vt in regimine interno servent tam peculiares consuetudines et statuta quam quae omnibus communia sunt e. g. a) suus adsit Rector toti praesidens Univers.; b) Decani singulis facultatibus praeficiantur; c) professores, quorum corpus constituit Collegium Doctorum decurialium legitimo modo in illud cooptentur... 3. Vt studiorum tempus proportionatum constituatur materiis tradendis et addiscendis examen subeatur — nec non specimina foveantur tempore opportuno...

5. Porro privilegia in specie ad haec reducuntur. 1. Vt sicut caetera Collegia possint universitates sua condere statuta, ut eligendi proprios magistratus, interveniendi in nominatione professorum, quod veteres maximum scholasticae libertatis privilegium dixerunt. 2. Ius conferendi gradus academicos i. e. publica et authentica testimonia Vniversitatis Catholicae de gradu scientiae in aliqua facultate a scholari adeptae. Triplicis gradus collatio dari solet: a) collatio baccalaurei gradus i. e. publicum testim. Vniversit. quo quis infimo gradui inter honores academicos adscribitur, et habilis declaratur ut altiorem adspiret gradum: b) collectio licentiati gradus, qua adscribitur medio gradui academ. et habilis renuntiatur seu licentia datur ad supremi gradus dignitatem consequendam: c) collatio doctoris gradus, seu publicum testim. universit. quo quis dignus, renuntiatur ut disciplinam suam in publici academiis profiteatur; hinc titulo et *honoribus dignitatis Doctoris* augetur et supremo ordini academico adscribitur.

Hos DD. consequitur 1. ius docendi in publica universitate ... 2. alia iura ac multiplicia iuxta veteres, privilegia: quorum nonnulla adhuc vigent e g. quoad collationem beneficiorum, quoad executionem delegationum Apostolicarum. Dixi *dignitatis* Doctoris: dignitatem enim per collationem gradus doctoralis quem consequi a nemine fere dubitatum scio: idque patet a) *c. quanto 3. ibi dignitatem assumiunt*, ... *dignitatibus spolietis de Magistris.* b) infinito DD. numero ac doctrina communi: c) ratione: qui cum dignitas generaliter sumpta aliud non sit quam eminentia quaedam quae ultra plebeios aut

alios dignitate carentes, conspicuum quem facit, indeque nomen singulare tribuit: sed doctoratu insigniti a plebeia conditione eximuntur. Ast non solum doctoratus in dignitate sed etiam in nobilitate penes praesertim veteres constituit. Iustinian. imper. Vlpianum *nobilem, nobilissimum* appellat: item *Egregium* nuncupat: Egregias autem personas idem esse ac illustres notat Gothofrod. — Tribonianus, Dorotheus, Theophil. Caeterique SCC. *Illustrium titulo* decorantur, quem olim senatores romani comites sacrarum largition. sibi proprium habuere. Ictos summi Principes amicos, parentes suos, maximum Decus, Viros celsos et honoratos compellarunt — quosque singulari honorificentia reverentiaque prosequendas severe sanxerunt. Hinc mirum non est si DD. quasi radii solis nuncupantur, quorum scientia totus illuminatur mundus, et ad obediendum Deo eiusq. ministris vita subiectorum informatur, nec non quasi splendor firmamenti lucere et tamquam luminosae candelae univers. corpus orbis profligatis errorum tenebris irradiare dicuntur. Scientia namque ea est quae sui possessorem, etsi ex sordidis abiectisve processerit parentibus, singulis honorabilem venerandumque proponit veraque nobilitate condecorat; cum conveniens dignumque sit, ita iudicante Imp. Iustiniano, ut ii qui amore scientiarum exules facti, de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, speciali quadam dilectione et honore prae ceteris habeantur, et is gradus ceteros antecellat, quem stipendia longiora et labor prolixior fecerint anteire Cf. Glass. ad c. demulta 28. v. literatas pers. de Praeb. et dignit. Cf. l. 2. C. de Off. Mag.

Quae omnia si omnibus conveniunt DD., multo magis DD. professoribus in Academiis Iuris, Theologiae. Tanta profecto DD. Professorum, penes veteres praesertim, est dignitas et aestimatio ut per vicennalem professuram illustrem quem effici, et comitivam dignitatem consequi communiter tradant DD — Denique florentis reipub. specimen esse, disciplinarum professoribus condigna meritis praemia pendere testantur Pererius aliique.

Ex dictis et ipsa catholica notione. Doctorum qui ad aliquam ecclesiasticam scientiam tradendam laurea donantur patet 1. quinam gaudeat in Ecclesia potestate Doctores creandi; et 2. quale sit ius docendi quod Doctoribus conceditur.

Dixi ex ipsa notione: doctores enim salutantur qui ab Ecclesiastica Universitate sufficienter instructi in aliqua scientia ecclesiastica renuntiantur atque ideo habiles ad eamdem publice tradendam. *Dixi quinam gaudent* . . . . cui resp. Ius creandi hos doctores uni Romano Pfici competit. qui illud exercere solet per Universitates catholicas. Romanus Pfex, non alius episcopus: episcopus enim potest constituere magistros ecclesiasticos intra fines propriae dioeceses, non extra: non extrafines de eorum sufficienti scientia nulla habetur praesumptio iuris sicut de DD. scientia.

Dixi quale ius docendi... Et respondemus quod quilibet ecclesiasticus doctor gaudet facultate publice docendi universam eam scientiam in qua ad lauream promotus fuit ita ut hae facultates ad omnes scholas in seminariis, collegiis, atque universitatibus constitutas extendantur. Exercitium porro eiusmodi iuri non est prortus independens ab Episcopo quin imo fere in omnibus laureis hoc cavetur scilicet. *Hoc diplomate lauream concedimus, insdemque disciplinae tradendae potestatem facimus: qua tamen potestate uti nisi permissu Epi, ne liceat.* Et cum

pro scientia doctoris stet praesumptio iuris usque dum graves in contrarium probationes non sint deductae, Ordinarius de ipsius doctoris sufficienti idoneitate dubitare non potest: quamvis semper ei integrum sit ad scientiam tradendam in propriam dioecesim dictum doctorum admittere vel non.

Notandum etiam competere Doctoribus ius annuli et bireti quadricuspidis gestandi. Pertinet ad doctorem in Theologia posse eligi in canonicum Theologum etc.

Doctoribus vero in Iure can. adytus patet ad dignitatem episcopalem Trid. Sess. 22 de R. c. 2: fiunt ipsi habiles ad officium Vicarii generalis capitularis, ad officium poenitentiarii — ad dignitatem Archidiaconatus Trid. Sess. 24 c. 12 de R. ad officium examinatoris synodalis Trid. Sess. 24 c. 18, nec non habiles fiunt ht recenseantur inter canonicos Ecclesiae Cathedralis vel Collegiatarum insignium Trid. Sess. 24 c. 12 de Ipsis competit privilegiu u dispensandi super impedimento occulto affinitatis, cum S. Poenitentiae literae dispensationis hanc exhibere solent inscriptionem « *Discreto viro confessori Magistro in Theologia: vel Decretorum Doctori* (1). »

Quaestio IX. DE POTESTATE QUAM PRAELATI ECCLESIASTICI EXERCERENT IN CONCILIIS, VEL IN EXPEDIENDIS NEGOTIIS STYLO CONCILIARI.

Praenot. Cum magna fuerit in Eccl. SS. Conciliorum auctoritas praesertim adversus haereticorum fraudes; cumque eorumdem auctoritas semper eminuit; saepe saepius celebrata sunt sive oecumenica, sive nationalia sive provincialia nominatim in maximis rerum perturbationibus ad dissipandas errorum tenebras. Et cum R. P. tum S. Cardinalium Collegii, qui vel seorsim vel in varias SS. Congregationes coacti illum coadiuvant, vel eporum in Conciliis oecumen. aut particularis, opera usus, canones et decreta condat vel pro universa vel pro particulari Ecclesia; cumque tandem quilibet in sua dioecesi Episcopus presbyterio suo utatur, operae pretium erit paucis exponere quae et quatenus magistratus ecclesiastici potestas conciliari stylo exerceatur seu.

1. De Conciliis praesertim oecumenicis.

N. 78.

Summ. 1° Quid sit Concilium — unde ortum habuit — quotuplex. 2° quibus causis legitima Concilia constant.

Quid? Quod nomine comitiorum in regnis, id nomine Concilii venit in Ecclesia. Sicut enim cum oritur controversia in republica conveniunt in unum

(1) Dignissimum est quod hac de re legatur opusculum canonicum cui tit. *De iuribus et Privilegiis Doctorum Ecclesiasticorum* auctore Aloysio Trombetta olim e numero diligentiorum auditorum meorum in Universitate Gregor., nunc iuris canonici antecessore in surrentino Seminario.

Principes regni vel magistratus, et, quid agendum sit, statuunt: ita in Ecclesia cum oritur controversia aliqua de religione conveniunt praesules Ecclesiae, et simul collatis sententiis statuunt quid necessarium vel utile sit pro christiana republica. Unde definiri potest Concilium ecclesiasticum in genere « Praelatorum Ecclesiae congregatio vel ad fidei controversias decidendas, vel ad tollenda schismata, vel ad fidelium mores reformandos, et restaurandam ecclesiasticam disciplinam a legitimo superiore convocata, aut saltem confirmata.

Originem Conciliorum Albertus Pighius et quidam alii ab humano non divino repetunt iure. At nos cum Bellarm. heic l. 1, c. 1, contendimus originem esse divinam: a) quia Concil. Chalcedonense in Epist. ad Leon VI.a Synod. act. 17, Coelestinus Papa epist. ad concil. Ephes. et concil. Toletanum III docent concilia esse demonstrata a Christo in illis verbis Mtth. 18. Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum sum: b) quia credibile est apostolos, qui pleni erant Spiritu S. nonnisi ipso Sp. S. admonente, 1m concilium congregasse: unde etiam dicunt visum est Spiritui S. et nobis: c) praetere etsi, ait Bellarm. ratio naturalis dictat ut in rebus dubiis Princeps consulat homines peritos, tamen ut soli Epi convocentur, et ii non sint consiliari sed iudices non videtur solius rationis humanae inventum ... d) denique certum est conciliorum celebrationem, quae omnibus saeculis in Ecclesia fuit, de apostolica traditione descendere: apostolicas vero traditiones ego quidem humana inventa appellare non auderem.

Quotuplex. Distinguuntur autem Concilia in generalia, plenaria seu nationalia, in provincialia et diocesana. *Generalia* sunt quibus interesse possunt et debent Epi totius orbis, nisi legitime impediantur, et quibus praesidet iure suo nativo R. Pfex aut alius suo nomine. Dicuntur oecumenica quia totius christiani orbis terrae concilia. *Nationalia* sunt in quibus conveniunt Archiepiscopi et Epi unius regni vel nationis, quibus praeest aliquis Patriarcha vel Primas. Provincialia sunt in quibus tantum conveniunt Epi unius Provinciae, quibus praeest Archiepiscopus sive metropolita. *Diocesana* sunt, in quibus conveniunt tantum presbyteri unius dioeceseos et iis epus praeest.

2. Quibus causis legitima constent concilia?

N. 79.

Resp. I. Causa finalis multiplex est quarum, *prima* est heresis nota, ait Bellarm. i. e. numquam antea iudicata; propter quam causam coacta sunt prima septem generalia concilia. Semper enim Ecclesia tanti fecit periculum novarum haeresum ut non putaverit aliter posse resisti, quam si omnes, aut certo permulti Principes Ecclesiarum coniunctis viribus et quasi agmine facto irruerent in hostes fidei. — *Secunda* est schisma inter Romanos Pontifices, qua de causa celebratum est e. g. Constantiense temporibus Gregorii XII et Bened. XIII. — *Tertia* est resistentia communi hosti totius Ecclesiae. *Quarta* est suspicio haeresis in Rom. Pfice. — *Quinta* est dubitatio de Electione R. Pficis.

— *Sexta.* Reformatio generalis abusuum et vitiorum, quae in Ecclesiam irrepunt.

Post haec solvit Bellarm. quaest. An. concilia Generalia utilia sint vel etiam necessaria, et resp. Etsi utilissima sint Generalia concilia tamen non simpliciter et absolute sed quadantenus necessaria dicenda sunt. Discurrit per omnes causas finales, ob quas solent concilia generalia celebrari, quibus finibus semper occurri potest vel per R. Pficem, vel aliter quam per concil. gener. si casus propositi moraliter possibiles sint.

Insuper Ecclesia. per 300 annos incolumis mansit sine celebratione Conciliorum General. poterat et alias mille annis incolumis permanere sine dictis Conciliis.

Attamen cum eod. Bellar. tenemus l. c. c. XI Concilia Eporum aliqua simpliciter esse necessaria. Praemittit quod necesse sit ut eveniant scandala ex Mth. 18, oportet et haereses esse ex 1 ad Cor. c. 2. certe, ait, necesse est etiam ut in Ecclesia sit certum aliquod iudicium, quo et scandala tolli et haereses damnari possint, prosequitur « Et si vero Summus Pfx iudex est vice Christi omnium controversiarum, eique obtemperare debet fraternitas universa, ut Cypr. loquitur l. 1. epist. 3. tamen non debet Pontifex in controversiis fidei diiudicandis aut solo suo iudicio fidere, aut expectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat et ordinaria media; et tum demum expectare assistentiam Spiritus S. et directionem divinam. Porro medium ordinarium et proinde necessarium esse Concilium magnum aut parvum, unum vel plura prout ipse iudicaverit, facile probari potest 1) ex divina illa promissione Mth. 18. Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo illic sum in medio eorum. — 2) Ex facto Apostolorum, qui cum possent etiam seorsim singuli definire controversias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium et a Christo ipso demonstratum, non sine Concilio controversiam de legalibus Antiochiae exortam definire voluerunt Act. 15. — 3) Ex consuetudine Ecclesiae ita ut ad res dubias explicandas Concilia Eporum haberentur. Et ipsi etiam Rom. Pfices nullam unquam haeresim novam sine novo Concilio damnaverunt... Quod autem semper, et ab omnibus factum est qui negare audebit ordinarium dici posse et revera esse? — 4) Sed accedat confirmatio ex PP. e. g. Cypr. l. 2, epist. 1. ad Stephan. *necesse, inquit, habuimus convenientibus in unum pluribus sacerdotibus cogere et celebrare Concilium* — Gelas, tom. de vincul. anath. *si praecessit* consensum Pficis, doceatur a quibus et ub ille sit gestus, si secundum Ecclesiae regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si maiorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, ubi procul dubio requirendum est *si synodali congregatione celebratus*, quod in receptione damnati et repulsione Catholici quia nova est causa, fieri certissimum est. — 5) Denique Concil. Tolet. in ipsa praefatione multis verbis demonstrat Conciliorum in Eccl. necessitatem. Sed illa summa est: si concilia desint necesse est ut omnia vitiis et erroribus continuo repleantur. Itaque etsi posset Deus per absolutam potentiam suam Ecclesiam sine Conciliis conservare; tamen secundum ordinariam providentiam eius, necessaria Concilia sunt ad bonam Eccl. gubernationem.

N. 80.

II. Causa efficiens Concilior. Certum est penes omnes Catholicos Concilia dioecesana ab Epo, provincialia ab Archiepiscopo, Nationalia a Patriarcha vel Primate convocari et celebrari debere. Neque minus certum est quod R. Pficis auctoritate oecumenica Concilia convocentur, eis ipse praesideat, ab eoque confirmentur. Coguntur autem Epi in oecumenicam synodum ut una conciliari actione decreta disciplinaria et fidei canones obligatorio modo proponantur uti agenda vel credenda: quod profecto est exercitium potestatis supremae atque universalis in Eccl. Sed huiusmodi potestas ordinarie in Romano Pfice residet. Ergo Concilia Generalia absque R. Pficis auctoritate celebrari non possunt. Ad rem P. Palmieri de R. Pfice p. 671. « Atqui licet Epi sint iure divino subiectum idoneum huius potestatis exercendae (univers. et supremae in Eccl.) una cum aliis et sub Rom. Pfice quia iure divino sunt principes sive habentes iurisdictionen ordinariam in Eccles.; tamen hanc potestatem ferendi leges pro universa Eccl. Epi nec singuli seorsim, nec simul collecti habent a se vel a Deo immediate, sed solum habere possunt immediate a R. Pfice eos ex potestate sua convocante; ergo convocatio Rom. Pficis requiritur, quae conferat hanc potestatem Epis. Consequentia patet quia deficiente potestate nulla est realiter synodus. Prob. minor. et quidem quoad 2.m partem in qua fieri potest difficultas. sane si regimen Eccl. esset aristocraticum, pronum esset inferre quod ex ipsa Christi institutione, posito facto adunationis legitimae, Epis adunatis immediate iurisdictio competit quod per se in universitate reperitur. — Scilicet ex Christi institutione non duplex est suprema potestas in Eccl. seu non est duplex subiectum praeditum suprema potestate sed unum Ecclesiae caput sicut ipsa Ecclesia est una: porro suprema potestas ipsa est potestas primatus atque unicum est eius subiectum scil. R. Pfex. Potestas autem ferendi leges pro universa Ecclesia est actus proprius supremae potestatis. Ergo ex se Epis ceteris sive singillatim sive collective sumptis illa competere nequit. Neque ipsis prout sunt unum corpus sive dispersi sive uniti in synodum confertur immediate a Deo talis potestas: nam eatenus verum est supremam potestatam esse in caetu Pastorum quatenus ea propria est capitis huius coetus, cuius auctoritate fieri potest ut ceteri pastores simul cum ipso et per ipsum concurrant ad exercitium supremae potestatis. Institutio enim Primatus excludit supremam potestatem ab universitate Pastorum omnesque ceteros pastores simul quoque sumptos subordinat iurisdictioni R. Pficis; idcirco Deus potestatem ferendi leges pro universa Eccl. immediate non communicat nisi uni, vult imo ceteros alios per se non habere; neque enim habere eam possunt qui sunt supremae potestati subordinati. Sunt ergo iure divino Episcopi adunati in Concilium *capaces* huius potestatis, sed ita ut eam ex capite suo R. Pfice accipere debeant. Et sane cum R. Pfex sit Pastor supremus et immediatus cui universa Eccl. est commissa habeatque plenitudinem potestatis, ipse ius habet ut nemo citra suum consensum ferat leges qua sui subditi obligentur. Ergo ut Epi in Synodo valeant decreta fidei vel morum aut disciplinae condere oportet ut ad id fiat ipsis facultas a R. Pfice. »

Insuper antiquissimus est canon, quo statuitur praeter sententiam R. Pficis

Concilia non celebrari. Dixi *antiquissimum:* nam eum apostolicum esse scribit B. Marcellus Papa ep. ad Epos Antiochenae Provinciae. Eumdem renovavit Concilium Nicaen. I ut testatur Synodus Alexandrina epist. ad Felicem et Iulius I ad Epos Orientales cf. nostr. Instit. can. tit. de Concil.

N. 81.

Causa quasi materialis Concilior, seu ex quibus Concilia praecipue constant, quinam sint ad Concilium vocandi ? Resp solos Praelatos maiores eosque omnes i. e. Epos in Concil. generalibus et provincialibus habere ius suffragii decisivi : ex privilegio autem et consuetudine Cardinales, Abbates et Generales Ordinum, licet Epi non sint. Dixi solos Praelatos ad excludendos non modo laicos, sed etiam clericos minores, qui si vocentur id fit ut iuvent episcopos in disputando et aliis ministeriis. Principes laici si quandoque vocati sunt id factum tum ut testes et conscii postea transgressores et contumaces poenis corporalibus puniant. Notetur et illud quod ex privatis laicis vocentur aliquot, qui scil. videantur utiles vel necessarii ad aliquod Concilii ministerium.

Quod Epi sint vocandi patet 1.) ratione. Nam definire in Conciliis ea, quae sunt credenda vel agenda proprium est munus Pastorum : id enim proprie est pascere et docere, et quidem ita ut teneantur subditi credere et agere. Quod *docere* sit pascere habetur penes Hieronym. *dabo vobis pastores secundum cor meum et pascent vos scientia et doctrina.* Et S. Paul. ad Ephes. 4. *alios autem pastores et doctores* ubi vidimus supra eum Hieron. et August. coniunctum esse nomen pastoris cum nomine doctoris quia proprium est pastorum docere. Sed quinam sunt hi pastores nisi Epi. iuxta *Actor.* 20 Attendite vobis et universo gregi quos Spiritus S. posuit Epos regere Ecclesiam Dei. Ioan. ult. Petro dicitur pasce agnos meos pasce oves meas. — Insuper negotia ecclesiastica et publica a personis ecclesiasticis et publicis tractanda sunt. Sed tales sunt soli Epi. quod patet ex eo quod in Concilio Chalcedonen. cum pro Dioscoro Monachi et Laici ingressi essent, saepius Patres clamarunt mitte *foras superfluos, Concilium episcoporum* est. Quod dictum sic ingeminatum a Patribus fuisse legem, antiquam et omnibus notam liquet ex historia.

N. 82.

Causa formalis seu forma Conciliorum cum quaeritur, id quaeritur an Concilia habeant formam iudicii seu an Epi sint veri iudices et quinam ordo inter eos. Et *Respond.* Episcopi existentes in Concilio sunt veri iudicis fidei non meri consultores. Certe ipsi non amittunt ius illud congregati quod ex munere suo habent singuli in suis Ecclesiis, imo ex coniunctione cum supremo iudice potius illud ius perficitur quatenus ampliatur eius extensio. Sunt autem Episcopi ex se iudices inferiores a quorum sententia appellari potest , quae proin sententia non est ex se irrefragabilis et peremptoria quod solum dicit, non esse ipsos iudices supremos. Itaque dicimus « sententia Concilii seu conciliaris habita semper fuit uti sententia iudicialis. Sed sententia conciliaris non habetur nisi universitas vel maior aut sanior pars Episcoporum quoque consentiat. Et re quidem vera etsi Romanus Pontifex ex se solo possit definire aut de-

cretum condere, nequit tamen definitionem aut decretum conciliare edere ni si sacro approbante Concilio: quod perpetuo in Ecclesia retentum est. Imo ex ipsis rerum naturis patet quia sententia conciliaris supponit concilium seu coetum plurium in eam consentire. Si autem sententia conciliaris est sententia iudicialis et sententiam conciliarem formaliter constituit consensus episcoporum ergo huiusmodi consensus est consensus iudicialis.

Ordo porro inter hos iudices est ut R. Pontifex Generali Concilio praesideat non tantum honoris sed iurisdictionis praesidentia: a) Ius enim praesidendi sequitur naturam primatus: sed unus Rom. Ptex gaudet primatu iurisdictionis in universos Episcopos etiam collectos. b) Deinde Episcopi coacti in Synodum non differunt a seipsis singuli manentibus in suis Ecclesiis nisi ratione actionis quia in suis Ecclesiis singuli seorsim agunt, in Synodo vero actiones singulorum conferuntur, et una prodit actio communis: ast quoad esse idem est caetus Episcoporum dispersus et unitus. Sed universus caetus Pastorum collectus nonnisi a Rom. Pfice potestatem habet decernendi actione communi leges pro universa Ecclesia, ergo totum Concilium ut inferius subest iurisdictioni Rom. Pontificis: ergo huius est praesidere. c) Potestas docendi est potestas iurisdictionis sed potestati docendi Rom. Pontificis subest universus coetus Episcoporum, qui a R. Pontifice infallibilitatem mutuatur eiusque sententias sequi debet: quia decreta fidei edita a Concilio sunt infallibiliter vera et decreta morum sunt infallibiliter honesta. Sed Episcopi etiam simul sumpti non possunt condere huiusmodi decreta: d) Romanus Pontifex semper praefuit conciliis oecumenicis. Iam enim in Ecclesia obtinebat lex Conciliorum id praecipiens ut praesidentis locus tribueretur Romano Pontifici eiusvelegatis, ut docet Synodus VII quae actione 6.ª probat Synodum Episcoporum a Copronico coactam pro haeresi iconomachiae asserenda, non posse vocari Concilium oecumenicum quia non habuit adiutorem Romanorum Papam, *quemadmodum lex edicit Conciliorum*: sed adiutorium praestitum synodis a Rom. Pontifice sive per se sive per suos vicarios aut per encyclicam epistolam, historia teste in eo erat ut Romanus Pontifex convocaret Synodum, legatosque mitteret qui Synodum moderarentur de omnibus iudicaturi, atque etiam doctrinam praeformaret necessario tenendam quam per legatos suos proponebat: sed hoc complectitur ius praesidendi cum potestate iurisdictionis.

N. 83.

De confirmatione Conciliorum generalium aliquid innuendum heic cum plenius in lib. de personis tractabitur ubi et de conciliis peculiaribus eorumque confirmatione. Iam exdictis supra praesertim ubi de potestatis plenitudine primatus egimus descendit quod concilia oecumenica neque infallibilitatem, neque robur ullum habent nisi a Romano Pontifice confirmentur etiamsi eius legati eisdem adfuerint. Decreta enim conciliaria non possunt obligare universam Ecclesiam nisi obligatorio modo proponantur ab eo qui gaudet suprema in universam Ecclesiam potestate. Sed hic est unus Romanus Pontifex: proponuntur autem ab hoc per confirmationem: ergo.

Patet idem ex praxi perpetua Ecclesiae, atque constanti PP. traditione. Praestat Gelasii Pontificis protestationem referre ex *tom. de anath. vinc.* apud

Mans. Concil. ed Mansi colunn. 92 « Totumque (ut dictum est,) in Sedis Apostolicae positum est potestate, ita quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit habere non potuit firmitatem. Concil. rom. III epist. ad clericos et Monachos Orientis apud Mansi Concil. tom. VII, col. 1140 ». Quam vocem, ait, sequentes trecenti decem et octo S. Patres apud Nicaeam congregati, confirmationem rerum atque auctoritatem S. Romanae Ecclesiae detulerunt Cf. Zaccaria Antifebr. Parte II, lib. IV, c. IV.

De auctoritate Conciliorum generalium.

Solent tandem heic DD. tradere de auctoritate Conciliorum praesertim oecumenicorum. Quod nos heic ad complementum doctrinae etiam breviter tangimus.

Itaque ex dictis patet quaenam sit dignitas et auctoritas episcoporum in Concilio, totiusque Concilii.

N. 84.

Dixi Episcoporum dignitas . . . Audiatur Palmieri qui l. c. p. 688 catholicam sic refert doctrinam. Etenim patet 1.º Episcopos in Concilio vere esse iudices et quidem cum Episcopi praevertunt suffragio suo sententiam Pontificis nulla est specialis difficultas sed satis sunt dicta superius n. 6. Verum et cum sequuntur Pontificem, praeformantem doctrinam, iudices agere manifestum est. Nam a) eorum actus consequens idem manens quoad substantiam potuisset praecedere. Porro si fuisset tunc actus iudicialis, erit et modo. Praeterea b) Episcopi 1º instituto examine causam cognoscunt ex auctoritate quam habent custodiendi, vindicandi et docendi fidem: 2º ex eadem auctoritate, extensa quidem per Pontificem ad universam Ecclesiam, attamen ipsis quoad certam partem gregis propria, et per quam iure divino sunt idonei ad hanc amplitudinem auctoritatis accipiendam, sententiam ferunt doctrinamque confirmant cum Romano Pontifice: et 3º ex eadem auctoritate sententia eorum procedens fertur in subditos fideles qui eos audire debent: unde 4º per consensum Episcoporum existit sententia conciliaris quae est certe iudicialis.

Quare differt prorsus sententia Episcoporum a sententia aliorum, puta theologorum quae praevertat, vel accedat definitioni Pontificis. Isti enim non ex auctoritate iudicant nec sententiam ferunt in subditos nec eos tenentur fideles audire; nec per ipsas authentice definitur, confirmatur, vindicatur doctrina fidei. Quare etsi illos sibi associaret Pontifex, non haberetur nisi auctoritas unius docentis: auctoritas nempe Pontificis: auctoritas inquam illa docendi quam Christus ipse instituit. Nec dicas exinde sequi quod infallibilitas episcoporum non sit nisi infallibilitas discipulorum ideoque eam non differre ab infallibilitate ceterorum fidelium: vel in quo ergo differt? Nam certum est ex probatis in superioribus quod Episcopi vel simul sumpti se habent ad Romanum Pontificem ut oves pascendae, ut fratres confirmandi, ut columnae aedificii sustendandae a fundamento, ideoque ita sunt pastores ut sint etiam oves, ita regunt ut etiam regantur, ita docent ut etiam doceantur. Duplex haec habitudo Episcoporum est ob oculos habenda si rite oeconomiam Ecclesiae intelligere velimus. Cum igitur et ipsi sint regendi et docendi ne-

quit infallibilitas ipsis per se competere: Cur enim docendus sit qui ex se est infallibilis? Si ergo totus quoque pastorum caetus pascendus est a Romano Pontifice, ille ex se seorsim a magisterio Rom. Pontificis nequit esse infallibilis, Episcopis tamen competit infallibilitas alia ac ea quae competit fidelium caetui. Huic namque competit infallibilitas *passiva*, illis vero infallibilitas *activa*. Etenim competit infallibilitas propria magisteri authentici quae solo magisterio promissa est, quaeque est ratio infallibilitatis, ceterorum: ita tamen tali magisterio competit infallibilitas ut immediate et absolute insit R. Pfici, mediate et sub conditione ceteris, si nempe cohaereant cum magisterio illius, si ab eo confirmentur, si ab eo pascantur ».

N. 85.

Dixi quaenam auctoritas *totius Concilii*. Ut restringamus sermonem semper ad Concilia oecumenica dico Concilia oecumenica a Romano Pfice approbata sunt infallibilia in materia fidei et morum 1. ex S. Script. Nam Matth. c. ult. Apostolis eorumque successoribus promittitur peculiaris assistentia. Ecce ego vobiscum tum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi Ioan. c. 14. Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum spiritum veritatis. Et Mtth. c. 18, v. 20. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. scil. Si duo vel tres Congregati in nomine meo obtinent semper quod petunt a Deo nimirum sapientiam et lumen; quod sufficit eis ad cognoscenda ea quae ipsi necessaria sunt; quanto magis Episcopi omnes congregati in nomine meo semper obtinebunt quod iuste petunt i. e. sapientiam et lumen ad iudicanda ea, quae ad totam Ecclesiam dirigendam pertinent? Ita h. l. exponunt Caelestin. epist. ad Ephes. concil. Chalcedon. concil. in epist. ad Leon. Cpolitan. III act. 17 Toletan. III non procul ab initio. At vero nullo sat firmo et in promissione Christi fundato argumento demonstrari potest concilia particularia in nomine Christi congregari, quod indubitatum est de conciliis oecumenicis. Nam concil. oecum. est ipsummet Ecclesiae corpus quod nusquam est sine suo essentiali, primario et invisibili capite Christo alioquin a corpore Ecclesiae separatus aliquando Christus foret eamque desereret: quod pugnat cum ea fide et promissione qua testatur se numquam ab Ecclesia abfuturum.

Ioan. XVI. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem postquam c. XIV tradiderunt Spiritum S. mansurum cum Apostolis in aeternum i. e. cum eis et cum successoribus perpetuo, qui profecto sunt Episcopi. At Episcopos seorsim sumptos non docet Spiritus Sus omnem veritatem: ergo saltem Episcopos omnes in unum congregatos docebit omnem veritatem.

2. ex praxi Ecclesiae quae semper pro haereticis eos habuit qui contradicebant dogmati a legitimo Concilio oecumenico clare deciso ut patet in Arianis, Nestorianis, Eutychianis.

3. ratione theologica a) Ecclesia Christi est infallibilis quoad fidem et mores: ergo etiam concilia oecumenica a Rom. Pontifice approbata quia haec repraesentat totam Ecclesiam cum suo capite. b) Impossibile est convocari totam Ecclesiam omnesque fideles, ergo iudiciaria potestas eaque infallibilis tribui debet concilio episcoporum. c) Si concil. oecumenicum a Rom. Pontifice approbatum

errare posset in materia fidei et morum, errare quoque posset et deberet universa Ecclesia, quod falsum est: quia ex una parte Episcopi cum Rom. Pontifice repraesentant totam Ecclesiam, ex alia parte oves tenentur sequi doctrinam pastorum. Neque Ecclesia in rebus fidei et morum aliquid decernit nisi per pastores. Aliis verbis vidimus supra Magisterium supremum et authenticum in Ecclesia est infallibile sed corpus pastorum e. e. Eporum docens in concilii oecumenic. exhibet magisterium supremum in universam Eccles. Cf. Bellarm. l. c. c. 4. Hinc patet.

N. 86

Assertum. — Corpus Pastorum cum R. Pontifice consentientium etiam extra concil. oecumenicum est infallibile in materia fidei et morum: quod vidimus supra quaest. VIII de magisterio infallibili S. XII.

II. De stylo conciliari in Ecclesia etiam quoad ordinarium regimen.

N. 87.

Quoniam communi quadam actione hactenus Episcopi cum suo presbyterio vel Capitulo Cathedralis Eccl. et ipse Romanus Pontifex cum suis congregationibus plurima, saltem graviora negotia ordinarie expediant, videretur *obiiciunt Protestantes contra Ecclesiae constitutionem*, potestatem regendae et administrandae Ecclesiae quae originem et causam repetit a Christi Dni lege et ordinatione derivatam ab ipso est non in Episcopos, sed in presbyterorum collegia aut in fidelium plebem. Unde de hoc stylo, quem vocant, conciliari aliquid nunc innuendum remittentes tractationem in iure can. ubi de pluribus collegiis Clericorum praesertim Capitularium et SS. Conggr. ita ut Epus ab illis non modo consilium sed et consensum pluribus in negotiis regiminis Eccl. expectare debeat. Ad rem Emus Card. Segna op. c. n. 55 « Sed ut in dubiis ambagibusque aditus praecludatur quaestionis status pressius ad hoc finiendus est. Etenim si sermo de eo sit quod est praxi usuque receptum, contendere quis iure posset nedum prioribus Eccl. saeculis sed perpetuo morem hunc et consuetudinem in ea obtinuisse ut Episcopi nonnisi communi consilio et cleri adhibita et explorata sententia proprias dioeceses regerent. Quam in rem testes proferre in medium is posset, initio ducto ab Act. XV, 6. seq. XXI. 18 seq. innumera propemodum concilia generalia provincialia, diocesana ad nostram usque aetatem habita, quorum quae supersunt Acta, ingentia collectionum volumina implent. Imo votum, et, ut ita loquar, sensus quodammodo, Ecclesiae semper fuit, ut gravioris praesertim momenti negotia, collatis plurium consiliis, datisque suffragiis finirentur; haecque hodie etiam in Ecclesia catholica viget lex et disciplina — Etenim hodiedum etiam Episcopi ex praescripto sacrorum canonum quamplura nonnisi capituli suae Cathedralis (quod idcirco Senatus Episcopi vocari consuevit) adhibito et explorato suffragio, aut etiam in consilio accitis pluribus paucioribusve canonis aliisque e dioecesis clero decernere possunt; quae late versant SS. canonum interpretes. Testem appello minime suspectum Benedict. XIV de Synodo dioeces. l. XIII c. 1 n. 4 seq. — Si autem Episcopi

videantur in praesens, plura quam in anteactis retro temporibus per sese negotia transigere, id accidit quia saeculorum lapsu, Conciliorum decretis, maxime vero concil. Tridentini, ratio modusque ut plurimum praestituti sunt, quibus casus aut controversiae, quae oboriantur finiri dirimique debeant· — Imo ipse Summus Pontifex tunc ordinem modumque in Ecclesia regenda ad amussim servat; nempe graviora negotia, ut loqui amant, *conciliariter* non *praesidialiter* scil. nonnisi Cardinalium adhibitis consiliis et suffragiis expedit, ut in Concistoriis, aut inde a Xysto V praesertim per congregationes ad hunc nominatim finem institutas, ut quae antea difficilius et tardius per coactas Romae Synodos, facilius et celerius synodali quoad substantiam forma servata, dirimi possent, ut adimadvertit Benedict. XIV de *Synod. dioeces.* l, 2, c. 3, nn. 7-8. Dici vere potest nullum prorsus gravioris momenti negotium a Romano Pontifice transigi, prius non explorato consultorum sacrarum Congregationum et cardinalium plurium voto, quorum insuper sententia, nisi urgens ratio aut inopinata emergens causa secus suadeat, ipse non recedit. »

Et postquam idem Emus. Card. hunc stylum conciliarem obtinere etiam in electionibus episcoporum ostenderit, concludit hunc num. « Itaque ut ad locum, unde diverterat, redeat oratio si de disciplina, quae de facto obtinet, sit sermo, nulla expostulandi aequa causa esse potest: nam, missis ut par est levioris momenti causis in Catholica Ecclesia graviora negotia ex sacrorum canonum praescripto communibus consiliis et suffragiis, ut olim ita etiam in praesens transiguntur. Quapropter quaestio nonnisi iuris esse potest eaque in tria praesertim capita distributa: 1.° utrum a Christo Domino praecipua et exsors quaedam regendae et administrandae Ecclesiae Episcopis fuerit tributa potestas, an 2.° potius collegiis presbyterorum ex aequo communis : aut 3.° utrum eadem fidelium universim plebi et communitati sit collata. ut ex sese autem patet prioris propositionis demonstratio, alterius et tertiae refutationem una simul continet.

N. 88.

Conclusio Iam igitur exposita est verae Ecclesiae Constitutio, eaque ab erroneis systematis, quae adversus conficta sunt, quantum satis fuit, vindicata est: proindeque iam patet quod in postremo hoc libro iuris publici ecclesiastici inquirendum nobis proposuimus; quinam ii sint in quibus Ecclesiastica potestas iure resideat, et quanta in unoquoque sit.

Ex hactenus disputatis manat a) quam merito Ecclesia libertate atque independentiam suam a civili auctoritate in rebus ecclesiasticis: b) quam merito omnimodam libertatem qua semper gaudere debet supremum ecclesiasticae potestatis subiectum, centrum unitatis ac omnis auctoritatis fontem : c) quam merito Ecclesia hinc supremo fidei ac morum magistro semper inhaerentem infallibilitatis praerogativam usque defenderit omnique cura propugnaverit.

Patet 1m quia perinde est ait Palmieri de R. Pontif. sub fine thes. XXIV potestatem saeculi se immiscere Ecclesiae regimini sibique Ecclesiae iura subordinare ac Ecclesiam funditus perturbare eiusque procurare interitum. Si enim Ecclesia subest auctoritati civili, iam non est societas quae regitur auctoritate

Apostolica, iam non est regnum Christi quod in supernaturale bonum ordinatum est animarumque sanctitatem et salutem procurat: ideoque desinit esse Ecclesia Christi. Hinc summa contentione certatum est olim, ne electiones episcoporum penes arbitrium essent potestatis saecularis: quo enim saecularis in hoc conflictu spectabat nisi ut sibi regimen Ecclesiae subiiceret, cui ex libitu suo rectores dare volebat? Non est profecto independens sed serva ea societas quae rectores suos ab alio accipere debeat: nec alii quam Ecclesiae summoque Pontifici in primis Christus ius contulit constituendi pastores pro ovibus suis. Quod ius cum Ecclesia tueretur, quod officii sui est, exequebatur nec honoris aut excellentiae cupidine sed obedientia erga Deum et amore erga humanum genus movebatur, cuius maxime imo unice interest ut in viam salutis dirigatur, dirigatur autem ab iis, qui solum valent hoc fungi munere, cuiusmodi illi tantum sunt qui auctoritate accepta ab iis qui Apostolis succedunt in eamdem seriem successionis legitime adciscuntur: iis enim solis suam auctoritatem Christus commendavit ut diximus (in prolegomen.)

Patet 2.m quia impedita aut sublata in suorum iurium exercitio libertate capitis fontis ac centri universae ecclesiasticae potestatis quomodo pastor pastorum, et corpus ipsum pastorum pasci et pascere potest gregem sibi commissum, eumque in vitam aeternam adducere?

Patet 3.m quia Ecclesia quam moderatur supremus fidei ac morum magister, est columna et firmamentum veritatis ideo quia capiti suo et centro adhaeret grex ad quem spectant oves et agni i. e. fideles et fidelium pastores qui pasci quoque debent a supremo pastore. Hinc si corpus pastorum in concilium oecumenicum cogatur ipsum et Romanus Pontifex non sunt duo subiecta supremae potestatis neque adeo activae infallibilitatis. Dixi supremae potestatis quia concilium eam non habet nisi ratione summi Pontificis cuius auctoritas informat definitiones vimque legibus tribuit quas communi consensu ad unitatis Ecclesiae manifestationem conciliariter ediderunt. Dixi neque adeo infallibilitatis quia ubi est supremum potestatis iurisdictionis subiectum ibi et subiectum supremum infallibilitatis.

Eo itaque devenimus concludit Tarq. n. 22, ubi annulo quodam ius publicum ecclesiasticum cum iure privato connectitur i. e. ad tractatum de fontibus iuris canonici, qui quidem eorum quae in hoc libro exposita sunt verum est corollarium simulque est veluti germen, unde totum efflorescit ius ecclesiasticum privatum, seu ius canonicum proprie dictum.

De fontibus Iuris Ecclesiastici Privati, seu Iuris Canonici proprie dicti.

N. 89 (Tarq. 23)

Leges in quavis societate legitimo ex fonte dimanare dicuntur, si ab iis editae sunt, qui iuxta constitutionem eiusdem societatis potestatem legiferam in ea habent. Iam vero Ecclesiae Christi constitutione explorata, vidimus 1.o Eam esse societatem divinitus, id est a Christo institutam, adeoque non modo divinae eius naturae, verum etiam fundationis ratione perfectam omnis potestatis plenitudinem in Christo Deo residere: 2.o Christi in terris Vicarium

esse Romanum Pontificem, ac proinde (salvo iure divino, quod interpretari potest, non mutare) plenam, atque incircumscriptam in eundem derivasse potestatem, quanta scilicet necessaria est ad Ecclesiae regimen exercendum: 3.º Partiales Ecclesiae praefectos, seu pastores esse Episcopos, quorum scilicet potestas iis terminis definitur, qui ab Romano Pontifice sive immediate et expresse, sive mediate ac tacite designati fuerint. 4.º Praeter Episcopos alios esse posse praefectos, qui nimirum vel a Romano Pontifice, vel in suis dioecesibus ab Episcopis munere sive ordinario, sive delegato potestatem legitime habuerint, quorum proinde potestas eorundem voluntate determinatur. Ergo quidquid in Ecclesia est legum, quod ad eorum, quid mox dicti sunt, voluntate sufficienter promulgata intra eorundem potestatis terminos profectum est, id *legitimo ex fonte* dimanasse patet; quidquid autem ad eiusmodi eorum voluntatem referri nequit, *spurium* sit necesse est. Inde autem iuris canonici legitimi triplex praecipue distinctio est; nimirum.

a) Ratione auctoris *Divinum*, quod a Deo, *Humanum*, quod ab homine constitutum est.

b) Ratione modi, quo est promulgatum, *Scriptum*, quod scriptis legibus continetur, *Non scriptum*, quod traditione vel legitimo populi usu natum est.

c) Ratione eorum, quos obligat, *Commune*, quod totam Ecclesiam *Particulare*, quod aliquos tantum ligat.

Quibus praemissis, iuris canonici fontes distinctius iam perspici possunt.

N. 90 (Tarq. 24)

Itaque fontes *iuris Divini* varii sunt, prout *scriptum*, vel *non scriptum* est. Nam.

I. Ad scriptum pertinent *SS. Litterae*; nimirum.

a) *Novi Testamenti* simpliciter.

b) *Veteris Testamenti*, quoad praecepta moralia. Nam caeremonalia, et iudicialia adventu Christi sublata sunt.

II. Ad non scriptum pertinent.

a) *Traditiones Divinae*, de quibus scilicet Ecclesiae testimonio constat, Christum ipsum auctorem habuisse.

b) *Ius naturale*, quod scilicet *ubique instinctu naturae, non constitutione aliqua habetur* (Can. 7. dist. 1).

III. Appendix quaedam iuris divini est Ecclesiae testimonium sive per infallibile Romani Pontificis oraculum, sive per Concilii generalis iudicium, sive per Patrum dicta moraliter inter se consentientium prolatum non modo ad traditiones divinas comprobandas, verum etiam ad germanum sensum iuris scripti divini asseriendum.

N. 91 (Tarq. 25)

Iuris autem *humani* varii item in Ecclesia sunt fontes non modo prout *scriptum*, vel *non scriptum* est, verum etiam prout *commune* vel *particulare* est.

I. Ad scriptum, prout commune est, pertinent.

a) Constitutiones Romanorum Pontificum.

b) Decreta Conciliorum generalium, et praecipue Concili Tridentini, quod recentius est.

c) Ratione auctoritatis Romanorum Pontificum vel Conciliorum generalium.

aa) Decreta inferiorum praelatorum, sive Conciliorum provincialium, quae Romani Pontificis, aut Concilii generalis auctoritate ad universam Ecclesiam extensa sunt: quo quidem in numero non abs re erit animadvertere, habenda esse *Ancyranum*, *Neocaeseriense*, *Gangrense*, *Antiochenum*, *Laodicenum*, *et Africana*, seu *Charthaginensia*, ita scilicet iubente Leone IV. in Epist. ad Episc. Britan. Cap. 6., cuius verba relata sunt in Can. 1. Dist. 20.

bb) Leges auctoritate illegitima editae, ex gr. secularium Principum, quae tamen a Romano Pontifice, vel a Concilio generali libere approbatae fuerint.

cc) Decreta eorum, qui delegata a Romanis Pontificibus auctoritate utuntur: quo referri possunt Responsa SS. Congreg. Cardinalium (cf. Sixtum V. Const. Immensa).

II. Ad scriptum, prout particulare est pertinent

a) Decreta Conciliorum Provincialium, aut nationalium pro sua natione aut provincia.

b) Decreta Episcoporum, vel aliorum Praelatorum quasi Dioecesim habentium pro eorundem dioecesi.

c) Statuta particularia sive Regularium, sive aliorum Collegiorum, quibus statuta condendi ius datum est pro iis, qui ad eadem collegia pertinent.

d) Decreta Romanorum Pontificum, vel Conciliorum generalium, quae pro aliquibus tantum personis, aut collegiis, aut regionibus lata sint.

e) Decreta eorum, qui delegata a legitimis superioribus auctoritate utuntur, pro iis tantum personis, aut locis, quae definita sint tum in mandato delegantis, tum ipsa eiusdem potestate, quae scilicet in easdem personas ac loca legitime extendatur.

III. Ad ius humanum non scriptum pertinent

a) Traditiones Apostolicae, vel Ecclesiae.

b) Consuetudines sive generales pro tota Ecclesia, sive particulares pro singulis locis, ratione scilicet non auctoritatis popularis, sed Ecclesiae, quae eiusmodi consuetudines certis concurrentibus conditionibus, de quibus in iure canonico agendum est, habere vim legis voluit (can. 5. Dist. I. etc.)

IV. Appendix quaedam ad ius humanum non quide eatenus, quod veram vim legis habeant, sed eatenus quod prudentem iudicandi regulam praebent, sunt

a) Decreta conciliorum provincialium, aut nationalium etiam pro Ecclesia universa.

b) Sententiae Patrum.

c) Doctrina glossae, idest veteris interpretationis, quae sacris canonibus *in corpore iuris* collectis adiecta est, quaeque communiter recepta sit.

d) Doctrina scriptorum iuris canonici aut etiam Theologorum inter se consentientium.

N. 92 (Tarq. 26)

Hi sunt fontes iuris canonici, quibus Ecclesia catholica, id est Romana utitur, quippe qui a divina Ecclesiae constitutione soli dimanant. At illi, qui ius Ecclesiasticum apud eos constituunt, qui a Romana Ecclesia desciverunt, ipsi per sese indicant, veram Christi Ecclesiam apud eos defecisse : sunt enim praecipue *leges saecularium Principum auctoritate editae, atque propositae,* quas eadem Ecclesia constitutio repudiat, et adulterinos esse fontes statuit.

In haec omnia cf. ut comment. praelect. nostrat. In schol. instit. can. l. isagog. sect. II. n. 17 seqq.

APPENDIX I.

DE REGIO PLACET

DISSERTATIO

CAMILLI TARQUINI S. I.

HABITA DIE 2 SEPTEMBRIS 1852

PRAEFATIO AUCTORIS

Typis iterum editur haec de *regio placito* dissertatio, quae pluribus iam linguis reddita haud parvam Europae partem pervagata fuit. Proposuit sibi Auctor eos tantummodo haec dissertatione alloqui, quibus et animus inesset aequi rectique studiosus et sincerus catholicae veritatis amor. Satis superque his erat nudasse ingenitam *placiti* huius turpitudinem, quod lictorias, uta ita dicam, manus in Ecclesiam iniicit, eamque uti perpetuis suspicionibus obnoxiam ad tribunal laicorum sistit, ac, ne quid fari libere valeat, iudicem imponit filium matri discipulum magistrae, interdicens perduellionis scelere populus ne huic magistrae ac matri morem gerant, nisi discipulus filiusque permiserit. Eversio rerum haec est, quae magno illi publicae rei administro Colbert turpissima visa fuit. « *Il ne sied pas bien à un fils de se revolter contre son père. S' il est glorieux d'avoir le dessus sur ses ennemis, il est* HONTEUX *de vouloir être le maïtre de ceux à qui l' on doit du respect... A moins que de vouloir detruire tout à fait la religion, toutes les entreprises que V. M. saurait faire contre Sa Sainteté retombéront toujours sur elle.* » (Testam. politiq. chap. 8).

Quoad ceteros autem qui haec fort lecturi sint, negari profecto nequit quod alius aeque inclytus a publicis negotiis administer, Comes Solaro della Margherita gravissimis verbis pronunciavit. (Avved. politici cap. 19, n. 2) « *Sonovi governi i quali per questo solo vantansi devoti alla Chiesa, perchè riconoscono la gerarchia ecclesiastica, concedono che s' edifichino templi e permettono magnifiche funzioni di culto esterno; laddove tutto ciò non è che una parte dei doveri di un governo cattolico*; NÈ BEN LI ADEMPIE IN QUESTO NEPPURE, OVE LA SUA AZIONE SENTA PIÙ DEL DOMINATORE, CHE DEL PROTETTORE. » Vera haec, inquam, sunt atque extra controversiam posita; sed hac dissertatione Auctor huiuscemodi homines alloqui minime voluit, at eos qui se vere atque ingenue catholicos profitentur. His vero nullum adduci argumentum certius validiusque potuisset quam « ECCLESIA DEFINIVIT. « Quamobrem Ecclesiae sententias, tum *implicitas* antequam *placitum* existeret, cum *explicitas* posteaquam extitit, Auctor proponit serie adeo continenti ac perpetua, ut parem fortasse in ecclesiastica historia reperire nequeas.

Nemo tamen arbitretur omnes hic descriptas esse Ecclesiae sententias contra *Placitum*. Nam ut ait Clemens XI. in constitutione *Nova semper* 29 novembris 1714 « *execrandus abusus* (placiti) *per sacros Canones et plurimas notissimas pontificias Constitutiones sub anathemate damnatus* » fuit. Quod quam

vere sit dictum vel ex hoc lector intelliget, quod UNDECIM alias constitutiones, quarum nulla in dissertatione est mentio, heic subiicimus: ex his unam alteramve integram fere excribemus, ceterarum brevitatis studio nonnulla loca recitabimus aut locorum notationes. Ac primum constitutio *Nova semper* Clementis XI mox citata ita se habet.

CLEMENS XI

SERVUS SERVORUM DEI

AD FUTURAM REI MEMORIAM

« Nova semper in dies, ut alias non semel diximus, et semper acerbiora ex « regno Siciliae ad Nos afferuntur. Nuper siquidem Nobis innotuit, quod illi « idem... secundum duritiam suam et impoenitens cor, ADDENS PECCATUM SU- « PER PECCATUM AC THESAURIZANS SIBI IRAM IN DIE IRAE, animo forsan, ut stulte « opinabatur, enervandi efficaciam eorum, quae ex iniuncti Nobis apostolici « muneris debito adversus ipsum eiusque acta a Nobis decerni contigisset... « in suarum iniquitatum cumulum, impudenti non minus quam detestabili ausu, « praeceptum quoddam seu mandatum edidit... per quod inter cetera ipsaemet « apostolicae litterae, aliaque decreta, mandata, edicta, censurae, interdicta et « rescripta quaecumque ab hac Romanae Curia, hoc est ab hac Sancta Sede « provenientia, quorum executionem saecularis potestas minime permisisset, nul- « la, irrita ac, quod horrendum est, conscientiarum Christifidelium tranquillitati « adversantia, impie et sacrilege declarantur: gravibus constitutis poenis ad- « versus eos, qui illa quovis modo executi fuissent, prout uberius continetur in « eodem praecepto seu mandato, quod non alio quidem, quam illud penitus et « omnino damnandi et anathematizandi animo, praesentibus inserendum duxi- « mus (*Sequitur praeceptum seu mandatum*). Cum autem in praecepto seu « mandato huiusmodi nullum plane sit verbum, per quod tam Ecclesiastica « Libertas Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta, quam apostoli- « cae Sedis auctoritas acerbissime non laedantur: potissimum vero, per ea quae « inibi continentur, illamet suprema ligandi atque solvendi potestas Beatissimo « Apostolorum Principi eiusque Successoribus a Christo Domino tradita, secu- « laris potestatis arbitrio PER SUMMAM INIURIAM ATQUE INTOLERABILEM TEMERI- « TATEM MANIFESTE SUBIICIATUR: NECNON EXECRANDUS ABUSUS quoquo modo « impediendi executionem litterarum apostolicarum per eosdem sacros canones « et plurimas notissimas pontificias constitutiones sub anathemate damnatus, « plene conformis non tam iuri gentium, quam ipsismet sacris canobibus, privi- « legiis apostolis ac Concordiis cum Sede praefata initis, FALSO NON MINUS QUAM « PERVERSE NUNCUPETUR; ADEOQUE ANIMAE PRETIOSO SALVATORIS NOSTRI SAN- « GUINE REDEMPTAE IN MAXIMA PERICULA CONIICI POSSINT: Hinc est quod Nos, « qui quorumcumque tam eiusdem apostolicae Sedis, quam Ecclesiae iurium « assertores in terris a Domino constituti sumus... cum inter tam gravia ani- « marum pericula liberum Nobis non sit fidelibus populis documenta salutis « subtrahere, nec in tam aperta atque effrenata sacrarum legum violatione tur- « piter tacere... Motu proprio, ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, « deque apostolicae potestatis plenitudine, praeceptum seu mandatum praein-

« sertum, ac quaecumque in eo contenta... penitus et omnino nulla, irrita et in-
« valida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria... nullinsque omnino ro-
« boris et momenti vel efficaciae... declaramus (*Sequuntur clausulae*). Datum
« Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 29 Novembris
« 1714, Pontificatus Nostri anno XV. ».

Aliam habes eiusdem Clementis constitutionem.

« Accepimus nuper quod statim ac in regno Siciliae vulgatae fuerunt quae-
« dam nostrae... litterae die 6 novembris proxime praeteriti expeditae,. secu-
« laris potestatis in eodem regno administri... promulgare praesumpserunt
« edictum tenoris sequentis. »

(Sequitur edictum qno praecipitur ut *quaevis lex, rescriptum, privilegium, breve etc. ab extera Potestate missa nullam vim habeant in regno nisi fuerint ante absignata regio exequatur per advocatum fiscalem regii patrimonii sub poena etc.*)

« Perspectum profecto ac compertum habemus eos, qui pracinsertum edi-
« ctum promulgarunt, mandata, litteras aliaque decreta apostolica in eo com-
« plecti, ac forsan praecipue comprehendere voluisse, quemadmodum satis su-
« perque coniici potest etc... adeoque certi sumus quod ex sola memorati edicti
« lectione quilibet sanae rectaeque mentis non modo illius evidentem nullita-
« tem, verum etiam manifestam iniustitiam perspicue intelliget. Amb'gere
« praeterea non possumus, quin horrore perfundendus sit quisquis illud legerit,
« dum inter cetera perspiciet ac animo reputabit, eo temeritatis perventum es-
« se, ut *Potestatis exterae* titulus Potestati illi adscribatur, quam Nos per B.
« Petrum eiusque successores a Domino accepimus in terris maximam, et quae
« in indigno haerede non deficit: perinde ac si Siciliae regnum extra terrarum
« orbem situm esset, cum neminem pene lateat, verba illa quibus inclytus
« Claravallensis Abbas Eugenium Pontificem allocutus fuit : *orbe exeundum ei*
« *qui forte volet explorare quae non ad tuam pertinent curam.* Illud insuper
« omnibus satis exploratum, ac plane cognitum fore credimus, eiusdem secu-
« laris potestatis administros, dum in memorato edicto vetitum voluerunt, ne
« cuiuscumque speciei rescripta ullo modo executioni demandari debeant, nisi
« prius ab advocato fiscali regii patrimonii recognita ac approbata fuerint, exe-
« crabili nimis ausu conatos fuisse praedictum advocatum fiscalem iudiciorum
« apostolicae Sedis iudicem constituere, ac uno eodemque tempore sublimem
« illam potestatem ligandi atque solvendi Nobis... a Domino traditam, quae
« non ancilla est, sed libera, ipsius secularis potestatis arbitrio subiicere et
« mancipare; cum tamen sciamus, quod magistratui ac Principi Sacerdotum
« exprobrantibus : *Praecipiendo praecepimus vobis ne doceretis in nomine isto,*
« *et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra;* Petrus et Apostoli responderunt :
« *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Demum nec pariter dubitamus
« quin quilibet catholicus, etiam absque ullius peculiaris nostrae declarationis
« vel admonitionis ope, satis agnoturus per se sit, quam irregularis, absona ac
« scandalosa existat praefati edicti conclusio, in qua ad iniquitatis non minus
« quam nullitatis ipsius edicti cumulum, transgressoribus et contraventoribus,
« illis nempe Fidelibus, qui nulla interposita mora promptoque animo mandata
« apostolica observant et exequuntur... et Iesu Christi Vicario veram illam
« obedientiam, quam ei quicumque catholicus in professione Fidei spondet,

« praestare non detrectant, eadem secularis potestas poenas imponit, si Ecclesiastici quidem fuerint... occupationis bonorum temporalium ac exilii a regno... si vero Laici extiterint, indignationis ipsius secularis potestatis, praeter alias poenas illius arbitrio irrogandas usque ad mortem naturalem inclusive. »

« Nihilominus Nos, qui quorumcumque, tam apostolicae Sedis quam Ecclesiae iurium assertores in terris a Domino constituti sumus, probe intelligentes et recogitantes liberum Nobis non esse in tam aperta ac detestabili utriusque oppugnatione silere... nec iis tantum quae hactenus gesta sunt congruum adhibere remedium, verum etiam aliis, quae SUB IISDEM ERRONEIS, FALSIS DAMNATISQUE PRINCIPIIS .. deinceps attentari possent, tempestive occurrere cupientes... motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, edictum... praeinsertum, ac quaecumque in eo contenta aliaque omnia sive in illius sequelam, sive eodem consilio... acta, gesta et ordinata, cum omnibus et singulis inde secutis et quandoque secuturis, penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniusta, reprobata, damnata, inania, temeraria... neque illa a quoquam observari posse vel potuisse... declaramus. »

« Sciant propterea universi Christifideles eiusdem regni, memorato, sive alio quovis edicto... quod in posterum promulgari contingeret, non obstante, sese teneri ac obligatos esse decretis, ordinationibus, mandatis, litteris aliisque provisionibus apostolicis quibuscumque, vigore illius potestatis Nobis ac pro tempore existenti Romano Pontifici divinitus concessae... veram, integram et omnimodam obedientiam praestare atque exhibere. Praeterea cum notorii iuris sit, non tam illos qui praeinsertum edictum ediderunt ac promulgarunt, quam alios omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeminentiae et dignitatis quantumcumque excelsae ac sublimis fuerint, qui... consilium, auxilium, favorem, vel quamvis aliam damnabilem operam praestiterunt, aut in eorum sequelam et executionem similiter gesta approbarunt, et rata habuerunt, seu alias in eis quomodolibet culpabiles fuerunt, censuras omnes et poenas ecclesiasticas contra similia perpetrantes a Sacris Canonibus, generalium conciliorum decretis et apostolicis Constitutionibus, ac praesertim litteris die *Coenae Domini* singulis annis legi et promulgari consuetis inflictas eo ipso incurrisse; illasque insuper etiam incursuros esse eos omnes, qui similia ad eumdem finem quoquomodo impediendi executionem litterarum aliorumve decretorum apostolicorum in regno supradicto de cetere peregerint... Noverint idcirco illi omnes, etiam specialissima mentione digni, a censuris et poenis huiusmodi, post debitam et condignam Ecclesiae realiter et cum effectu praestitam satisfactionem, nonnisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc *cum reincidentia* in easdem censuras et poenas eo ipso quo convaluerint) absolvi et liberari posse... (*sequuntur clausulae*). Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 11 Ianuarii 1715 Pontificatus Nostri anno XV ».

Tertia est constitutio Innocentii X. Cum hic Pontifex audisset prohiberi in Belgio promulgationem bullae *In eminenti* decessoris sui, quod *placito* regio esset destituta, ad Archiducem Leopoldum gubernatorem illius provinciae die

11 Novembris 1651 scribebat: « Hoc quidem audiri sine animi horrore non po-
« test. Etenim numquam plane cognitum est ab ullo, vel Summo Pontifice,
« vel Concilio privilegium tale *Apostolicae potestatis destructivum* prodiisse,
« neque aliquis hic audeat Principis temporalis privilegium allegare, quoniam
« id esset auctoritatem ligandi et solvendi animas a Christo Domino soli Eius
« Vicario, et nemini praeterea concessam, sibi temere arrogare. »

Quarta est Alexandri VII. constitutio die 14 Maii 1658, cuius scribendae ea fuit occasio, quod altera constitutio a se edita die 6 Septembris 1657 ibidem in Belgio promulgata minime fuerat obiecto *placiti* praetextu. « Cum sit alienum
« a ratione et pietate ac religione catholicorum Principum, ... quod decreta
« Pontificia animarum salutem, mores ac regimen Ecclesiae universalis concer-
« nentia, ac praesertim dogmata fidei continentia, non possint in Provinciis pu-
« blicari vel executioni demandari sine permissione sive *placet*, cum certissi-
« mum sit potestatem a Christo Domino Nostro Summo Pontifici eius in terris
« Vicario traditam.... nec Pontificalem aut Sacerdotalem dignitatem et aucto-
« ritatem cadere sub manu regia.... »

Quinta est Clementis XI. quem ante nominavi: incipit *Alias ad Apostolatus*, data fuit die 27 Octobris 1711.

Succedunt quatuor constitutiones Clementis XIII. quarum binae die 15 Ianuarii 1763, binae die 25 Iunii 1766 editae fuerunt. In harum postrema quae incipit *Quam graviter* ita sanctus ille Pontifex exclamat. « Quid enim fiet in
« posterum de divina Ecclesiae potestate, si cum sese exercere, suoque ubi opus
« fuerit iure uti, et ad sibi parendum fideles adducere voluerit, a laicae pote-
« statis omnino pendere debeat nutu, nec plus ab iis obedientiae possit exigere,
« quam quod eidem seculari potestati libuerit?... si in manu sit et arbitrio
« laicae potestatis illud efficere, ut frustra sit quidquid in rebus fidei vel disci-
« plinae vel etiam in doctrina morum Ecclesia decreverit? »

Clementis XIII. est etiam decima constitutio *Alias ad Apostolatus* die 30 Ianuarii 1768, dignissima sane quae integra recitetur; sed cum prolixa admodum sit, compendii gratia praetereo. In ea magnanimus ille Pontifex recenset primum iniurias Ecclesiae Christi illatas in quadam christiani principis ditione: interdictum videlicet quominus vel minimum soli spatium dari, addici ad Dei cultum posset, publicationem bonorum cuivis civium indictam qui nomen dare cuipiam congregationi religiosae vellet, abrogationem immunitatis quoad bona ecclesiastica, violationem immunitatis quoad cleri personas, mandata sacrilege edita super celebratione missarum et Sacramentorum administratione, iniectas in Episcopos manus, vetitum ne adiri libere Christus posset in persona sui Vicarii absque gubernii permissione; cumque haec omnia enumerasset, subdit *pessimum horum omnium* esse legem latam ne quod decretum, aut bulla, aut scriptum Romani Pontificis obtinere vim ullam possit, nisi accesserit *exequatur* potestatis secularis. Hac lege, ait, viam sterni ad schisma, avelli christianos ex ipso Capitis su gremio, gregem a pastore abduci, opprimi iurisdictionem Ecclesiae, hierarchiam divinitus constitutam perverti, divinas praerogativas et Sacra Sedis Apostolicae iura imminui: hac lege addici servitio Ecclesiam Dei quam Deus libertate donavit, nefario et sacrilego audaciae scelere Sponsam Christi Iesu profanis pedibus proteri et conculcari: hac lege in discrimen aeternae salutis adduci innumeras animas, magistratus, iudices, ministros, executores,

fautores, approbatores aliosque, qui, cum possint atque adeo muneris sui officio impedire teneantur, non tamen impediunt vel a corrigendo abstinent : nolle se istorum hominum numero recenseri, neque officii sui partes prodere aut deserere, rationem ad tribunal Dei redditurum ; itaque vocem se extollere ac denunciare, eiusmodi ausa adversari perpetuae sententiae Ecclesiae, constitutionibus Romanorum Pontificum, decretis conciliorum generalium, sacrorum canonum praeceptis. Tum declarat ea esse nulla, temeraria, iniusta, iniqua, reprobata, damnata; mandat universis Episcopis ceterisque locorum Ordinariis ut prohibeant quominus ea executione peragantur, denunciat mandantibus, adhaerentibus, consultoribus, fautoribus, executoribus quibuscumque, *ipso facto* iam incurrisse in censuras aliasque poenas ecclesiasticas, quas sacri canones, maxime vero bulla *in Coena Domini* infligunt; absolvi eos non posse nisi a Romano Pontifice , quod si *in articulo mortis* versentur, non alio pacto esse absolvendos quam *cum reincidentia* si forte convaluerint. — Haec omnia Clemens in memorata constitutione *Alias ad Apostolatus* —.

Postrema constitutio prodiit post elucubratam hanc dissertationem. In ea Summus Pontifex Pius IX. fidelis custos illius doctrinae, quae nullis obnoxia variationibus esse potest, arguens illorum protervitatem, qui in Indiis orientalibus obedientiam detrectaverant quibusdam pontificiis constitutionibus, eo quod sanctione *regii exequatur* carerent, pronuntiat · « Putidum impiumque commen-
« tum illud est, Apostolicae Sedi divinitus collata iura, ac traditum a Christo
« Domino supremi regiminis in Ecclesia clavum, et potestatem humanis placi-
« tis, nutibusque arctari, praescribi, aut imminui posse. Incassum Catholica
« communione gloriatur qui Petri Cathedrae, ac Romano Pontifici haud iungi-
« tur, quique cum Eo non est contra Eum, et extra unitatem se esse fateatur
« oportet, quique nobiscum non colligit dispergit. » (*Const. Probe nostis 9 Maii 1853.*)

Si unquam itaque vero cuilibet ac sincero catholico occasio sese obtulit clamandi « *Petrus locutus est: causa finita est* » nulla profecto hac nostra opportunior. Etenim vix aliam nancisci queas, qua Romani Pontifices adeo instanter graviterque vocem extulerint.

Nisi quod, abducta parumper cogitatione ab iis quae catholici hominis officia postulant, imo etiam ab iis quae morati urbanique ingenii partes sunt, aliud praeterea considerandum temporum nostrorum conditio suppeditat. Suspicio usurpationum , quas Ecclesiae adversarii affinxerunt quaeque fundamentum ipsis praebuere ut *Placiti* legem iuberent, dudum evanuit non modo catholicorum oculis (quibus ea criminatio horrendum sonat), sed oculis etiam inimicorum. Neminem profecto reperias qui eiusmodi suspicionem serio concipere vel fovere animo possit, nisi forte vecordia fuerit abductus, « Il Papa (opportune
« scribit Comes Solaro della Margherita *Avved. polit. c. 19*) riconosce tutti i
« sovrani nelle cose temporali da lui indipendenti; ed è ben panico il timore,
« che si arroghi un diritto, che non potrebbe far valere. QUESTO TIMORE NON
« V' È CHI L' ABBIA : si finge per attaccare la Santa Sede nella sua auto-
« rità spirituale, per demolirla, ove fosse possibile. » Itaque legem *placiti* promere aut servare hac nostra aetate, aliud non est quam STOLIDA IMPIETAS. Percontari idcirco vellem ab iis regum administris, quid in suis regionibus adeo pertinaciter eam legem custodiunt, qui tandem frugis ab ea sibi polliceantur.

Sane, si serio animum adverterint, vel inviti necesse et fateantur, non aliam frugem existere, quam principum suorum exitium. Nam populi, si catholicae religionis sint studiosi, depressam ea lege Ecclesiam non sine ingenti animorum dolore ferre possunt; ac propterea id unum ea lege obtinetur, ut in bonis civibus Principis amor sensim restinguatur, pravis arma suppeditentur ad nomen Principis proscindendum, Principi ipsi detrahatur gloria quam ex omnium laudibus plausuque nancisceretur, si nefaria adeo lege antiquata sese ultro exhiberet fidum aeque ac magnanimum Ecclesiae filium.

Secundum haec, alia quoque animadversio sponte enascitur : si nonnullos demas, qui servili quadam atque inconsulta imitatione insistuut maiorum vestigiis, qui tamen compertis Ecclesiae sententiis pedem retrahant necesse est, ceteri qui nihil pendunt canones et anathemata adeoque auctores sunt principibus, ne ab execrando hoc abusu recedant, vel proditores iam sunt suorum principum, vel, si nondum sunt, ubi primum vehementior aliqua institerit tentatio, proditores proculdubio erunt. Facillum foret hanc veritatem ostendere 1,° rationibus intrinsecis, 2.° facto, 3.° auctoritate hominum gravitate et rerum usu praestantium: si quando contigerit ut de hac re agendum mihi sit denuo, illam exploratis argumentis illustrabo. Sufficiat modo auscultare sententiam viri non doctrina tantum sed etiam sanctimonia insignis, qui institutor fuit aliquando principis in iis qui nunc regnant sane probatissimi, quique ingens sui desiderium reliquit omnibus, iis vero maxime quibus perfrui eius amicitia licuit. Ipse est cl. antistes Angelus Scotti, auctor operis quod inscribitur *Teoremi di politica cristiana:* haec autem sunt gravissima tanti viri verba » Un consi- « gliere politico, che insinua al Sovrano di violare i sacri canoni, e di non far « conto di chi gli ha stabiliti, è propriamente *l'uomo, che con blandi e finti di-* « *scorsi parla all' amico suo, mentre gli spande la rete dinanzi a'piedi* (*Prov.* « *XXXVI 20 et 22*).. Tale essendo il loro carattere, non è quindi da stupire, « che esso siasi scoverto nelle ultime rivoluzioni dell' Europa. Tutti i così detti « *regalisti*, cioè que' *canonisti per interesse*, che fingeano di fare la causa de're « per nascondere sotto questa maschera l' odio contro la Chiesa, ed il deside- « rio d' ingrandirsi coll' adulazione, quando venne il tempo della tentazione, « cioè quando i re si videro sbalzati dai loro troni, trovaronsi fieri *repubblicani*, « e la giustizia de' re medesimi dovè poi condannarli a giusti supplizii. All'in- « contro nessuna fra le persone attaccate alla Chiess, che rispettavano la sua « autorità, si vide in que' tempi vacillare, ma restaron tutte e sempre fedelis- « sime al Sovrano ». (*Teoremi di politica cristiana P.* 2 *Teor. IV Corol-l.* 2 *e* 3).

ERROR EST MINIME TOLERANDUS, RECENSERE INTER REGIA IURIA FACULTATEM SUBIICIENDI REGIO, UT VOCANT, EXEQUATUR BULLAS ET BREVIA PONTIFICUM ATQUE ACTA QUAECUMQUE AD ECCLESIAE REGIMEN SPECTANTIA.

Recte accurateque dictum est, Principes Eminentissimi, Auditores spectatissimi, *errorem esse profecto intolerabilem recensere inter regia iura facultatem subiiciendi regio illi Exequatur bullas et brevia Pontificum atque acta quaecumque ad Ecclesiae regimen pertinentia;* et quo rectius accuratiusque id a me pronunciatum sentio, eo fateor libentius non levi fastidio animum meum

turbari et quodammodo deiici, dum certissimae illius propositionis veritatem declarare ac vindicare aggredior. Enimvero quaenam haec est, Deus immortalis! adeo discors atque infelix humanae mentis ingeniique temperatio? Haud sane raro componi et consistere in eodem homine videas religionis studium plenum benevolentiae, plenum sollicitudinis, ac simul contemptum neglectumque illius audacissimum; idem ingenium videas aequi rectique studiosum, docile, apprime sincerum, simulque distorta sententiarum pravitate obcoecatum ac pertinax. Trium fere seculorum spatium exactum est, ex quo complures canonum ac theologiae doctores veritatem, de qua mihi est sermo, palam asserere ac tueri non destiterunt. Quodnam argumentum proferri potest, quod prolatum ab his ante non fuerit? quaenam disputandi ratio sive ad movendum sive ad deterrendum accomodata, quam non ante usurpaverint? quaenam sacerdotalis roboris species desiderari, cuius exempla non superent? Nunquam profecto memoria excident, quotiescumque huiuscemodi controversiarum sese offeret occasio, praeclara illa magnanimorum Cardinalium nomina Althann et Belluga. Hic enim intrepidi illius pectoris aemulator, quo instructus olim ex eadem Hispaniae regione magnus ille Osius extiterat, ad Philippi V. solium accedens regique suum *memorandum* exhibens; *Non licet tibi*, aiebat, non licet o rex vinculis Ecclesiam adstringere: idque manifestissimarum rationum momentis argumentisque edisserendo confirmabat. Tum extenta manu levique concussu solium veluti tentans, *non expedit tibi*, inquit, non expedit Ecclesiam affligere; regique in mentem revocatis non veteris modo Testamenti, sed ceterarum quoque gentium historiis, postremo in Iberico ipso regno constitit: evolutisque regiarum Hispaniae familiarum regumque singulorum fastis, ostendit rem esse periculi et formidinis plenam lacrimas ab oculis Sponsae exprimere, quae Sponsum habet in caelo haud sane immemorem aut negligentem, sed apprime tenerum ac sollicitum, qui regnorum sortes sua continet manu, vivorumque ac mortuorum iudex est constitutus. Alter vero quam ante nominavi, Cardinalis, inquam, Althann cum vice Regis Neapoli fungeretur, litteras ad Carolum VI. Imperatorem scripsit quibus libere contestabatur, nefas illi esse Ecclesiam eiusmodi oneribus ingravare: decessores suos vicario Regum munere functos, conscientiae stimulis eam ob rem laceratos ingemuisse: se nunquam animam fore proditurum, neque, dum regni habenas moderaretur, commissurum unquam ut regium *exequatur* intra regni fines exigeretur. Verum haec adeo fortiter, praeclare fideliterque dicta licet commovere aliquamdiu Principum animos viderentur, obliterata tamen occursu consuetudinum opinionumque inter Aulicos iamdudum subsidentium facile excidebant; ac velut in adversum aggerem impegissent collisa et dissipata, ad tribunal divinum consistebant, testimonium aliquando futurum adversus eos quorum vitio incassum ceciderant. Quid ergo? Num ideo Ecclesiae causa deserenda? Num haec Dei Sponsa, quam uberibus regum (Isaiae verbis utar) enutriri, quam regum obsequiis et famulatu circumdari oportebat, relinquenda sibi erit ut servae similis humi iaceat et catenis onusta, deiecto vultu, in lacrimis ac solitudine degat? Non ita sane. Et quoniam mihi, homini nedum privato sed et omnium minimo nihil pro Ecclesiae caussa proferre nisi vocem fas est, hanc libens extollo ac palam testor, *errorem esse profecto intolerabilem recensere inter regia iura facultatem subiiciendi regio huic Exequatur bullas et brevia Pontificum atque acta quaevis ad Ecclesiae regimen pertinentia.*

Cuiusmodi demum est arrogatum hoc ius regii *exequatur*, seu regii *placet*, qua appellatione frequentius notari solet? Ne in ambiguo versemur, descriptionem minime dubiam proferam ab ipsomet acerrimo huiusce iuris propugnatore confictam. Scitis Bernardum Van-Espen, veterem iansenianum qui perduellis in schismate decessit, fuisse principem regii *placiti* propugnatorem: hunc sui homines uti scientia praestantissimum praedicarunt, neque desunt etiam nunc creduli ac simplices qui eum suspiciant, scripta eius pervolvant eumque *honoris caussa* proferant: hunc, quoties oppugnandi pontificia iura incidat occasio, ubique in prima acie certantem offendas, non quidem aperta fronte, neque enim id sectae suae leges patiuntur, sed personatum arte; doli atque ambagum artificem callidissimum, magnum monumentorum veterum collectorem, quam ob rem amplissimis eum laudibus prosequuntur nonnulli, neque sciunt ipsum fuisse impudentem eorumdem monumentorum corruptorem. Quid multa? habes in hoc homine pessimum canonistarum (1). Iamvero quid de regio *placito* Van-Espen? Sepositis infinitis vocum sententiarumque ambagibus quibus se pro more obvolvit, haec est distincta placiti notio quam praebet. Placitum est *facultas quam civilis auctoritas impertitur bullis ac brevibus pontificiis ceterisque omnibus auctoritatis ecclesiasticae actis, ut vim in sua ditione habeant:* ius autem placiti est *ius defensionis adversus Ecclesiae molimina, naturaliter insitum auctoritati politicae, cuius virtute declarat nullam habere vim bullas, brevia Pontificum atque aliud quodcumque actum ecclesiasticae auctoritatis, quibus facultas illa non fuerit impertita;* addunt nonnulli, *tam in foro externo quam in interno* (2).

---

(1) Recitabo grave testimonium quod de istiusmodi homine protulit Archiepiscopus Ambronensis in sua instructione pastorali an. 1731. « Van-Espen ca-« noniste flammand dont la memoire toute récente est en horreur dans les « pays-bas catholiques, partisan zelé de Jansenius et de ses erreurs » et paulo inferius « Ne pouvant plus (Van-Espen) trouver d'asile dans les pays-bas ca-« tholiques a été obligé d'en chercher un dans le sein de l'héresie, *ou il est « mort depuis peu de tempe dans la profession publique du schisme, dont il « avoit entrepris la défense, et de l'erreur, dont il n'a jamais voulu se dé-« partir* ». Adiiciam etiam gravissimum testimonium Cardinalis de Bissy *Instr. past.* du 7 Jun. 1722. « On reconnoit d'abord dans son ouvrage (del Van-« Espen) le caractére de tous les écrits des Novateurs par l'affectation sensi-« ble qu'on y voit pour rendre le Pape odieux et inspirer le mépris de son « autorité ». Loquitur hoc loco Cardinalis de Van-Espenii tractatu circa censuras ecclesiasticas. Verum id quod ipse affirmat de hoc tractatu subdit cl. Auctor Historiae turbarum Ecclesiae Ultraiectensis L. IV. §. VIII. n. 16. de ceteris quoque Van-Espenii operibus dici potest. Nomen quo ipse penes gregales sectae iansenianae *(le nom de guerre)* designabatur, erat *M. Antonin.*

(2) Praeter opusculum *de promulgatione legum ecclesiasticarum* habet Van-Espen capitulum de *placito* in suo opere *Ius ecclesiasticum universum* (*P. 2. Tit. 24. c. 6.*) quod capitulum mirabili fraudum textura est elaboratum. Initio fucum bardis facit excerptis aliquot locis ex egregio scriptore Charlas, ipsique pessima sua, ut solet, fide personam propugnatoris *regii placiti* affingit, cum e contrario vehemens impugnator fuerit: memorat lumen S. Spiritus quo illu-

Verum quidem est callidum iansenianum acerbitatem sententiae suae oppido mollire, cum simulat velle se bullas doctrinales et dogmaticas a disciplinaribus seponere: quod enim, inquit, detrimentum a veritate, a dogmate, a fide pertimescendum sit populis? At quo animi candore discrimen illud proposuerit testem habetis Cardinalem De Bissy, qui docet ipsum hunc Van-Espen eo prorsus consilio suam opellam de placito praemisisse, ut occupata veluti statione propius deinde aggrederetur bullam illam doctrinalem et dogmaticam *Unigenitus* (3). Si enim eiusmodi theoria quoad bullas disciplinares approbaretur, facillimum erat viro, qui *Ecthesim* ac *Typum* sedulo versarat, illam ad dogmaticas etiam protendere· Ceterum supervacaneum arbitror in hac distinctione immorari, ex qua id unum infertur, propositionis meae partem extra controversiam esse positam.

Quod vero plurimum interest ad veritatem quam mihi proposui demonstrandam (sive quoad bullas doctrinales sive quoad disciplinares tantummodo, quod adversarii malunt) illud est, ut accurate nimirum expendatur istiusmodi *placitum,* quo distincta eius notitia animo concipiatur.

Audistis iam totam *placiti* naturam in hoc sitam esse, ut neque bullae neque brevia neque actum quodcumque ad Ecclesiae regimen spectans vim ullam habeant, nisi civilis auctoritas permiserit. Atque hic Lazari species mihi ante oculos obversatur, dum e monumento prodit ligatus pedes et manus institis et cuiuspiam qui se solvat operam praestolatur. Cum veterum historias animo versarem, an forte simile quidquam statutum aliis aetatibus fuisset, succurrit violens illa tribunicii magistratus potestes, qua populus romanus senatum ita obstringebat ut vel unum *veto* a tribuno pronunciatum quodcumque senatusconsultum irritum ac velut exsangue deiiceret. Verum attendatis quaeso ingens utrinque discrimen, non modo ratione subiecti (hic senatum, ibi Ecclesiam Christi perspicitis), verum etiam ratione facti; neque enim romana plebs eo impudentiae devenit unquam ut senatui potestatem loquendi absque tribunicio lubito interdiceret: iino (inquiebat) consulat senatus, iubeat, obtemperabitur: at si quid forte sciverit quod in populi damnum cedat, intercedendi vetandique ius tribunis esto. Sed *placitum* frenos Ecclesiae iniicit, ut ne hiscere quidem possit nisi ante praesidi aut syndico, quocumque demum vocabulo censeri placeat, demisso vultu se sistat impetratura loquendi facultatem. Ne plura: machinae similem dixeris, quae licet affabre elaborata suavissimis aptissimisque concen-

---

strantur Pontifices *in rebus doctrinalibus;* heic vero cunctari, haerere, pios furtim gemitus edere, atque in his, veteratoris arte magistra, selectas eiusdem Charlas voces usurpat: subnectit loca quaedam ex Guicciardino et Covarruvia deprompta nonnullaque regia edicta, quorum deinde pretium expendemus: finem postremo dicendi facit (iniecta etiam religione) affirmans principes Belgii non modo posse, sed *debere* uti iure *placiti,* quandoquidem obligati sint, ut ipse ait, sacramenti fide *quo in sua inauguratione se adstringunt, quod neminem subditorum tractari sinent praeter ordinem iuris singularum civitatum (ibid.) n. 20).* O sanctam ac religiosam animulam! quam penitus incessit pavida illa ac delicata religio Herodis Baptistam interimentis *propter iusiurandum.*

(3) Confr. cl. Pecorelli Iur. Eccles. Inst Tom. I. pag. 47. Neap. 1842.

tionibus promendis par sit, muta nihilominus atque inutilis iaceat necesse est, quoad musicus manum cylindro admoveat ac sonos pro arbitrio cieat.

Vidistis etiam, rationem ac veluti basim *placiti* esse, ut aiunt, *nativum quoddam ius adversus Ecclesiae molimina;* quamobrem docent ipsi, ius *placiti* consectarium recta esse alterius iuris, quod *ius cavendi* nominant, cavendi inquam ab Ecclesia. Perurbane dictum ! excepisse eos hanc loquendi rationem existiveris ex pompeiano illo molosso cui epigraphe erat superscripta: *Cave canem ;* aut ex iis forte tauris quorum cornibus alligari foenum, ac dici vulgo solebat: *Hunc tu, romane, caveto.* Itaque ut propius adhuc ipsam *placiti* naturam inspiciatis, opus est, auditores, ut vobis matremfamilias domi cum suis degentem velut ob oculos constituatis. Nulli melius quam matrifamilias comparari Ecclesia potest; est enim. E conspectu matris huiusce filios intuemini, quorum aures animique istac *placiti* disciplina, glaciali veluti spiritu, afflentur assidue : hinc perpetuae domesticaeque ipsorum mentibus umbrae ac diffidentia : hinc suspicione ac pavore conterriti quemvis matris suae gressum, motum quemvis oculis consectantur. Accumbit illa convivio, cyathum natis porrigit ?... cave ne sit forte veneno permixtus. Natos hortatura materna invitatione ad se vocat ? aures arrige, singula dicta expendito, ne tendicula lateat. Complexus filiorum petit ? heu fuge, cultrum veste abditum habet ! Quemadmodum ad regionum fines aut portas civitatum si quispiam honesto vultu accedat, nullis inquisitionum molestiis agitur, sed libere progredi sinitur ; contra vero si hominem custodes deprehenderint qui vel ipso oris habitu suspicionem iniiciat vel male audiat, ipsum interrogando terebrant, chartas omnes rimantur, scrutantur vestes, potremo per apparitores ad quaestorem adducunt; quae omnia ad rei publicae tutelam fieri oportet : non secus Ecclesia mater nostra, ex *placiti* theoria, ut quae suspicionibus sit obnoxia et filiorum suorum exitium perpetuo machinetur, ad magistratum adducatur necesse est ut imperii saluti sit consultum, quotiescumque ea pro sui gregis regimine aliquid promat.

At enim, alicubi *placiti* legem modeste atque officiose exsequi magistratus solent. Nescio an forte unquam vidistis, auditores, iuvenem quempiam honesto loco natum in custodiam abduci. Urbane profecto admodum res ab apparitore agitur ; ceterum, quod rei summam attinet, in custodiam traditur secretoque carceri addicitur. Rem itaque nostram quemadmodum ex se est perpendo, eamque ad ipsa adversariorum principia nullis oblita fucis exigo. Ratio quam forte alicubi in *placiti* lege exequenda ineunt sit quidem lenissima ; non abnuo : at naturam ipsam rei minime mutat, addo etiam eam esse fortuitam, temporariam, incertam, cum universa pendeat ab ingenio hominum qui *regnant* quive *publicam rem administrant;* nec raro accidit (historiarum peritos alloquor) ut progeneratos a Constantino Constantios videamus.

Audistis postremo ab adversariis praetensum hoc ius *insitum natura* esse politicae auctoritati ; quare siquis sibi animo fingeret *placitum* gratiosa concessione innixum (mitto nunc quaerere utrum eiusmodi concessiones revera sint aut quibus adstrictae finibus esse possint), siquis, inquam, hoc fingeret, abluderet prorsus a vero adversariorum *placito,* qui immotis naturae legibus, non vero mobili concessione fundatum illud esse volunt, ac propterea cum propriis atque insitis regni iuribus censent.

Iamvero siquidem hoc ius essentiale est potestati civili, ut audistis, existi-

mabitis profecto *placiti* originem non modo antiquissimam esse oportere sed omnino cum ipsa civili potestate ortam ; non secus ac solis radii qui, simulatque ex Amphitrite sol oritur, vivacissimam lucem iaculantur. Recte quidem: nihilominus longe aliter res habet. Nam *regium placet* nonnisi postquam quatuordecim ab Ecclesiae ortu secula decurrissent primo erupit, et quidem ex consociatione quadam idearum erupit.

Iuvat hic proferre ipsa Martini V. verba in bulla *Quod antidota :* « Cum » dudum in exordiis pestiferi et antiquati schismatis... ad tollendum scandala » quae propter executionem diversarum litterarum, quae ab iis, qui Romanis » Pontificibus in diversis obedientiis se gerebant, in nonnullis partibus orie- » bantur, Urbanus Sextus in sua obedientia nuncupatus concesserit quibusdam » Praelatis quod in eorum civitatibus et dioecesibus non posset fieri executio » aliquarum litterarum apostolicarum nisi prius huiusmodi litterae Praelatis » ipsis, vel eorum officialibus ad hoc deputatis exhiberentur et per ipsos ap- » probatae forent : verum quia etiam deinde ipsi Praelati seu officiales in con- » suetudinem traxerunt, et aliqui praetextu statutorum provincialium seu sy- » nodalium similiter servant et servari faciunt, quod litteras apostolicas nullus » exequi audeat, nisi postquam Praelati seu officiales ipsi per suas litteras, » quas *Vidimus* seu *Placet* nuncupant, mandant etc. »

Habetis hic, auditores, *placitum* non in sua tantum quidditate descriptum, sed ipso nomine signatum . nisi quod *placitum*, de quo hic sermo, non quidem *regium*, sed ecclesiasticum fuit. At vero res re gignitur, intelligetisque vere a me dictum esse, *regii placiti* origines associationi cuidam idearum deoeri.

Ante Urbanum VI, nullum *placiti regii* exemplum ; nec aetatum quae praeiverant lapsu principum cuiquam in mentem venit, *placitum* (iuxta praeclarum inventum Bernardi Van Espen atque eiusdemmodi rabularum) ius esse sibi *naturale et intestinum* (4). Posteaquam vero ecclesiasticum *placitum* in lucem prodiit, agitari cerebrum ac fervescere politicis istis lovibus coepit, indeque novae instar Minervae, illa politici iuris species erupit, quam cognominem ecclesiasticae esse voluerunt et *placitum* appellarunt. Qua tamen in re adeo aegre ac timide se gesserunt, ut ostenderent ipsos sibi conscios esse, nequam se proprium ius exsequi, sed invadere alienum. Atque haec est ratio cur vetustiora, quae produci consueverunt, *regii placiti* exempla non modo ad aetatem magni schismatis universa referantur, aetatem sane tenebricosam furtisque opportunam ; verum etiam eiusmodi ea sint ut proprie *regium placitum*, quale ab adversariis confingitur, minime praeferant.

Re quidem vera, antiquissimum *placiti regii* exemplum suppeditat Gallia anno 1381 cum Dux Andegavensis regni administrator coerceri rectorem Academiae Parisiensis iussit, proptereaquod recitari in pleno conventu litteras Urbani VI mandaverat, quibus ad obedientiam Dux ille revocabatur. Attamen advertas velim, Urbanum VI. in Gallia nequaquam pro legitimo Pontifice fuisse

---

(4) Non modo ab Ecclesiae exordio, quatuordecim scilicet seculorum spatio, sed ab ipsa mundi origine nemini unquam principum in mentem venisse affirmavi *placitum ius esse sibi naturale et intestinum*. Quin apud romanos contrarium plane videas ; nam *Auguratus* dici revera poterat propugnaculum Patritiorum adversum populi leges.

habitum, sed ut antipapam, qui ab antichristo non differt: idcirco pietati potius in tuenda Ecclesiae caussa quam audaciae regalis *placiti* tribuendum est, quod regnum his litteris interdixisset (5). Simile est Martini Siciliae regis facinus; qui anno 1405 in Aragoniam profecturus imperavit suis ne quam Pontificis bullam sive epistolam edi in vulgus paterentur, quam non ante regina legisset approbassetque. Siculi Bonifacium IX. uti Pontificem reverebantur, quem e contrario Martinus, ut Aragonius, antipapae loco habebat. Quamobrem imperata Martini non veri Pontificis bullas percellebant, sed hominis quem opinione sua invasorem existimabat.

Aliud etiam exemplum Gallia praebuit anno 1399 in quo tamen non civilis auctoritas, sed clerus partes egit. Intempestive vero profertur quod anno 1391 in Anglia accidit, cum et nihil prorsus commune cum *regio placito*, habeat, atque insuper omni vi caruerit, lata continuo per Bonifacium IX constitutione *Ab eo*. Denique quod in Lusitania statutum per idem tempus fuit, non iudicandis Pontificum bullis, sed propulsandis commentitiis erat institutum; perturbatis enim rebus, plures eo tempore in vulgus bullae serebantur non sine gravi populorum tumulto ac pernicie.

Quae cum ita sint, qui primum certumque *regii placiti* exemplum expiscari velit, opus est ad sequens seculum progrediatur, cum videlicet Ioannes II Lusitaniae rex, velut instauraturus pravas illas consuetudines quae schismatis aetate inoleverant, statuit (ut legere est penes ipsius chronistam Garziam de Rasende cap. 66) ne litterae apostolicae vulgarentur absque revisione concellariae. Quam ob audaciam gravit reprehensus primum a Sixto IV tum ab Innocentio VIII brevi *Olim* dato die 3 februarii anno 1486, ipse ut erat princeps catholicus (subdit idem chronista) mandatis apostolicis obtemperavit, cum ingenti Pontificiis et cardinalium laetitia; neque deinceps quidquam ulterius innovatum fuit.

Alterum exemplum seculo posteriore alibi occurrit, Neapoli, inquam, ubi Dux Complutensis anno 1561 *placitum regium* superbe imposuit; quare a Pio V sacris interdictus, pro catholici hominis debito poenitens se subiecit. Fatendum tamen est ex illo *regalis placiti* tabum radices Neopoli egisse, quae, licet aliquando avulsae, saepius tamen pullulare visae sunt, ita ut numquam ab hac peste regio illa penitus convaluerit. Neapoli digressi atque seculum integrum emensi tertium exemplum in Gallia habemus; ubi d' Héricourt acerrimus regalista nihil antiquius quoad haec reperire valuit edicto illo quod die 6 maii anno 1665 propositum fuit (6). Galliam excipit Sabaudia edicto die 6 iunii anno 1719,

---

(5) Quoniam in ea controversia de legitimo Pontifice non omnes in Gallia eamdem cum regni administratore opinionem habebant, idcirco Ioannes Iuvenalis Ursinus Archiepiscopus Rhemensis, historicus pene coaevus, cum id enarrat quod a Duce Andegavensi gestum fuit, ipsum violenter et contra ius egisse queritur.

(6) Ergone existimabimus ignorasse d' Héricourt decretum a supremo regni consilio latum die 14 decembris 1639? Nihil minus: sed cum non aliud eo decreto statueretur nisi ut bullae et brevia pontificia exhiberentur episcopis, probe intelligebat eiusmodi decreto 1o. tacite significari nullum potestati laicae ius esse in iis quae ad Ecclesiae regimen spectarent: 2o. aperte manifestari agita-

quod Clemens XI bulla *Apostolatus* eodem anno confixit. Pone Germania sequitur, de qua Jung. in opusculo cui titulus *obiecta sacrae potestatis exercitatio* testatur 1. ante seculum XVII nullum *placiti* vestigium extare; 2. quin ipsius seculi XVII monumentis diligenter perlustratis, vix languidam aliquam atque incertam *placiti* umbram internosci posse; 3. ut manifesta atque indubia habeantur documenta, deveniendum esse ad funestam illam ac probrosam Iosephi II aetatem.

Consulto, auditores, missas facio nugas regalistarum diversarum gentium, qui nescio quo consilio (nisi forte aggerandi iniurias iniuriis) alias leges scriptorumque testimonia in medium proferunt, quae nullo modo trahi ad *regium placitum* possunt (7). Sermonem potius convertam ad res Hispaniae et Belgii, quo me Van-Espen revocat qui suppetias caussae suae inde potissimum corrogat. Quod ad Hispaniam attinet, citat ipse caput 35 *Practicorum quaest.* Covarruviae

---

tionem animi qua regii administri manus extendebant ad bullas Pontificis. Id quod proculdubio d' Héricourt ignoravit, est edictum non multo ante citatum ab Abb. Lequeux; agitur enim de edicto quod Ludovicus XI. promulgavit anno 1484, hoc est anno ab eius obitu iam elapso.

(7) Eiusmodi est lex Ferdinandi I regis Neapolitani lata die 24 aprilis 1473, in qua nulla est mentio sedis apostolicae, quae profecto formulis generalibus comprehendi non potuisset: eo vel magis quod, cum regni dominium a Pio II caperet, Ferdinandus fidem dederat sese non modo obstiturum nunquam quominus litterae quaevis apostolicae libere promulgarentur, sed in eos animadversurum qui prohibere illas auderent. Eiusmodi est etiam privilegium, cuius gratiam Ferdinando et Isabellae fecit Alexander VI anno 1493 eorumdem rogatu, expendendi nimirum bullas indulgentiarum; quandoquidem, quaestus caussa, plures ab impostoribus confictae circumferebantur in Hispania. Atque hoc ipso quod istaec facultas privilegii et gratiae nomine impertita fuit, tantum abest ut ea arbitrarium *regii placiti* ius *potestati politicae intrinsecus inhaerens* confirmet, ut imo refellat ac proruat. Eiusmodi sunt concessiones Duci Sabaudiae permissae a Nicolao V, tum ab aliis Pontificibus confirmatae, ad quas referuntur tam edictum Emmanuelis Filiberti Ducis 1 octobris 1555, quam testimonia praesidum Thesauri et Da Ponte etc., quae circulatoria iactatione adversarii obtrudunt. Porro ridiculo sane consilio subalpini regalistae connisi sunt, ut exempla ad his documentis extunderent, quibus vacillans *regii placiti* ius solidari videretur, tum quod si iuris huiusce fundamentum in concessione nititur, frustra iactitant *intrinsecus sceptro illud inhaerere* tum quod in iis concessionibus nihil omnino habetur quod *placitum regium* spectet. Eiusmodi postremo sunt singularia aliquot principum mandata quoad bullas beneficiales, quae adversariis favere nullatenus possunt, utpote eo consilio belli tempore emissa, ne quis adversae factionis homo ad aliquam dioecesim regendam eligeretur. Ceterum percontari mihi liceat ex regalistis, forensibus plerumque hominibus: auditumne unquam est, latronem aut facinorosum quempiam coram iudicibus caussam pro se hoc pacto dixisse: *absolutum me hinc, iudices, dimittite, quandoquidem ego et familia mea mecum iamdudum haec patrare consuevimus?* Atqui huc tandem tota regalistarum ratio vertit: *Ecclesia alias etiam oppressa fuit, sinite ergo ut ipsam aeternum opprimamus.*

Capitis summa, ut legenti cuivis manifestum fiet, huc redit: 1. nulla ibi prorsus mentio legum quae vim auctoritatemque bullis pontificiis derogent, nisi probatae per magistratum fuerint; 2. sermo dumtaxat est, siqua forte bulla gravissimam iuri regio iniuriam afferrat; 3. tum enimvero comperendinari (atque hoc tantum) bulla solebat, quoad responsum a Pontifice latum fuisset. Secundum haec scriptor, licet vehementissimus regalista, sermonem hoc pacto concludit: « *quae tamen omnia cautissime legenda, na quid temere fiat adversus iuris divini pontificiam institutionem* », Verum quidem est, in Hispania decretum *regii placiti* latum fuisse, verum post obitum Van Espenii, eo tempore quo brevem illam procellam excivit Philippus V, cui Cardinalis Belluga, quem initio memoravi, validissime restitit.

Quod vero ad Belgium attinet, Van-Espenius in medium profert edicta quaedam, quodque mirandum magis est, nomen Guicciardinii quem Florentiae nobili loco natum admonet. Malo tamen Van-Espenii fato, omia illa edicta ad trutinam revocavit Van-Den-Zype, nobili loco non Florentiae sed in Belgio ortus, pluresque annos vicarius antistitis Antuerpiae: is in sua analysi iuris pontificii *tit. de Constit.* clare ostendit, nullum omnino ex illis edictis legem *placiti* continere. En quae fides monumentis a Van-Espenio prolatis sit praestanda!

Eorum porro quae hactenus disseruimus haec est summa. Perspexistis mendaci hoc iure id unum quaeri, ut potestas politica ad inanimam veluti cuiusdam machinae conditionem Ecclesiam redigat; idque ea tantum de caussa fieri, ut in filiorum mentibus suspicio inolescat Ecclesiam reipublicae commodis adversari. Intellexistis praeterea monstrosum hoc ius: quamquam essentiale politicae potestati esse effutiant, ignotum plane fuisse quatuordecim seculorum ab Ecclesia originibus intercursu; posteaquam vero e tenebris ad contristandam Ecclesiam erupit, aegre admodum lenteque reptasse, paucissima proferri posse exempla, quae ceterae gentes imitari diutissime recusarunt, ac postremo ius illud ab ipsis saepe actoribus improbatum, ab Ecclesia exsecratum constanter fuisse. Quae omnia cum apertam usurpationem iuris, tum reluctantis conscientiae stimulos quibus usurpatores ipsi urgebantur ostendunt. Haec demum est natura *placiti* illius, quod intollerabili errore regiis iuribus adnumerari demonstrandum mihi proposui.

Nisi quod, auditores, necessitas ipsa instituendi hasce demonstrationes stomachum movet. Enimvero habetis ante oculos Sponsam Christi adstrictam vinculis, ad tribunal filiorum suorum adductam, qui pro libidine vel silentium indicunt vel fandi libertatem ipsi permittunt. Utrum autem tolerari haec debeant erit ambigendum? Quod siquis scitatus fuisset num tolerari ea possent erga parentes quos ipsa nobis natura dedit, si fides est habenda Tacito Annalium IV, tantam in romanorum animis indignationem concitasset, ut in atrocem illam exsecrationem erumperent continuo : *parricidarum poenas, robur et saxum.* Memini, me adhuc adolescentulo, cum lecti quidam iuvenes humanitatis studiis exculti Polynicen Alfierii in scenis agerent, inque honestissimo spectatorum consessu et ego assiderem; ubi eo ventum est cum, inter colloquia quae cum matre et sorore serebat, Polynices repente animo turbatus, obducta fronte veritusque insidias in ipsa hostili regia, quo pedem imprudens intulerat, defixis in matrem ac sororem oculis, has pectore voces rumpit :

Ma voi . . . che io ascolto . . . voi
Che in amica sembianza a me dintorno
Rimiro . . . oh ciel! chi'l sa, se in voi s'annida
Inganno o fè? . . . . . .
. . . . . A me tu madre . . .
Sorella tu . . . Ma che perciò?

ad ea verba « *ma che perciò* » horrere repente quotquot aderamus ac fremere; horrendum quippe visum est universis proditionis speciem in corde matris suspicari. Iamvero ut eo redeam unde discessi, circumspectamus hinc Ecclesiae filios perpetua maternarum fraudum suspicione agitatos, compedes illi veluti suo iure iniicere ac fauces obstruere : inde vero rationum momenta adhibere coginur ut planum fiat eiusmodi spectaculum esse omnino intolerabile ! Esto : planum faciam.

Cur vero *iutolerabile* est dicendnm ? quia intolerabile illud Ecclesia a suis inde primordiis ad hanc usque diem declaravit: declaravit *implicite* antequam *placitum* existeret, *explicite* postquam irrepsit. Nostis, auditores, plenam Ecclesiae libertatem non modo in iis quae ad fidem sed in his etiam quae ad disciplinam spectant, esse caput doctrinae quam perpetuo professa est Ecclesia. Revocare in memoriam sufficiat celebrem illam provocationem qua S. Athanasius arianos compellabat. « Multae antehac synodi coactae sunt: multa prodiere Ec- « clesiae decreta; sed numquam Patres res huiusmodi imperatori suasere, nun- « quam imperator Ecclesiastica curiose perquisivlt, . . . (περιεργάσατο; quae « vos perbelle in *placitum* quadrat) spectaculum novum, quod arianae hae- « resis inventum est. » (*Hist. Arian. ad Mon.*) Dicetne quisquam synodos deet decreta eatenus fuisse omnia dogmatica?

Pressius rem urget Lucifer Calaritanus qui Constantium compellans ait: « Proba te super nos factum iudicem, proba ad hoc te constitutum imperato- « rem, ut nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli « boli perduceres. Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi non solum « non dominari episcopis, sed et ita eorum obedire statutis, ut si subvertere « eorum decreta tentaveris , si fueris in superbia comprehensns , morte mori « iussus sis; quomodo dicere poteris, iudicare te posse de episcopis, quibus nisi « obedieris, iam, quantum ad Deum, mortis poena fueris multatus? Cum haec « ita sint, tu qui es profanus ad Dei domesticos, quare istam sumis in Dei sa- « cerdotem auctoritatem? » Thoedorus Studita (Theocterist. in vita S. Nicetae « c. 5. apud Bolland. die 3 apr.). « Ne dissolvas, inquit, Imperator, ordinem « Ecclesiasticum: ait enim Apostolus, quosdam quidem Deus in Ecclesia Apo- « stolos, quosdam autem prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pasto- « res et Doctores ad consummationem Sanctorum: non addidit Reges. Tibi, o « Imperator, commissus est politicus status atque exercitus; horum curam gere; « Ecclesiam autem permitte Pastoribus, atque Rectoribus iuxta Apostolum. » Sane, auditores, si inane illud *placiti* ius consistat, Ecclesiae constitutio subvertatur oportet : romanus Pontifex haud absimilis Iaponum Dairo fiet, illi siquidem nomen summae potestatis constabit, potestas vero ipsa in principes transferetur. *Nos* (audire mihi videor loquentem Pontificem) *nos quibus Chri-*

stus ait: quodcumque ligaveris super terram.... Quid hoc rei est? loquentem Siogunus interpellat: *quodcumque*, dicis? at plura destituentur *placito*, atque adeo caritura vi et auctoritate concident. — Ulterius, *ligaveris in terra...* Falperis, inquit: *ligare* enim vim legis significat; at meum *placitum* vim hanc imeertit: non itaque tuum, sed meum est ligare. Quod si tuas has fore partes arbitraris, fac sodes periculum; *placitum* ego negabo, atque invitus ipse ligaberis. — Haud hic finis: *erit ligatum in caelis.....* Satin sanus? si dixisses *ligabitur*, minus commode profecto dixisses: qui enim polliceri absolute audeas, quod ab arbitratu pendet meo? At enim, *erit ligatum!* pronunciatum in terris, sancitum in caelis! fulguris instar quod paret ab oriente iamque occidentem pervasit! Atqui terrestre mandatum sanctionemque illam caelestem *placitum* intermedium excipiet. Pluribusne opus est, auditores, ut Ecclesiae constitutio, quemadmodum scite inquit Studita, evertatur.

Illustriora quaedam testimonia memoravi, vel quod aliarum testificationum fecunda admodum ex se sunt, vel quod quaestionem medullitus attingunt. Ceterum si quis mallet plenam hac de re Ecclesiae doctrinam, velut in tabula descriptam, illam adumbrare expeditissime possum. *Trecentis prioribus annis*, ipsos adversarios credo daturos, Ecclesiam quin opperiretur Neronum *placita*, prompta exegisse Pastorum mandatis obsequia: neque sane desunt illustria monumenta, cuiusmodi sunt Epistola LV. S. Cypriani, decretum synodale in eadem epistola memoratum, quo immo decreto derogatur legi mere civili, acta in caussa Samosateni; adde provocationem paulo ante memoratam S. Athanasii ad Arianos, quae hanc quoque aetatem complectitur (8). *Posterior aetas*, quae produci ad *S. Nicolaum I.* hoc est ad medium seculum IX. potest, luculentissima est testimoniis iam ante recitatis; quibus insuper alia innumera atque omnino consonantia accedunt 1.° *Sanctorum Patrum*, in quibus nobilissima sunt testimonia Osii, S. Hilarii, synodi Alexandrinae universae (anno 339), S. Gregorii Nazianzeni, S. Ambrosii etc. (9): 2.° *Principum ipsorum*, in qui-

---

(8) Quin etiam, ne a primis hisce temporibus abscedamus, fas est adversarios percontando urgere. Nero ac Diocletianus iure *placiti* potiebantur, annon? Affirmant? Novum hercle ac festivum! Negant? Ergo ue recentiores quidem reges eo potiuntur. Si enim essentiale est regnanti, non potest nostris regibus tribui, denegari Diocletiano. Quin eo potiori iure illud sibi Diocletianus adiudicasset, quo ab Ecclesia erat alienus, nostri vero principes baptismi gratia sunt illi subditi. Vel itaque absurdum sibi concoquant, vel fateantur necesse est, *placitum* haudquaquam ius regium esse.

(9) *Osius* apud S. Athan. Ep. ad Mon., *S. Hilar.* l. 1. ad Constantium, *Conc. Alex.* Ep. Synod., *S. Greg. Nazianz.* Orat. 17., *S. Io. Chrysost.* hom. 15, in 2 ad Cor., *S. Ambros.* in Auxent. et Ep. ad soror., *S. Isid. Pelus.* l. 3, Ep. 249., *Synesius* Ep. 53, *S. Felix III,* ad Zenon. Imp., *S. Gelas.* ad Anast. Imp., *S. Symmach.* ad eumd., *Fulgent Ferrand.* Paraen. ad Regin. nn. 16, 17., *Facund. Herm.* l. 12, cc. 3, 4., *S. Greg. M.* in Ps. quintum poenitential. v. *Tota die exprobrabant etc.* et Ep. ad Maurit. Imp., *S. Greg. II,* ad Leon. Imp., *S. Io. Damasc.* or. 1, et 11, de Ss. Imag., *Aemilian.* Ep. Cyzic. apud Baron. an. 814, n. 12, et alii. Quin etiam absolutam hanc potestatis ec-

bus nota sunt omnibus testimonia Constantini penes S. Optatum, Valentiniani apud Sozomenum, Honorii in epistola ad Arcadium de S. Ioanne Chrysostomo, Theodosii iunioris, Valentiniani III, Caroli Magni etc. (10). Venimus itaque *ad aetatem Nicolai I*, quam proferre ad schismatis tempora iuvat. Heic vero vel ipsi adversarii dant manus et loco cedunt; enimvero, inquiunt, toto hoc temporis spatio regnum isidorianorum dogmatum tenuit. Supervacaneum est igitur testificationes huiusce aevi congerere. Illud modo animadvertisse iuverit, primas laicorum hominum rebelliones quae adversus potestatem libertatemque ecclesiasticam hoc aevo vertente extiterunt, clariorem lucem afferre huic tabulae quam primis veluti lineis designavi: etenim Arnaldi Brixiensis, Marsilii Patavini et Ioannis Wicleffi nomina oculis obversantur, ceu monumenta quibus edocemur, doctrinam *piaciti* antequam etiam e tenebris excitaretur, Ecclesiae doctrina damnatam *implicite* fuisse.

Atqui perpulchrum esset reprobatam *explicite,* priusquam etiam erupisset, videre. Praesto sum, auditores. Actione 1. concilii Constantinopolitani IV. (anno

---

clesiasticae libertatem in iis omnibus quae ad Ecclesiae gubernationem pertinent, quam Ss. Patres unanimi constantique consensione asseruerunt, iidem *triplici doctrinae capite* enuclearunt atque illustrarunt. 1.o Bona temporalia, quae *finis* sunt civilis societatis, subesse debent bonis spiritualibus quae *finis* sunt Ecclesiae: atque haec est *doctrina perpetua, constans et fundamentalis ipsius Ecclesiae.* 2.o Potestas civilis prae ecclesiastica eamdem rationem servat, quam in homine corpus prae anima. Ita *S. Greg. Naz., S. Io. Chrysost., S. Isid. Pelus.* ll. cc.; ita sequiori aevo *S. Yvo Carnut.* Ep. 51, ad Henr. Angliae Reg., *Hugo a S. Victore* l. 2 de Sacram. p. 2, c. 4., apud. Theologos Constantienses, *Alex. Habens.* 3, p. q. 40. membr. 2, *S. Bonav.* L. de Eccl. Hierarch. p. 2, *S. Thom.* 2, 2, q. 60, art. 6. ad 3, *Theoll. Conc. Const.* in fusiori damnatione 45 articulorum Ioannis Wicleffi, et *vulgo Doctores,* quemadmodum citati Theologi dicunt: (videsis nonnullos apud Lessium *Defensio* p. 2, sect. 1. probat. III, nn. 78, 79). 3.o Voluntas Dei creatoris dirigens universa ad supremum finem, quo ipsamet Ecclesia tendit, ideo potestatem civilem instituit ut Ecclesiae deserviret, eique praesto esset instar mediii ad finem suum assequendum. *S. Caelest. I.* Ep. ad Theodos., *S. Leo M.* Ed. ad Leon. Aug. *S. Greg. M.* l. 1, Ep. 65. ad Maurit. Imp., *S. Isid. Hispal.* l. 3, sentent. c. 53. Ne plura: haec doctrina ceu fundamentum est christianae philosophiae universae.

(10) *Constantinus, Valentinianus, Honorius* ll. cc. *Valentin. III.* nov. de episc. ordination. in cod. Theod. *Theod. Inn.* ad Syn. Ephes., *Theodoric.* in IV. Syn. Rom. sub Symmacho Papa, *Iustinian.* oov. 83, c. 1., *Carolus M.* Can. In memoriam dist. 19, *Basil. Maced.* act. ult, Conc. Constantinop. IV. an 869; et alii. Hoc doctrinae depositum cum sedulo excepisset pius Galliae rex Ludovicus VII, abominatus Federici imperatoris scelera inquiebat: « *An ignorat praedictus imperator, quod Dominus noster Iesus Christus cum esset in terris, Beato Petro, et per eum universis successoribus eius oves suas pascendas commisit? Nanne audivit in evangelio ab eodem Dei Filio eidem Principi Apostolorum dictum:* Simon diligis me? Pasce oves meas? *Numquid sunt hic Francorum reges, vel aliqui praelati excepti?* » *Baron. an. 1162 n. 10.*

869) praefectus imperatorius rogavit nomine etiam Episcoporum legatos apostolicos ut litteras mandatorum ac potestatis suae testes exhiberent. Indignabundi legati responderunt: *hoc nos usque nunc non invenimus in universali synodo factum, ut vicarii senioris Romae a quolibet perpendantur, utrum talem extimationem habeant.* Quibus praefectus: *et nos propter inhonorantiam apostolici throni non dicimus hoc, sed quia anteriores vestri accedentes missi, Radoaldus scilicet et Zacharias, deceperunt nos, alia in mandatis habentes et alia facientes.* Ita ea etiam in civitate, ubi apostolica auctoritas perpetuo bello impetebatur, improbatam *explicite* habetis doctrinam *placiti* antequam oriretur.

At ubi se in lucem profudit, quae fuerit Ecclesiae mens et sententia, paucis expediam. Novem constitutiones extant, quas totidem Romani Pontifices dedere ad *placiti* damnationem (11); nec in his censeo anathema a S. Pio V indictum adversus Complutensem Ducem, congregationes ex mandato Gregorii XIII habitas illarumque responsa, decretum Congregationis *de Propaganda Fide* die 2 Octobris 1673 approbatum a Clemente X die 4 Octobris eiusdem anni, bina decreta congregationis S. Officii, alterum die 27 Februarii 1737, alterum die 4 Septembris eiusdem anni, a Clemente XII adprobata, querelas Pii VII, contra articulos organicos reipublicae gallicae, constitutionem *Apostolicae* a regnante summo Pontifice die 22 Augusti 1851 editam; recensui quidem inter novem illus constitutionem, cuius attendi volo auctorem, nimirum Benedictum XIV., tempus, hoc est diem 30 Martii 1742, clausulas, quas perlegi ab iis cupio qui Benedicti concessiones iactare solent. Ceterum illud mihi proposui, ut ostenderem tolerari minime posse errorem eorum qui usum *placiti* non in quapiam forte concessione, sed in ipso regni iure statui contendunt. Quare ne a proposito digrediar, praetereo nunc concessionum ostentatores; atque eadem de caussa illus praetereo qui *placiti* usum quadam nescio qua tolerantia stabilitum censent; cui tolerantiae non modo *factum* adversatur, sed et *ius*, quandoquidem sexcentae decretales declarant nullam vel minimam praesumptionem assensus captari inde unquam posse. Sed haec, ut dixi, in praesentia missa facio. Illud praeterire nolo; bullam inquam *In coena Domini*, quae cum a prima

(11) *Bonif. IX*, an. 1303. apud Ughelli Ital. Sacr. tom. 7. Archiep. sypont., *Martin. V.* Quod antidota an. 1418., *Innoc. VIII*, Olim 1486, *Idem* Officii nostri 1491, *Leo X.* In supremo 1518, *Clem. VIII.* Romanus Pontif. 1533, *Innoc. VI.* Decet 1689, *Clem. VI.* Ad Apostolatus 1719, *Bened. XIV.* Pastoralis 1742. Non absre erit aliquid ex his constitutionibus lectorum oculis subiicere, unum dumtaxat locum ex Leone X decerpam. « *Nos* (inquit) *petitionem huiusmodi* (subiicendi nimirum *placito* constitutiones pontificias) *UTI RATIONE CARENTEM, cum Romani Pontificis gesta non debeant per inferiores sibi et subditos examinari, INDECENS ET ABSURDUM, quin imo TEMERARIUM esse censentes, quod aliquis quavis occasione literas Apostolicas sine Romani Pontificis speciali commissione EXAMINARE VELLE PRAESUMAT; propterea petitionem et supplicationes ipsas, prout merito reiiciendae erant, REIECIMUS ET CORAM NOBIS LACERARI FECIMUS.* » Secundum haec *poenam excommunicationis* indicit cuivis tantum facinus audenti « *etiam si imperiali, regali, ducali, vel alia praefulgeat dignitate.* »

placiti origine recitari publice quotannis consueverit, placiti damnationem sexcenties cumulavit.

Iuverit hic, auditores, aliquantum consistere, propositaque oculis ingenti hac sententiarum et damnationum mole quas Ecclesia pronunciavit, adversarios coram percontari. Vos tuemini, *placitum* esse ius certum, ab ipsa iustitiae lege profectum, essentiale politicae potestati: Ecclesia vero continenti iudiciorum serie, cui nulla fortasse comparari in universa historia queat, ab ipso sui exordio usque ad Pium IX *placitum* damnat atque expressis verbis definit (ita profecto Leo X, Clemens VII, Clemens XI. Benedictus XIV) *contrarium omni iustitiae, indecens, absurdum, temerarium, scandalosum, pravitatem intolerabilem, dignum aeternis poenis*, atque ideo anathemate, quae est *poenarum maxima*, plectit. Nullus heic evadendi locus. Aut ponite aliquando (dicam verbis concilii quod eitari saepius a regalistis solet, concilii nimirum Constantiensis sess. XIII.) ponite, inquam, catholicorum personam quam perperam geritis, neu cunctemini quin Ecclesiam audacter incusetis, quae iam inde ab initio ad hanc usque diem perpetua constantique sententia definierit malum, iniustum, absurdum et intolerabile flagitium, id quod bonum, quod iustum, quod essentiale regnorum ius est; sin autem fateamini oportet errore profecto intolerabili vos esse implicatos.

Sane propositis S. Theodori Studitae verbis vidimus, auditores, constitutionem Ecclesiae labefactari doctrinis *placiti*; quapropter S. Pius V dum ageretur caussa Ducis Complutensis vehementerque solicitaretur uti vellet *placiti* usum permittere, se *non posse* respondit, quin ipse se Primatu abdicaret. At fingamus, quaeso, Christum alia omnino ratione Ecclesiam constituisse, legesque et decreta Vicarii sui regum *placitis* subiecisse: quidnam tandem de ipsius regimine et conditione futurum fuisset? Quisque facile intelligat. Mandatum idem huic gratum, ingratum illi accidit; alios hic modo legi, ille alios vult imponi. Haeccine est nova Ierusalem, annon potius nova Babel?

Hactenus de Ecclesiae constitutione dixi: quid iam de auctoritate dicam? Cum homines quotidiano spectaculo assueverint ecclesiasticae auctoritatis quae sese politicae potestati, tamquam magistrae ac dominae, demittit; cum experimento viderint ecclesiasticam a civili potestate perpetuo premi; dubitandumne quin Ecclesiae auctoritas in animis populorum sit imminuenda? quin vilior ipsis etiam praesulibus populorum sit imminuenda? quin vilior ipsis etiam praesulibus futura sit? quin clerici aulici genus succrescat, cuius oculos regiae chlamydis splendor magis quam tiarae pontificiae dignitas perstringat? Aucta vero hoc modo temporalis potestatis existimatione, spiritualis contra diminuta, nonne futurum videtur ut practicus quidam materialismus atque epicureismus necessarie omnium animis obrepat, atque adeo finis ipse Ecclesiae in summum discrimen adducatur? Igitur habetis Ecclesiae finem extremis obiectum periculis, auctoritatem collapsam, regiminis rationem turbatam atque subversam; nonne haec omnia intolerabilia dicenda erunt?

Eia, addam cum Cardinali Belluga, et vos ponite praecipi a Summo Pontifice ne cui legi in vestris ditionibus obtemperetur, nisi ante *placitis* Nuntiorum aut Episcoporum fuerit probata; idque *ad tutandum bonum publicum spirituale*, nequid forte huic bono infensum iubeatur. Placetne?... cunctamini? elabi qnaeritis? Equidem novi regalistas eo usque dedidicisse christianae doc-

trinae principia, ut dicere non dubitaverint usurpaturum Pontificem regia iura in aliena ditione, si quid eiusmodi auderet. Verum haec propositio schismatica est atque haeretica, hisce notis confixa a Congregatione S. Officii anno 1654 probante Innocentio X; ipsi etenim infantes nostri norunt, ecclesiam cui regendae praeest Christi vicarius regnum esse, quod universum terrarum orbem amplectitur; atque adeo vicarium Christi leges ubique terrarum condere debere, quibus Ecclesiae bono ac regimini prospiciat. Eone confugietis, ut dicatis Principes iure sibi ab Ecclesia pertimescere, et non posse Ecclesiam irrogare hanc iniuriam Principibus? Itane ergo verae rerum notitiae pervertuntur? Vae tibi, inquit Spiritus Sanctus, qui dicis bonum malum et malum bonum. Princeps merito sibi ab Ecclesia timet, iniuria a principibus Ecclesia! Cedo regulam qua iudicium de hac propositione feramus. Regulam sanae rationis vultis, an historiae? Atqui Ecclesia ad hunc finem instituta fuit a Christo, ut quemadmodum cetera omnia vitia, ita etiam iniustitias usurpationesque convelleret; huius rei gratia Christus singulari praesidio praesto semper est Ecclesiae; huius rei gratia pastores probatae virtutits eidem praesunt. E contrario in civili principatu, ut qui bonis tantum sensilibus ac terrenis inhiat, natura inolevit ambitio amplificandae potestatis suae. Quae cum ita sint, adeo vos abripi mente sinitis ut effutire non dubitetis, Principatum sibi iure ab Ecclesia timere, minime vero a principatu Ecclesiam? Historiam ergo consulite. Quid illa docet? Maximae usurpationes, quarum historia teste, ut dicitis, Ecclesiam insimulatis, ipsae vos revincunt. Neminem fortasse acerbiori declamatione exagitare solitum vobis quam S. Gregorium VII, quem non modo Sanctum Ecclesia pronunciavit, sed eo potissimum nomine quod Ecclesiae libertatem invicto animo asseruit (12). Ceterum dum historias repeto, Ecclesiam vi-

---

(12) Iuvat hic locum recitare doctissimi Zaccaria *Dissert.* cui titulus *Rendete a Cesare ecc. num. VIII.* « Io non voglio qui (non hoc mihi in praesentia « proposui) difendere l' infallibilità del pontificale giudizio, che a questi santi « (Gregorio VII, et Thomae Cantuariensi) ha decretato gli onori degli altari. « Già ognun vede, che questo non sarebbe piccol disordine, volere, che il « Papa sia caduto in errore canonizzando uomini, i quali possono dirsi usur- « patori di regi diritti, e però degni di abominazione. *In Ecclesia*, dice S. « Tommaso *quodl. IX q. 7, art. 16, non potest esse error damnabilis: sed hic « esset error damnabilis, si veneraretur tamquam sanctus, qui fuit peccator, « quia aliqui scientes peccata eius crederent hoc* (quelle azioni esser peccati) « *esse falsum, et ita possent ad errorem perduci. Ergo Ecclesia in talibus er- « rare non potest.* Ma noi qui prendiamo altra maniera di argomentare. La « Chiesa non solo a' fedeli mette innanzi questi due Santi per santi; ma di- « chiara, che tali sono, perchè hanno difeso l' ecclesiastica libertà. *Salerni*, di- « cesi nel Martirologio Romano a' 25 di maggio, *depositio beati Gregorii Papae « VII ecclesiasticae libertatis propugnatoris, et defensoris acerrimi*: e a' 29 di « dicembre: *Cantuariae in Anglia natalis S. Thomae episcopi et martyris, qui « ob defensionem iustitiae et ecclesiasticae immunitatis impiorum hominum « factione in Basilica sua gladio percussus migravit ad Christum.* La Chiesa « adunque (non dico il solo Papa, perciocchè il giudizio del Papa è stato dalla « universale Chiesa accettato nel ricever la festa, l' uffizio, ed il recato elogio

deo incolumitati regnorum assidue prospexisse, studium omne propere impendisse in placandis populorum turbis, civilem societatem ab imis quandoque radicibus concussam sustinuisse; ad haec concordatorum seriem video, quae viva Ecclesiae sacrificia merito dixeris. Contra civilis potestatis fastos relegenti occurrit, inde ab aetate S. Ambrosii (cf. *Ambr. Ep. ad suror.*) usurpationes Ecclesiae damno a principibus peractas adeo in omnium oculis atque ore positas fuisse, ut in consuetudinem proverbii vulgo venerit: avidos magis esse imperatores sacerdotii quam sacerdotes imperii. Atqui nondum ea perspexerant, quae deinceps posteri, quae nosmet ipsi ad hanc usque diem oculis usurpavimus. Duo dicenda supersunt, quorum alterum mearum est partium, alterum adversariis maximo ipsorum probro unicum restat.

Quod me attinet dico, neque *Ecclesiam* adversus *statum* neque *statum* adversus *Ecclesiam* posse sine maxima iniuria *placito* uti; licet enim Ecclesia de vobis, vos de Ecclesia (quod vel cogitare horrendum est) suspicari possetis, neutra tamen pars ius aliud haberet quam vigilandi, et, si quidem constaret suspicio, tuendi se *intra ordinis et iustitiae leges* (13). At vero aemulum punire, et quantum in vobis est ipsam vestrum matrem punire (14), illamque

---

« di questi due santi) la Chiesa riguardo ad essi, oltre il giudizio di canoniz-
« zazione, un altro giudizio propone ai fedeli, che il difendere l' ecclesiastica
« libertà, e molto più il difenderla col sangue (in que' punti, ne' quali han-
« nola que' due santi con ogni studio e vigore sostenuta) è azione santa e
« degna degli ecclesiastici onori. Or questo giudizio appartiene a dottrina, e in
« esso non può errare la Chiesa senza che per virtù propongaci il vizio; nè
« alcuno, salva la cattolica verità, potrebbe avvisarsi di attribuire alla Chiesa
« siffatto errore: Si: è formale eresia affermare, che in dottrina di costume la
« Chiesa sia ad errore sottoposta. Se dunque la Chiesa dichiara, che santa cosa
« è la difesa dell'ecclesiastica libertà in que' punti, ne' quali hannola que' due
« santi con ogni vigore e studio sostenuta, sarebbe eretico il dire, che l'eccle-
« siastica libertà in que' punti un' usurpazione sia de' diritti de' sovrani. »

(13) Cf. cap. *Si quando 5 de Rescr.* et *S. Yvonem Carnut.* Ep. 69. Ego vero legi mallem *Can. in memoriam dist. 19* a Carolo M. exaratum: siquidem pientissimus iste imperator, cum observantiae venerationisque sensa erga Ecclesiam animo penitus imbibisset, in ipso etiam rerum civilium cursu tot tantisque beneficiis auctus a Rege regum fuit, ut a Iosepho II ac deinceps non tantum regum throni nutent ac fatiscant, quantum soliditate et gloria Caroli M. solium stetit.

(14) Fateor cohorruisse me dum haec verba conscriberem. *Matrem ipsa punire!* In lege civili axiomatis instar habetur « *leges ERUBESCUNT correctores patrum filios facere.* » Vecordem plane et inverecundae frontis hominem fuisse necesse est, qui primus Ecclesiam substernere *placito* ausus fuit! Atqui aperte intonuerat Paschalis II vox ad Henricum Angliae regem scribentis: *nec enim decet ut a filio mater in servitutem abducatur* (*Du Mesnil. L. 47 n. 60*). Gravius quiddam adiiciam atque in memoria revocabo, *Christi vicarii dignitatem* a *dignitate Christi* discerni non posse, atque adeo Aligherium non libertate poetica, sed iure ipsaque veritatis vi dixisse:

E nel Vicario suo Cristo esser catto.

iuribus sibi propriis ac libertate multare, antequam noxam ullam admiserit, hoc enimvero inauditae tyrannidis est; quemadmodum profecto inauditae tyrannidis foret, vel infimae sortis hominem carceri perpetuo addicere eo solum nomine quod timor subrepserit, ne quando homicida sit futurus. Hinc est quod Ecclesia nunquam eiusmodi *placitum* usurpavit, ne iis quidem temporibus quae vos dispotismi ecclesiastici nominatis: VOS USURPASTIS!

Vobis autem hoc unum dicendum superest, cum tutela boni sensibilis ac terreni curae sit vobis, Ecclesia vero bonum spirituale tueatur, propterea vestri quoque iuris esse Ecclesiam iugo premere, quia bonum temporale longe maioris momenti sit quam spirituale: detestabilem profecto doctrinam, unde vires ducit antiquum Satanae bellum adversus Christum, quam plenius evomuere turpes illi superioris aetatis philosophi, quam uti normam regendae rei publicae volteriani ministri constituerunt, quae postremo doctrina, legis veluti specie inducta, populos materialismi atque epicureismi erroribus sensim imbuit. Quorsum id casurum putatis, auditores? Principio semel constituto, cetera quae cum ipso necessarie connectuntur necesse est consequantur. Si extrema hominis felicitas in perfruendis rebus caducis sita est, communismus profecto iustus est et sacrosanctus; nullus enim hominum potest, nedum debet, supremae suae felicitati nuncium remittere. Ergo druida · communistae consequens ad logices normam duxerunt; culpa in eos recidit qui populum eiusmodi principiis imbuerunt.

Regium placitum fuit reapse *constitutio* a principibus Ecclesiae imposita. Successiones eventusque rerum suum cursum tenuerunt, nec multo post *constitutiones* a populis impositae principibus sunt sequutae. *Tutela* iuris regii adversus Ecclesiam praetextus *placiti* fuit: constitutionum praetextus fuit *tutela* popularis iuris adversus reges. Illi moerorem Sponsae Christi neglexerunt; Christus avertit oculos ab eorumdem luctu atque aerumnis. Non penitus tamen avertit. Tum enimvero speciem maternae pietatis Ecclesia exhibuit. Nam ipsa quae afflicta ac depressa a principibus fuerat eorum caussam ultro suscepit, qua precibus qua minis institit, nihil intentatum reliquit ut procellam averteret: atque haec dissipari visa fuit. Quid posthac fiet? Edocti hisce eventibus hominem resipiscent? Faxit Deus ne religiosum illud studium, quo hac nostra aetate commoveri atque ultro fervescere tot augusta pectora vidimus, intercidatur aulicis assentatorum blanditiis, quae denique in damnum exitiumque regum, ministrorum ac gentium unice cedunt.

APPENDIX II.

DELL' AUTORITÀ PATERNA

quanto alla educazione ed istruzione

Convien dunque esaminare inquit. Taparelli l. c. n. 1562 seqq. 1o dove sia competente l' autorità paterna; 2º come vada scemandosi una tal competenza.

1561. L' autorità paterna; come domestica, riguarda l' ordine domestico, e per conseguenza è limitata all' esterno; potrà dunque esigere dai figli per questo titolo tutto ciò che al ben comune d' una famiglia può mai richiedersi: ordine nelle azioni, nelle fatiche, nelle spese; unione reciproca e tratto cortese, adempimento, almeno esterno, di tutto ciò che impone l' onestà e la religione professata dagli individui, allontanamento da quanto potrebbe offendere o il corpo o l' onore o la coscienza . . . sin qui è diritto paterno l' ordinar la famiglia, armonizzandone l' opera a ben comune.

1562. Ma potrà egli volgere anche all' interno i suoi ordinamenti? Come ordinatore domestico no, il suo diritto sarebbe limitato all' esterno: ma egli è padre e però istruttore ed educatore: or l' ufficio di istruttore è diretto a guidar l' intelletto, quel di educatore la volontà; se dee guidare coteste interne potenze, egli ne ha il diritto; dunque il padre come istruttore ed educatore ha diritto ancora a regolare l' interno dei figli. Ma quando e fino a qual punto? Ognun lo vede: quando ne hanno il bisogno, e fin dove questo bisogno si estende. Or il bisogno del fanciullo è universale, giacchè sul principio nullo uso egli ha delle facoltà mentali: la intelligenza paterna determina per lui quel fine a cui dee mirare la ragione, la coscienza paterna ne guida l'operare: e il fanciullo, incapace dapprima di morale operazione, è portato dallo istinto a pensare col padre, a volere ed operare com'egli impone. Qui dunque è chiaro il diritto o piuttosto il dovere paterno; se il figlio giudica e vuole ed opera per impulso del padre, nè può fare altrimenti, il padre dee nel figlio giudicare con verità, volere l' onesto ed operarlo.

Si trasfonde dunque dal padre nel figlio non pur la fisica, ma anche la morale attività. Nè vale il dire che in quei primi albori la ragione ancor tace, e però non può la comunicazione dell' impulso paterno appellarsi comunicazione di attività morale. Imperocchè quelle prime idee e giudizi, benchè non sieno atti compiuti di ragione, già ne sono il principio; e se il primo atto di ragione dee sbocciare da principi anteriori, giacchè non è un lampo repentino, ma una progressiva deduzione; il primo atto compiuto di ragione nel figlio dipenderà in gran parte dal modo con cui nè avrà ricevuti dal padre gli elementi.

1563. Dal che si comprende in primo luogo l' orrendo abuso che fanno di loro autorità quei parenti, che alla ragionevolezza nascente dei figli loro spirano l' anelito appestato della menzogna e della malvagità; e si fanno omicidi moralmente di quella ragione che dee svolgersi secondo natura, per influsso principalmente dei genitori, in cui sta tutto l'esser morale dei figli loro. E pure questo infanticidio spirituale è commesso talora a sangue freddo, da genitori, che si dicono cattolici, nei matrimoni misti, allorchè nell' atto del contratto inseriscono la clausola che i maschi verranno educati alla religione paterna, le femmine alla materna. Che tal clausola si accetti da chi professa o di non aver religione, o di ammetterle tutte, facilmente s' intende: sembra anzi che codesto indifferentista, se ama la concordia domestica, potrebbe lasciar di buon grado al coniuge cattolico il pensiero di trasfondere nei figli tutti, le medesime dottrine. Ma che questo secondo, professando che il miscredente non avrà salvezza, prenda intanto per atto pubblico solenne impegno di mandare metà de' suoi figli in perdizione eterna, questo in verità è un tratto di assurdità, di crudeltà, di empietà tale, che farìa raccapriccio, se non si comprendesse esser veramente per costoro il cattolicismo un puro titolo geografico, secondo la obbiezione del militare filosofo.

1564. Si comprende in secondo luogo quanto sia ragionevole e filosofico il procedere della società cristiana, che dai parenti riceve quasi in dono la intelligenza dei figli nel battesimo; imperciechè dei parenti è veramente in quei primi anni l' elemento morale che va in quelle menti maturando; essi, se credono veramente al Dio che parla nella chiesa, debbono, poichè possono piegare a tal voce infallibile, come la propria, così la mente e la coscienza dei figli. Onde il Ginevrino, che al suo Emilio vorrebbe ricusato da genitori snaturati il latte delle prime religiose istruzioni, pretende un assurdo insieme ed un'empietà, perchè vuole che i parenti non pieghino al sommo Vero quegli animi teneri, dei quali hanno piena balìa: un assurdo, perchè pretende che la ragione umana aspetti il giorno assegnatole dal Sofista, per produrre di repente, qual Minerva nata dal cervel di Giove, la scienza dell' Essere e della Causa infinita, a cui tende fin dai primi anni la curiosità del fanciullo, indagatrice (e talor sì importuna!) del perchè di ogni cosa: quasi non fosse alla ragione essenziale il progredir passo passo (discorrere).

1565. Ma indarno codesto Encelado muove guerra alla natura; potranno i suoi sofismi rendere il padre incredulo, ma non gli torranno mai dal cuore la brama di veder nel figlio riviver se stesso; nè dal cuor del figlio la natural conformità alle idee paterne. Onde il tacere assolutamente di ogni religione sarà, non già sospenderne nella mente del figlio ogni idea, ma un persuaderlo che nel padre non è senso di religione, e per conseguenza un indurlo ad abbandonare egli pure ogni senso. Ma basti di codesto sistema oramai screditato; e torniamo al fanciullo che produsse il primo atto compiuto di sua ragione. Egli non è perciò venuto in possesso di tutto il vero, del quale appena una scintilla gli balenò alla mente: per lungo tempo abbisognerà ancora di magistero che autorevolmente lo guidi nell'acquisto delle idee più necessarie e più volgari, delle quali se gli vengono proposte, ravviserà almen confusamente la convenevolezza, ma che, se niuno le proponga, gli rimarranno lungamente ignote. È egli intanto di natura che gli vengano proposte? e perchè formò

natura la intelligenza se non pel vero? perchè la società, se non per agevolarne e perpetuarne la notizia?

1566. Continuerà dunque nel padre il dovere d' istruzione, nel figlio quello di docilità assoluta, finchè giunga quel giorno, in cui già matura, la ragione, sarà capace di ricercare le basi del proprio operare e di conoscerne e seguirne le leggi. Allora finalmente, se la ragione del padre solo gli si presenti e fornita solo di quelle forze che ad ogni uomo natura comparte, il figlio, giunto a forze eguali, e però ugualmente capace di conoscerne il vero, alla propria ragione dovrà quell' ubbidienza che prima dovette per dettato naturale alla ragion del padre. Che se il padre, aggregatolo seco ancor bambino a quella società immortale, in cui la tradizione primitiva conservò e maturò al lume di profezie e portenti ogni germe di vero, sarà venuto di mano in mano spiegandogli, a proporzione della sua intelligenza, la evidente credulità di sua fede; allora il figlio o dalla forza di questi motivi, o almeno dalla moltitudine e dal valor dei credenti, sarà convinto non essere ragionevol cosa l'opporsi col debol vigor di sua mente a tanta mole di autorità: ed emancipato nella intelligenza dell' autorità paterna, pure continuerà ad essere uno con esso lui nel pensare, perchè governato come lui da supernale maestra. Dal che apparisce come la fede cristiana, propagandosi quasi col sangue, forma la unità e per ciò la felicità domestica, come tende a formar la politica; e la formi con un procedimento naturale e di fatto.

1567. Credemmo necessario dare qualche ampiezza a queste dichiarazioni del dritto di educazione, per compiere la teoria dei diritti sociali in materia di religione, ove lasciammo qualche sospensione riguardo ai fanciulli. Imperocchè poteva quivi proporsi un dubbio. — Se la religione non è socialmente obbligatoria a chi non l'abbraccia per sua volontaria elezione come sarà obbligatoria per quei tanti che da fanciulli se ne vanno imbevendo senza pure avvedersene? e parlando in ispecie del cristianesimo, quale obbligazione contrarrà il fanciullo, per cui al sacro fonte altri promettono ciò che egli neppur comprende? — La difficoltà ha qualche apparenza per coloro che vogliono alle loro teorie stiracchiar la natura, senza mirare ai fatti: ma per noi che tutta la filosofia riduciamo a contemplare i fatti, analizzarli e dedurne le conseguenze, per noi, dico, i fatti già contemplati chiariscono il dritto. Se egli è fatto evidente e continuo che in ogni materia il fanciullo per guida di sue volontarie operazioni, riceve dai parenti, dalle nutrici, dagli educatori le prime idee, e che con queste idee accettate in buona fede, ragionevolmente egli opera negli atti suoi volontari: se sarebbe non solo ridicolo, ma assurdo il pretendere che il fanciullo non operi ragionevolmente, finchè non avrà penetrate le cause intrinseche delle cose; molto più ridicolo sarebbe pretendere ch' egli non debba, accettar dal padre le idee, tanto più necessarie e pur più astruse, dell' onesto e del vero religioso. e con queste volontariamente operare. Ragionevole è dunque il legame ch' egli contrasse con la società, di vivere religiosamente, ma ragionevole a proporzione di quei principii che nei primi anni egli bevve dalla paterna istruzione, e di quell' autorità sacra da cui il padre veniva indettato. Se col crescere della intelligenza ei si avvedesse di evidente inganno orditogli dai maestri, codesti o ignoranti o ciurmatori non avrebbero più dritto all' ossequio strappatogli prima per tradimento e

tale era la condizione del giovanetto dalle ombre del gentilesimo convertito alla fede. Ma finchè egli non dimostra traditore e tradito quel padre da cui riceve le prime idee religiose, per le quali s' indusse, crescendo negli anni, a ratificar con progressiva adesione volontaria il dono fatto dai parenti alla fede, della sua intelligenza, allora appena albeggiante; egli è legato da quel dono che fu ragionevole e dalla propria ratifica, che fu di più volontaria, a non fallire alla promessa, e non isconvolger la società; ei trovasi nella circostanza medesima in cui si trova ogni altro che abbia in età matura abbracciata volontariamente la religione; e i suoi protesti della insufficienza di lume con cui l' abbracciò hanno quella forza medesima che i protesti di chi niega potersi uomo legare a non cangiar opinione, non sapendo se ragioni più forti non debbano esigere tale mutazione.

1568. Ma da questa breve digressione torniamo all' assunto principale, e conchiudiamo che il padre ha un dritto perpetuo a riverenza ed aiuto; ha diritto immutabile nell' ordine domestico ad obbedienza, finchè il figlio coabita; ha dritto decrescente ad ottenere interna adesione a proporzione che va crescendo nel figlio l' uso di ragione, ma questo ultimo diritto appena merita codesto nome, giacchè la forza dipende dalla debolezza che ha nel figlio la base di ogni dritto ch' è la ragione. Esso è piuttosto una forza spirituale adoperata giustamente dal padre e seguita spontaneamente dal figlio; provvisorio conforto somministrato dalla natura al fioco lume di ragion nascente, finchè questo non giunga a veder da sè. Ciò nondimeno dritto è veramente perchè dee piegare anche la ragione del figlio: l' esercizio per altro e del dritto paterno e del dovere filiale, si va attuando e confortando a grado a grado, come quella luce intellettuale che va crescendo nel figlio.

1569. Le quali osservazioni faranno comprendere che come è decrescente il diritto di educazione, così varia ne debba esser la forma: l' educazione del bambino si riduce a puro senso; quella del fanciullo debb'essere aiutata ancor dalle passioni; nel più adulto debbe appoggiarsi principalmente sulla ragione, sulla verità, sul diritto. Ma avvertasi che mai l' uomo, benchè perfettissimi sieno e società e individuo, mai non arriva ad esser puro spirito, e però mai non sarà propria di uomo un' educazione che pretenda formarlo soltanto per via di ragione: e viceversa, siccome mai non è puro senso, almeno dacchè comincia a favellare, giacchè la favella suppone essenzialmente le idee astratte; così ogni mezzo sensibile debb' essere diretto ad aprir le vie alla ragione, anche in quell' età che non è capace ancora di perfetta moralità.

Onde appariscono osservatori male accorti, sì coloro che pretenderebbero formare la gioventù senza mezzi di emulazione e di castigo, si coloro che adoprando tali mezzi atti a scuotere l' uom sensitivo, credono averlo educato, allorchè l' hanno scosso. L' educazione dee formare gli abiti di virtù, i quali sono propri della volontà, ossia della tendenza ragionevole: niuno individuo dunque può dirsi educato, come niun popolo può dirsi incivilito, finchè i mezzi di senso e di passione non giungono a formar l' abito di volere il bene onesto, vera perfezione dell' individuo e della società: per conseguenza non può dirsi nè vero educatore, nè retto legislatore chi pensa solo a scuotere, non pensa a dirizzare gli animi al bene.

E siccome, benchè più perfetto sia il popolo a misura che cammina più per

ragione che per passioni, pure sarebbe legislatore mal accorto colui che pretendesse sopprimere ogni mezzo sensibile, o che a popoli idioti e rozzi adattar volesse soltanto i mezzi più delicati e soavi: così, benchè sia da bramarsi che i giovanetti camminino a maturità per via di ragione anzi che di puro senso, pure mal accorto educatore è colui che, a chi non sente ragione, ricusa gli stimoli di onore e vitupero, a chi non sente onore risparmia i digiuni e la sferza. Senza fallo sono questi gli ultimi nè devono usarsi finchè altri possono: ma son mezzi anche questi, nè debbono escludersi quando son necessari; nè vengono esclusi da certuni se non o per mal intesa tenerezza o per errore che inverte l'ordine di causa ed effetto. Mi spiego: abbiam detto poc' anzi esser più perfetto il giovane che può educarsi con mezzi men materiali; — dunque, inferiscono costoro, escludere questi mezzi sarà più perfetta educazione. — Falso: educazione perfetta è quella che ottiene il fine coi mezzi più efficaci e soavi: se gli efficaci non sono soavi, è vizio nel modo; ma se i soavi non sono efficaci, è vizio nel fine. Or il maggior vizio d'una facoltà è il non tendere al suo fine; dunque massimo vizio è nell'educazione l'escludere i mezzi anche materiali, quando son necessari. Ma il male sta nell'amor proprio dei parenti ai quali sembra ridondar loro in disdoro il riconoscere nel figlio indole o restia per eredità, o incolta per incuria dei parenti: onde anche coloro che in astratto non vogliono escludere i mezzi più acerbi, non mai s'inducono a credere esser questi ai figli loro necessari in concreto.

1570. Dal fin qui detto potrà inferirsi qual esser debba la influenza della società pubblica nella privata educazione, poichè l'educazione privata è di competenza domestica, come obbietto precipuo della perpetuità del matrimonio; se la maggior società potrà aver diritto ad intromettersi nel regolarla, ciò sarà o per ordinarla al ben pubblico o per correggerne i disordini. La prima ragione non ha valore, giacchè ogni retta educazione tende per sè al ben pubblico ch'è l'ordine; onde non occorre ordinarla; anzi l'ordine stesso ricerca che ai parenti sia salvo, al par d'ogni altro, anche codesto diritto; diritto inalienabile perchè congiunto al dovere; diritto il meglio assicurato nella esecuzione, poichè affidato alla tenerezza paterna, e sanzionato nella coabitazione continua e nella total dipendenza spontanea del figlio.

Dunque la società pubblica non ha diritto ad arrogarsi, nello stato regolare della società la privata educazione. Arrogarsi dico: perchè l'aprire alla gioventù fonti sicuri di vero e di onesto, l'offrir a tal uopo ai parenti, assicurato da pubblica guarentigia, un aiutatore fedele, senza violentarli ad usarlo; questo non è arrogarsi l'educazione, ma offrir sussidio (CXL): ordinamento rettissimo di società che progredisce.

Nota autem CXL nuper iudicata est sequens.

DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE

Queste dottrine di natural diritto paterno nell'educazione dei figli possono, ma con qualche limitazione, applicarsi al privato insegnamento, il quale in certi paesi eterodossi viene vietato ai Cattolici senza verun riguardo alla libertà promessa, ed al natural diritto. È dunque pregio dell'opera esaminare analiticamente questa sì delicata questione. Essa può ridursi a tre quesiti: cioè

1.° Se ogni privato abbia diritto ad insegnare?

2.° Se i parenti abbiano diritto a fidargli i figli?

3.° Se lo stato abbia diritto ad escludere da ogni impiego chi non corre lo stadio dei pubblici studi. Esaminiamo il 1.°

Che vuol dire insegnare? Vuol dire comunicare la verità: or egli è chiaro che ogni uomo ha non solo il diritto a conoscerla, quando e quanto ella è per lui necessaria, ma anche in queste stesse proporzioni il dovere di comunicarla altrui. Ma per comunicarla è mestieri possederla: or la verità è come la moneta che può essere or buona or alterata; e per conseguenza può accadere che taluno crede possederne a dovizia, ma possegga realmente segni di valore alterati e fallaci.

In quella guisa dunque, che dove la società ha solo il diritto di coniar moneta, niuno può spacciarne se non assicurata dal conio pubblico; dov' è riconosciuta un' autorità sola infallibile, questa ha diritto di assicurare la sincerità dello insegnamento, in ordine al morale; e per conseguenza uno stato, che a tale autorità, come a depositario del Vero, siasi volontariamonte soggettato, avrà evidentemente il diritto di esigere che contro le dottrine di lei, niuno insegni nè in pubblico nè in privato.

Ma in quelle dottrine almeno ove questa autorità si dichiara da se stessa incompetente, nelle scienze spettanti l' ordine materiale, sarà egli libero l'umano ingegno ad insegnare ciò che pensa? Qui l' autorità politica non ha l' appoggio della spirituale infallibilità; ma qualor queste scienze si riducano alle conseguenze pratiche, ha nei buoni o tristi effetti una riprova della verità o falsità teorica, o per lo meno un fatto esterno dipendente in qualche modo da quelle dottrine. Se dunque in questo fatto esterno la società incontri alcun nocumento, l' autorità avrà diritto a difenderla, giacchè l' ordine esterno è di sua competenza. Nè giova qui vantar i diritti del Vero, perocchè oltre che il fatto mostrar può la falsità dei principii, l' autorità non arrogasi qui di definire il vero, ma di vero non necessario è un bene di ordine inferiore alla necessità di pubblica sicurezza; dunque egli dee cedere in tal caso alla pubblica autorità: la quale per altro abuserebbe di questo suo diritto, se senza giuste cagioni inceppasse la libertà dei sudditi. E questo può riguardare così le società credenti, come le discredenti.

Ma che direm noi di queste relativamente alle verità di ordine morale? Non riconoscendo esse autorità infallibile, é evidente che non possono accettare il vero se non nei primi principii, e in questi stessi con quante incertezze, se non si leghino a stazionaria immobilità! Il suddito all' opposto può insegnare un vero di ordine necessario e coll' appoggio d' infallibile autorità; nel quale caso l' insegnamento è per lui doveroso. In tal caso dunque una società che non crede, non può aver diritto a vietargli l' insegnamanto morale, il quale com' è dovere, così è diritto allora dell' individuo. Indarno opporrebbe ella i diritti di sociale autorità la sicurezza pubblica ecc.: la sociale autorità non ha diritto contro diritto: la sicurezza pubblica non può essere danneggiata per sè dal vero morale, giacchè altro essa non è che sicurezza dei diritti, dei quali il vero morale è primo principio.

Ma siane qual si voglia la causa, chiunque predica dottrine novelle, può con esse alterar l' aspetto delle relazioni sociali: dunque lo Stato si troverà esposto per tal dottrina a perpetui sconvolgimenti!

Sia pur verissimo; ma di chi n'è la colpa? del Vero che è base dell'ordine, o di chi perfidia a rifiutarlo? della natura mondiale, o di chi vuol cozzare con lei? Sì: sempre dovrà tremare uno Stato, finchè si ostina a recedere da quello scopo a cui natura lo guida nell' intento del Creatore; da quell' unità d' intelligenza, senza cui potrà forse per qualche tempo sussistere legata da materiali interessi una rozza società nascente; ma non più le ampie ed illuminate società moderne, ove le teorie corrono con logica imperterrita e rapidissima alle pratiche conseguenze ancor remotissime. Sì, ripetiamolo pure arditamente: la società nello stato presente non può sussistere se non o per unità d' intelletti, congiunti dal vero rivelato, o per violenza insuperabile di uno scettro ferreo.

Ed ecco, secondo natura, le relazioni tra il privato e la società rispetto all' insegnare; relazioni riconosciute col fatto e dalle società credenti; che nel privato insegnamento, vogliono sicurato l' insegnamento ortodosso; e dalle non credenti che promettono tutte (con qual sincerità?) libertà verace.

Ed ecco insieme la spiegazione d'un altro fatto che conferma le nostre teorie, voglio dire dell' imbarazzo di quei governi, ove si sono stabilite nelle costituzioni le basi di tal libertà colla indifferenza religiosa. Essi veggono nella libertà d' insegnamento una conseguenza inevitabile dei loro principii, e insieme una cagione certissima di lor rovina; e non trovando ove appoggiare il monopolio d' insegnamento, s' ingegnano di mantenerlo in pratica, condannandolo in teoria. Ma nell'odierna società codesta contraddizione può ella durare? E se non può durare, perchè non riconoscere candidamente la contraddizione dei principi professati, e l' impossibilità con essi della sociale esistenza? Perchè non piegarsi almeno alla necessità delle cose, se non si vuol cedere ad un Dio che parla? Perchè non appoggiarsi ad autorità infallibile, poichè senza questa è impossibile unir gl' intelletti in società.

E tanto basti intorno al diritto dei privati nell' insegnare: passiamo al 2.° quesito.

I parenti hanno eglino diritto di affidare a cui vogliono l' educazione ed istruzione dei figli loro? In privato non v' ha dubbio; purchè la persona cui li fidano abbia le condizioni richieste: nè qui può intervenire la pubblica autorità, se non si tratti di persona notoriamente malvagia o sospetta. Ma in pubblico . . . .

Qui si presenta la quistione. Qual debba dirsi pubblico insegnamento? Senza entrare adesso in troppe minuzie intorno alla pubblicità, potrà qui bastarci la idea che ne abbiam data, trattando del material progresso della società. Il primo grado di pubblica società, abbiam detto è l'unione di molte famiglie: dunque pubblico sarà l' insegnamento di pubblicità, almeno materiale, quando sarà diretto a molte famiglie, uscendo dai limiti della stretta parentela e domesticità.

Questo insegnamento materialmente pubblico, riveste caratteri alquanto diversi dal privato non meno che da quello cui dicemmo sussidio sociale, offerto a chi vuol approfittarsene. Differisce dal privato, perchè ha influenza pubblica, vale a dire si offre da sè, a formare lo spirito pubblico, a modellare sui principi medesimi il pensare di molte famiglie, ed anche di tutte, se tutte volessero dissetarsi a quel fonte; differisce dall' insegnamento sociale, perchè non è un sussidio dalla società offerto, ma solamente permesso.

Qui dunque la società acquista per la material pubblicità il diritto d' investigare gli andamenti, giacchè questi più non sono tutta la sola influenza della domestica autorità e nel recinto delle pareti domestiche, ma non va soggetta al dovere di assicurare colla propria autorità le dottrine, come lo assicura nell' insegnamento sociale: e però non ha il diritto che da tal dovere risulta di determinare sopra il labbro del maestro il formolario dottrinale. La società si troverà dunque rispetto a tali maestri nella stessa varietà di relazioni che abbiam notata, rispondendo al 1.° quesito: una società credente, parteciperà dall' infallibilità, a cui crede il diritto di vietar l'errore; una società incredula, non potrà addurre alcun titolo per limitare l' insegnamento morale, poichè questo dipende necessariamente da quella coscienza cui essa promettea libertà: la material pubblicità della scuola, non le darà rispetto ad essa se non quel diritto medesimo che le compete riguardo a qualunque altra adunanza numerosa, ove dalla diversità delle famiglie adunate, nasce una simile pubblicità materiale. Ella potrà dunque assicurarvi la quiete, la sanità, l' osservanza delle leggi ecc. come in una adunanza di ballo, o in una società assicuratrice: ma come qui non potrebbe pretendere di escludere questo o quell' individuo, perchè incapace di ballare e di amministrare, così non potrà nella scuola privata ingerirsi ad escludere, o maestri o scolari come inabili agli studi. È questa la natural conseguenza della libertà professata per teoria ed assicurata con promessa.

3.° Ma potrà ella almeno escludere dai pubblici impieghi chi non riceve da lei sola, nelle sue scuole sociali l' insegnamento! — Ecco il terzo quesito, la cui risposta, consegue dalle precedenti e però è diversa secondo che la società ammette o niega un' autorità infallibile. Imperocchè premettiamo come principio già dimostrato che la sociale autorità non può esigere dai parenti il sacrificio della coscienza loro e dei lor figli: e se non può esigerlo, non può punire chi lo rifiuta. Or l' escludere dagl' impieghi, chi ne sia per altro capace, egli è un vero castigo. Dunque una società che nega ogni autorità dottrinale, non può sbandir dagl' impieghi comuni i soggetti capaci, perchè non formati alla scuola sociale. E in verità qual può darsi più barbara tirannia delle coscienze, che dire ad un padre: « Vi ordiniamo di fidar la mente dei figli vostri a maestri che voi giudicate miscredenti, affinchè apprendano a deridere i vostri principi, a bestemmiare il vostro Dio, a calpestare la vostra autorità: vi ordiniamo di avventurare a certo naufragio, fra giovani che voi giudicate scostumati, l' innocenza di questi vostri pargoli, custodita finora da voi con gelosia sì sollecita, affinchè perdano coi sensi di pudore la sanità, l' onore, la coscienza: e se non v' indurrete a tradir sì barbamente i diritti vostri più sacri, gli affetti più cari, i più gravi interessi, i doveri più inviolabili, vi condanniamo a veder punito il figlio, avvilito il nome, annullata quasi totalmente per voi e per lui ogni influenza politica »? E pure codesto linguaggio tirannico vien parlato ad uomini civilmente liberi, e a nome della tolleranza filantropica. E chi sa, se taluno di codesti uomini liberi, strascinato dai falsi principi o dagl' interessi di fazione, non accetta il linguaggio, non bacia le catene, non immola a Moloch la vittima!

Ben diversa è la condizione di una società ove si ammette un' infallibile e però indipendente autorità spirituale. Qui si sa con certezza qual sia la dottrina da seguirsi; e però niuno può legalmente opporre la falsità dell' inse-

gnamento. Se dunque nel rimanente le scuole siano ben regolate, può talora riuscire opportuno, anzi necessario l' esigere come condizione agl' impieghi, l' esser formato sotto gli occhi della social vigilanza: e specialmente quando il proselitismo di opinioni socialmente riprovate, mette all' autorità ragionevol timore, che si sfuggano le pubbliche scuole per fomentare sensi antisociali.

Conchiudo dunque che una società ha diritto sempre a regolare quella parte dell' insegnamento materiale, che, uscito dai lari paterni, ha acquistato un carattere di pubblicità; in quanto il regolarlo è necessario onde gli associati non corran pericolo di material nocumento.

In quanto poi all' insegnamento morale, l' influenza sociale dipende dai principi socialmente abbracciati. Se la società riconosce socialmente un gerarca infallibile, ella ha diritto a moderar l'insegnamento semi-pubblico, benchè non sociale, in modo che non offenda il vero che ella può infallibilmente conoscere e deve autorevolmente difendere; può dunque adoperar mezzi che la rassicurino e sopra la dottrina dei maestri e sopra il riuscimento degli studianti; può, se sia necessario a tal uopo, in certi casi, anche escludere dagl' impieghi comuni gli allievi di scuole, che, non essendo pubbliche, potessero riuscirle ragionevolmente sospette.

Ma una società che non ha titolo ragionevole d' infallibilità, non può nè regolar le dottrine, nè eccettuar maestri, nè per conseguenza escludere dai comuni impieghi gli alunni di maestri non suoi E se pretende inceppar le coscienze co' suoi regolamenti, offende nel punto più delicato la libertà che promise.

Io non credo nel fin qui discorso essermi scostato gran fatto dalle idee che il Gioberti esprime in materia di pubblica istruzione. Dic' egli che « l' educazione affidata a soli ecclesiastici basta a far dei monaci, non basta a far dei cittadini. » E ne adduce in prova che: « il prete non ha e non può avere per la qualità del suo stato la perizia opportuna per fare l' eccellente padre di famiglia, il cittadino, il mercante, il milite, il magistrato, il principe, e addestrarlo ai negozi civili, ai maneggi pubblici, alla vita tumultuosa del mondo e dei campi ecc.

Quindi è che l' educazione indirizzata dai soli ecclesiastici, snerva bene spesso ed infiacchisce gli animi ecc. ».

Se queste osservazioni del Sig. Gioberti mirassero solo ad affermare che dopo la prima educazione dell' adolescenza che può darsi dagli ecclesiastici, i governi dovrebbero procacciarne altra opportuna agli adulti, per renderli più specialmente atti alle arti di pace e di guerra, non replicherei. E in vero non può negarsi che ogni stato abbisogna di certa sua educazione pratica speciale, che non può darsi se non dai periti nella rispettiva professione. Ma questo non può riguardare l' educazione degli anni primi; onde tre proposizioni mi sembrano doversi ammettere a dichiarazione delle dottrine sopraccitate; cioè 1ª codesta educazione speciale convenire agli adulti, non agli adolescenti; 2ª l' educazione degli adolescenti essere propriamente di diritto paterno o domestico; 3ª gli ecclesiastici potere, anche da sè soli, aiutarvi compiutamente i parenti; e l' influenza laicale detta dall' A. di civil sapienza, poter qui riuscire sommamente pericolosa. Le prove non farò che accennarle, perocchè mi sembrano agevoli a persuadere chi conosce la materia.

La 1a proposizione dipende dalla impossibilità di determinare le sorti di un giovane nella vita avvenire, e del danno che può recare l' invadere in tal maniera i diritti della Provvidenza. Se noi potessimo conoscerne appieno i disegni potremmo volgere l' educazione speciale a secondarli pienamente; ma ignorandoli pur troppo per l' impossibilità di conoscere appieno e il giovane e il mondo che lo aspetta, qual effetto produrrem noi coll' iniziarlo nelle facoltà speciali?

Schiava per lo più del sensibile, l' età giovanile si lascia strascinare soverchiamente a tutte quelle arti ove il senso trionfa; imbevuta poi di queste ed affezionatavi, difficilmente se ne vorrà distornare pei suggerimenti di ragione; e pur se si rivolgesse a cangiarle con disegni più seri, sarà tardo consiglio e difficile il contrarre nuove abitudini ed acquistare nuove cognizioni. Dee dunque l' educazione del giovanetto esser tale che non impedisca colle occupazioni speciali e geniali la formazione del carattere morale, e la flessibilità del giovane a qualunque stato vengagli imposto in appresso dall' andamento delle cose mondiali.

La 2a proposizione parmi evidente da quanto è detto nel testo; nè veggo come toglier si possa ai parenti la prima educazione senza offesa della natura. Onde son persuaso che il Gioberti, allorchè ne raccomanda la pubblicità, intende non già di stabilirla coattivamente, ma solo col migliorare le pubbliche istituzioni per modo che i parenti ne cerchino spontaneamente il sussidio in favor della prole.

E in fatti, se alla società fosse lecito restringere in tale articolo i diritti paterni, come mai la più perfetta delle società, tendente al fine spirituale, infallibile dell' insegnamento, santa nelle leggi, infallibile nell' estensione, avrebbe vietato di strappare a padrini infedeli i figli per condurli rigenerati a salvamento? Eppure così è: la Chiesa riprovò lo zelo malinteso di coloro che sottraevano ai parenti infedeli l' educazione dei figli: come dunque potrà concedersi alla società pubblica per bene temporale, ciò che venne ricusato perfino dalla società religiosa del bene spirituale ed eterno?

3.o Ma i parenti per sè, molte volte incapaci di educare, possono eglino sperare di trovar nell' educazione data da soli ecclesiastici gli elementi necessari a formare buoni cittadini? Colle limitazioni indicate poc' anzi rispondo che sì: ed a conferma di mia risposta osservo che gli elementi di educazione necessari a ben riuscire in ogni arte cittadinesca debbono appartenere o alla mente o al cuore o al corpo. Riguardo al corpo igiene e ginnastica, non sono certamente entità trascendentali, che debbano sfuggire o alla capacità o all' attenzione di educatori ecclesiastici. La mente viene educata o con le lettere o con le scienze o con le arti: or qual è di queste colture che possa dirsi straniera al Clero, almen nei primi elementi, giacchè gli elementi debbono infondersi nella prima educazione? forse nelle arti vorrà supporsi meno esercitato un ecclesiastico; ma è egli o difficile o inusitato l' adoprare a tal uopo sotto direzione ecclesiastica il sussidio dei laici? Parmi dunque che, salvo il tecnicismo pratico, men proprio dell' età giovanile, nulla manchi all' ecclesiastico per formar la mente.

La volontà poi chi mai potrà meglio formarla di colui che è per professione maestro d' ogni virtù? Ma l' ecclesiastico, sembra accennare l' A., non conosce

il mondo e però gli manca la perizia necessaria per fare il cittadino. Se conoscere il mondo significasse essere aggirato in quel vortice tenebroso di delitti e di sciagure che mondo suole appellarsi, vorrei trasmettere codesta proposizione, e concedere (nè però sarebbe vero) che niun ecclesiastico avesse sperimentato mai che sia vivere nel mondo. Ma se il rotear d' un turbine, meglio è conosciuto da chi ne sta fuori; se noi abbiam più chiara notizia del movimento degli astri che di quello della terra ove siamo; parmi evidente niun poter meglio conoscere il mondo che l' uom di Chiesa, il quale, fermo coll' un piè sopra la soglia immobile del santuario, tien l' altro piede sopra il tempestoso flutto, come l' angelo dell'Apocalisse.

Spieghiamoci senza allegorie. Che ci vuole per conoscere il mondo? Conoscere il pensare e il volere degli uomini, e le relazioni veraci di queste loro interne disposizioni coll' ordine, vero bene dell' uomo e della società. Questo vero bene è il punto fisso, è il fine a cui tutto dee coordinarsi; nè l' A. vorrà negare essere il Clero attissimo a ben conoscerlo. Il pensare poi e il volere degli uomini chi mai potrà conoscerlo schiettamente ed a fondo meglio di coloro a cui ciascuno manifesta nel tribunale di riconciliazione gli abissi più profondi della coscienza anche più perversa? Il laico vede ciò che apparisce in fronte, l' ecclesiastico, partecipe in certa guisa dell'occhio splendidissimo di Dio cui ministra, mira svelato e limpido il cuore stesso dell' uomo; intuetur cor. Non solo dunque non manca all' ecclesiastico la perizia del mondo, ma egli solo può averla sicura e veridica nei suoi elementi; il laico indovina quel che può, l'ecclesiastico vede ciò che c' è.

Dalle quali osservazioni conseguita naturalmente la seconda parte della mia 3.ª proposizione, cioè pericolosissima dover riuscire nella prima educazione la influenza laicale. Perocchè essendo quasi impossibile, come dimostra pure l'A., viver nel mondo e non inebriarsi di quel suo spirito tutto senso e leggerezza, sarà quasi impossibile che l' influenza laicale non intrometta nella gioventù quello spirito appunto che l' educazione dovrebbe accuratamente sbandire, e non ne incroci per conseguenza gli effetti più salutari. (E così non fosse soggetto di continua esperienza e di continuo dolore pei savi educatori il danno morale che da tali influenze infallibilmente germoglia!) Or chi non vede doversi ammettere come sistematicamente necessaria al ben sociale un' influenza che nello stato dell'uomo corrotto è quasi inevitabilmente metafisica? Ancorchè dunque al Clero tanto mancasse realmente la perizia del mondo, quanto egli solo può veracemente possederla; pure se il sommo dell' importanza per l' educazione sta nel religioso e nel morale, e se nella religiosa e morale educazione dee riuscire non solo incompossibile, ma ancor malefica la influenza laicale; questa dovrebbe sempre necessarimente escludersi a costo ancora di altri secondari emolumenti, se pur dovessero sacrificarsi.

Ma no: la Chiesa, l' educatrice del mondo, non sarà mai sì inetta all' alta impresa a cui fu spedita dal cielo, che debba implorar l' aiuto di quel mondo appunto ch'ella venne ad istruire; e se la società e la religione hanno ugualmente bisogno d' ingagliardire gli uomini, non è però uguale in tale impresa la parte di entrambe. La religione dee piantarne le basi e per bene assicurarle ella dee cercarne il terren vergine degli animi immacolati, e dar tempo ai commenti di consolidarsi lungi da urti e da tempeste. Su queste basi rasset-

tate e consolidate, venga poi a fabbricare la società, e le troverà sempre atte ad ogni grande edifizio, giacchè non vi ha edifizio sociale che erger non debbasi sopra le basi di religione e di probità, piantate per man della Chiesa. Che se talora l' educazione ecclesiastica, quella che nell' antica Chiesa allevò i Matatia e i Maccabei, nella nuova le legioni di martiri e di crociati; quella che formò i Suger e i Ximenes; quella che organizzò la civiltà europea e la società universale : se, dico, questa educazione data dai preti, diverrá fiacca e lascerá i suoi deboli parti esposti a divenir preda del mondo: e se questa sciagura sarà effetto veramente della fiacchezza, nell'educatore, anziché della perversità dei mondo e della corruzione del cuore umano ; allora invece di accusare come difettosi gli strumenti, invece di ricorrere al mondo, perchè istruisca i preti, ricorriamo più presto alla Chiesa unica fonte di loro spirito come di lor missione, nè dubitiamo che venga meno in lei quell' energia che spinse anche ai dì nostri l' erede di Pietro a morir nelle carceri, a lottare cogli usurpatori; a sfidar i ribelli.

Prima per altro di accusare i preti, anche solo in individuo, di fiacchezza e di lentezza, ricordiamoci che, ministri della Chiesa, essi debbono seguirne lo spirito : che lo spirito della Chiesa è spirito d' ordine e di giustizia che non cede al secolo: che in un secolo ove il sommo dei mali nella società è l' anarchia popolaresca, la Chiesa dovette principalmente insistere sopra i doveri di social dipendenza. Le quali riflessioni dell'A. che giustificano gli andamenti riguardosi della Chiesa nelle relazioni politiche ben potriano molte volte purgare i preti della taccia di fiacchezza nella educazione domestica o pubblica.

APPENDIX III.

EX TAPARELLI

(SAGGIO TEORET. DI DIRITTO NAT.)

I.

Sul potere deliberativo e legislativo della Chiesa

Darò, ait Taparelli nota CXXVII, qui un cenno cui apparisca una qualche parte di questo portentoso organismo del potere deliberativo nella Chiesa. Il problema proposto (parliamo all' umana) al Legislatore di essa era questo — *In una società d' uomini destinata a stendersi per tutto l' universo, organizzare un corpo ossia una facoltà conoscitrice* (1017 segg.), *e organizzarla in tal forma che e voglia e possa conoscere il vero in ordine sì al suo fine* (1066) *ultimo* (di regolar le menti verso la felicità eterna secondo gli insegnamenti di Cristo) *sì al suo fine* (1069) *prossimo* (cioè di ordinar secondo tale intento esternamente i fedeli) *sì ai bisogni presenti dei suoi* (nel materiale, nello spirituale e nella difesa di entrambi); *e per tal fine congiungervi il sommo della obbedienza nel dipendere col sommo della libertà nel rimostrare* (1063 s.) — a risolvere questo problema fu mestieri formare e le persone e il loro organismo ossia le mutue lor relazioni (1061 seg).

Come dovean formarsi le persone ? *illuminate* e *rette* sì che non traviassero nè per ignoranza nè per passione 1167). Quali mezzi adoprò a tal uopo il Legislatore della Chiesa? Esaminiamoli sì nelle leggi che stabilì Egli stesso, sì in quelle che ne dedusse la Chiesa medesima Non parlo ora di quei personaggi meravigliosi che colla immediata sua cura Egli educò alla grande impresa: parlo della *educazione politica* stabilita *nella costituzione* stessa della Chiesa, effetto *naturale* delle relazioni sociali, non della probità o del valore *personale* dello educatore o degli educati (1061). A far sì che il corpo *deliberante* fosse illuminato; lo scelse nella classe di quei medesimi che dovean essere banditori del vero: chi deve insegnarlo, e a tutti i popoli, e a fronte di nemici numerosi e dotti, è *naturalmente* necessitato a profondi studi. E perciò ingegno e studio non si trasmettono (547) per retaggio , a tôrre il pericolo che la rappresentanza sociale divenendo ereditaria perdesse la capacità, vi appose per condizione il celibato. Ma lo studio dà *teorie*, e per conoscere gli interessi sociali vi vuol *pratica* : fu dunque attribuita la deliberazione sociale precipuamente a coloro che per l' ufficio episcopale sono incaricati e della direzione delle coscienze e del *governo* degli affari. Ed affinchè gli interessi di *tutte* le classi avessero qualche rappresentante, a *tutte* le classi fu aperto l'adito della *eligibilità* (essendo a tutti i capaci *accessibile* lo stato ecclesiastico) ed a tutti i rappresentanti commessa specialmente la cura degli infelici.

Il Sovrano, eletto dal corpo di questi pubblici rappresentanti, partecipa a tutte queste doti di mente illuminata nel conoscere, e praticà nell' operare: talchè rari sono tra i pontefici coloro che per lumi e capacita non risplendano, come son rari fra gli altri principi quei che portano a buon dritto il nome di *dotti*.

Dovea poi formarsi proporzionata ai lumi la probità; ed a tal uopo conveniva attribuire le passioni più vive, e più anti-sociali. La prima di queste è *l'interesse* che nasce principalmente o dal lusso dell' individuo o dalle necessità di famiglia: convenne dunque anche per questo il celibato, sì efficace a diminuire il bisogno presente e l' ansietà pel futuro. La professione poi di una vita solitaria, studiosa, religiosa, le leggi suntuarie (757) della Chiesa, opposte al fasto, ai divertimenti, alla mondanità degli ecclesiastici, la incapacità di testare intorno ai beni di chiesa, la pompa degli arredi sacri indipendente dalle persone che vi figurano, e mille altri provvedimenti consimili tendono *naturalmeate* a produrre il disinteresse per via di sociale ordinamento, senza parlare adesso della educazione ecclesiastica e religiosa, della *opinione* che condanna l'ecclesiastico *arricchito*, della *ispezione* gerarchica vegliante sulla esecuzion delle leggi ec. *Rendono* io dissi; perché l'ottener *costantemente* il suo fine non è di società terrena, l' apice della cui perfezione consiste nel tendere (310) *costantemente* per ottenere *ordinariamente*. E che le leggi ecclesiastiche ottengono ordinariamente dai suoi ministri una probità non ordinaria, e tanto maggiore quanto maggiore influenza essi hanno nel pubblico reggimento; chi non è prevenuto non può negarlo. Paragonate negli stati sacro e profano, sovrano con sovrani, ministri con ministri, ufficiali con ufficiali e vedrete quanto fiorisca più sincera la virtù nella gerarchia che negli altri governi. Io farò solo una osservazione: i difetti anche più ordinarî che di uom di toga o di spada appena si osservano, basta ad infamare un membro della gerarchia: e per fermarsi anche sol nel supremo, il difetto più censurato nei Papi, il *nepotismo*, sarebbe tenuto per virtù domestica in ogni altro Sovrano. Dee dunque essere assai superiore alle altre una società governante, cui la virtù ordinaria viene imputata a difetto (1142); ma ciò dimostra soltanto la fiacchezza della materia a cui sono applicate le forme organiche, non toglie che, relativamente alle altre organizzazioni sociali, questa non presenti un modello inarrivabile. Dirà forse il cattolico che qui opera internamente la grazia, ed è verissimo: ma questa lavora a perfezionar la natura: non la distrugge. Dunque convien dire che renda perfetta la macchina nell' atto che vi infonde il vigore. Il miscredente poi che non creda alla grazia, come spiegherà questo fenomeno di una società, il cui governo congiunge da 18 secoli il *massimo* dei lumi e della rettitudine che mai siasi ravvisato nella *totalità* di qualsivoglia altra società *contemporanea*, senza confessare che le sue istituzioni organiche hanno un germe di superiorità cui niun altra potè fin oggi imitare?

E tanto basti sulla influenza dell' organismo nel formar le persone. Queste formate, doveano disporsi in tali relazioni vicendevoli fra loro e colla moltitudine, che si potessero conoscere nel triplice ordine i bisogni, e li rappresentassero fedelmente senza turbarne la tranquillità (1071). Che le persone di Chiesa possano conoscere per minuto e i bisogni morali, e materiali dei fedeli, e gli assalti cui vanno esposti, è cosa sì evidente che lungi dal dimostrarla,

è anzi mestiere difenderle dalla taccia di troppo immischiarvisi, e di mettere tosto il campo a romore, se taluno minacci novità. Tratte dal seno della moltitudine e viventi fra lei, esse hanno con questa interessi comuni nè possono quasi mai investirsi talmente di spirito e di interessi sacri, che più non sappiano e non sentano ciò che accade al di fuori. A queste notizie esterne congiungendo le confidenze più intime del foro interno, hanno necessariamente la massima cognizione che aver si possa di tutti i bisogni per via di *ispezione*.

Ma li rappresenteran fedelmente? e rappresentandoli saranno uditi? La efficacia in tal funzione dipende precipualmente dalla coscienza e dalla lotta degli interessi. Questi possono riguardarsi e nella moltitudine e nei ministri e nel Sovrano. La moltitudine se cessa di credere abbandonerà ministri e Sovrano al vilipendio e alla miseria: è dunque interesse dei gerarchi che ella creda. Ma mentre si sforzano ad avvivarne la fede, vi formano un popolo di censori della propria condotta dai quali verranno destati se addormentatosi trascurassero alcuna di lor funzioni. La santità del clero *è dunque naturale* interesse d' un popolo che creda, che il popolo *creda è natural* interesse del Clero.

I ministri sono or più or meno sublimi nell' ordine gerarchico: gl' inferiori partecipano piuttosto agl' interessi piuttosto della moltitudine che quelli della gerarchia: sono dunque interessati *naturalmente* a rappresentar democraticamente ovunque la coscienza lo permetta e molto più ove lo voglia. Oseranno dunque e tanto più oseranno quanto meno i loro interessi temporali dipendono dai superiori spirituali: ma saranno ascoltati? La gerarchia superiore l' Episcopato non é concentrato in una capitale come i Grandi in una corte: ma sparso per tutto il corpo cattolico partecipa assai più alle influenze comuni che alle centrali: egli dunque (permettetemi questo paragone di un ordine santissimo e tutto sacro con una classe puramente politica: *paragonare* non vuol dire *uguagliare)* egli è in certa guisa come i Baroni del medioevo, un argine agli eccessi del potere e nel tempo stesso un mezzo al suo esercizio. — Ma dunque mancar lor presto a subordinazione al Gerarca supremo se Esso non li sottrae all' influenza del principio democratico. — Mai no: se l'interesse locale impedisce la servilità dell' episcopato in faccia al suo Capo, la unione col Capo è per i Vescovi condizione essenziale di *esistenza*: è dunque interesse del Vescovo stringersi all' autorità cattolica se non vuol perdere la esistenza gerarchica, giacchè egli sa che col farsi scismatico nulla potrebbe più sul gregge cattolico. Lo stesso interesse dunque che lo costringe a rappresentar in favore del suo popolo, lo costringe insieme a riverire il suo Capo. — Ma questo ad immense distanze dai popoli fedeli sarà ridotto a nulla voler ne udirne se non per organo del clero nazionale: se dunque un interesse nazionale cozzi col bene comune verrà tradito dagli organi stessi della politica sua cognizione. — Facciano pure se volete codesta ipotesi ingiuriosa all' Episcopato cattolico e quelle alte virtù che ognor lo distinguono, ed impossibile nel molteplice intreccio di tante comunicazioni: ma il Capo della Chiesa non ha egli a suo servigio immediato oltre i vescovi con cui comunica il potere, numeroso corpo di mistristri la cui esistenza isolata dal mondo ne forma famiglie separate, aventi per conseguenza interessi in grande parte distinti ed indipendenti dal Clero nazionale? Interessi che *centralizzati* nella capitale del cattolicismo tengono in

perpetuo corso le comunicazioni indipendenti delle varie nazioni; ne possono cospirare a danno della unità cattolica senza perder se stessi. Congiunti dunque nell' interesse unico di sostenere la verità e la onestà, i due ordini del Clero Secolare e Regolare si troverebbero tosto divisi, se traviando dal fine pretendessero spargere errore o macchinare scisma.

Congiungete insieme la lotta di tanti interessi e dei popoli e dei ministri secondari e dei primari, con tanti mezzi che l' onestà, la fede, la coscienza aggiungono all' operar della Chiesa, e vedrete quanto efficace debba esserne l' organismo politico al *rappresentare*, e rappresentar *viridicamente* e rappresentar *pacificamente:* che sono le condizioni necessarie ad ottima organizzazione di un corpo deliberativo. La perfezione di tale organismo è si portentosa che meritò dal Bentham il tributo di una confessione, la quale benchè sul suo labbro si trasformi in bestemmia pure non lascia di essere all' organizzazione della Chiesa, considerata solo con occhio politico, sommamente onorevole. La gerarchia, dice egli, è essenzialmente cospiratrice che in lingua cristiana val quanto dire esserne tale l' organizzazione che ella non può non avere unità. Se non che la sua chiesa anglicana separatasi dal corpo vivente non ha che il cadavere di tale unità, penetrato ormai solo dalle materiali forze dell' interesse: ed ecco perchè dopo sol due secoli già minaccia dissoluzione e putredine, mentre il corpo cattolico vive dopo 18 secoli sempre più robusto ed attivo.

La *cognizione* adunque nella Chiesa una *verità*, una *libertà*, una *subordinazione* mirabile in forza della costituzione di questa portentosa società; mirabile per l' efficacia che ella ha nel formare le persone, mirabile pel sistema d' interesse diversi combinati ad ottenere il fine di *verace*, *libera*, *modesta* rappresentanza. Il che quanto apparirebbe più evidente se prendessimo ad osservare l' operar della Chiesa *deliberante* nelle tante forme di riunioni che essa adopera, *quando è libera a governarsi.* Nei sinodi diocesani e provinciali e nazionali ed economici; nelle tante forme di *ispezioni* per via dei Pastori ordinari e dei legati straordinari; nei tanti legami di pie associazioni di congregazioni !... Ma dove avremmo tempo se prendessimo a *trattare*, mentre abbiamo proposto di non piú che saggiare.

Questa perfezione della facoltà *conoscitrice* dovea naturalmente perfezionare anche la legislatrice; onde non è meraviglia che tanti elogi si leggano della legislazione della Chiesa presso autori i meno ortodossi.

ALLEGATA

CONSTITUTIO DOGMATICA

DE FIDE CATHOLICA

Edita in sessione tertia

SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI

Pius episcopus, servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam.

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Jesus Christus, ad Patrem cœlestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi futurum se esse promisit. Quare dilectæ Sponsæ præsto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Hæc vero salutaris ejus providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis œcumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita, uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiæ et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc præterea arctior membrorum cum visibili capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosæ multiplicatæ familiæ, aliaque christianæ pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen hæc aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime œcumenicam Synodum divina clementia Ecclesiæ largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod ejusdem sacro-

sanctæ Synodi, apud permultos, vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, hæreses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, rejecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cujusvis judicio permitterentur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quæ antea christianæ doctrinæ unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagate illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quæ religioni christianæ utpote supernaturali instituto, per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, meræ quod vocant rationis vel naturæ regnum stabiliatur. Relicta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut iam ipsam rationalem naturam, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae, Ecclesiæ filiis a via verae pietatis aberrarent, in tisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam, perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intimo Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere, parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quæ sanat omnia, testanda et prædicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, amodo et usque in sempiternum (1).

Nos itaque, inhærentes Prædecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrina reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et iudicantibus universi orbis Episcopis, in hanc œcumenicam Synodum, auctoritate Nostra, in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuino expositum accepimus, ex ac Petri Cathedra in conspectu omnium, salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

(1) Is LIX, 21.

CAPUT I.

DE DEO, RERUM OMNIUM CREATORE.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est, re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritus et corpore constitutam (1).

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (2). Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus (3), ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

CAPUT II.

DE REVELATIONE.

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine, e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur (4): attamen placuisse ejus sapientiae et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis, olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio (5).

Hic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea quae, in rebus divinis, humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore, cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non

(1) Conc. Later IV, c. I. *Firmiter.*
(2) Sap. VIII, 1.
(3) Cf Hebr. IV, 13.
(4) Rom. I, 20.
(5) Hebr I, 1-2.

vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum (1).

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt (2). Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu Sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari.

CAPUT III.

DE FIDE.

Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (3).

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et

(1) Cor. II, 9.
(2) I, Conc. Trid., sess. IV, Decr. de Can. Script.
(3) Hebr. XI, 1.

de Apostolis legimus: Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis (1). Et rursum scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco (2).

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi coecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati (3). Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tanquam custos et magistra verbi revelati, ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes (4), et ad se invitet eos qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabilem lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur. Quocirca minime par est condictio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum

(1) Marc. XVI, 20.
(2) 2 Petr. I, 19.
(3) Syn. Araus., II, can. 7.
(4) Is. XI, 12.

in lumine, tantam ne negligamus salutem; sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem

CAPUT IV.

DE FIDE ET RATIONE

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae Catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria, in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Jesum Christum facta est (1), pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei (2). Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus, et prudentibus, et revelavit ea parvulis (3).

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu, inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem (4).

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem, veritati illuminatae fidei contrariam, omnino falsam esse definimus (5). Porro Ecclesia, quae, una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi

(1) Joan. I, 17.
(2) I Cor. II, 7-9.
(3) Matth. XI, 28.
(4) II Cor. V, 7.
(5) Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis*.

nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam (1). Quapropter omnes christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus, potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo. scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est, humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum, Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda: Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia (2).

I.

CANONES.

De Deo, rerum omnium Creatore.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eamdemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas, tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

(1) Coloss. II, 8.
(2) Vinc. Lu. Common., n. 28.

Aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

Aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas.

Aut Deum dixerit voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

Aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II.

De revelatione.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis Sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III.

De Fide.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV.

De fide et ratione.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2 Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, nec non ejusdem Dei et Salvatoris Nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam, studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus servandi etiam Constitutiones, et Decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesimo quarto Aprilis, Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

Ita est

JOSEPHUS, Episcopus s. Hippolyti,
Secretarius Concilii Vaticani.

CONSTITUTIO DOGMATICA PRIMA

DE ECCLESIA CHRISTI

Edita in sessione quarta

SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI

Pius episcopus, servus servorum Dei, sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam.

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt, (1). Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit sicut ipse missus erat a Patre; ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum extrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret (2). Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

DE APOSTOLICI PRIMATUS IN BEATO PETRO INSTITUTIONE.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro

(1) Cf. Joan. XVII, 1, 20 et seq.
(2) S. Leo. M. serm. IV (ad. III), cap. 2, in diem Natalis sm.

Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat: Tu vocaberis Cephas (1), postquam ille suam edidit confessionem inquiens: Tu es Christus, Filius Dei vivi, solemnibus his verbis alloculus est Dominus: Beatus es, Simon Bar-Jona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (2). Atque uni Simoni Petro contulit, Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens: Pasce agnos meos: Pasce oves meas (3). Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis, sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eumdem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

CAPUT II.

DE PERPETUITATE PRIMATUS BEATI PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS.

Quod autem in beato apostolo Petro, princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, Episcopis Sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet (4). Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit (5).

(1) Joan. I, 42.
(2) Math. XVI, 16-19.
(3) Joan. XXI 15-17.
(4) Cf. Ephesim Concilii Act. III.
(5) S. Leo M. serm. III (al II), cap. 3.

Hac de causa ad Romanam Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis jura in omnes dimanant tanquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent (1).

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeant perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinarie ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur, ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur (2).

(1) S. Iren. Adv. haer. I, III, c. 3, et Conc. Aquilei. a. 381, inter epp. S. Ambros., ep. XI.
(2) Ep. ad Eulos. Alexandrin., l. VIII, ep. XXX.

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praecst, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium (1), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri (2), Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio (3). Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad Oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tamquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque Oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti; majorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo

(1) Pii PP. VI Breve « Super soliditate » d. 28 Nov 1786.
(2) Concil. Oecum. Lugdun. II.
(3) Ep. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas (1). Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, Verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam Ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (2). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adjutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelesti doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris effica-

(1) Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Adriano II, Patribus Concilii Oecumenici VIII. Constantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est.

(2) Cf. Bern. Epist. 190.

cia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritate obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava julii, Pontificatus nostri anno vigesimo quinto.

Ita est.

IOSEPHIUS
EPISCOPUS S. HIPPOLYTI
Secretarius Concilii Vaticani.

II. Ex actis Innocentii Papae XI.

Breve Paternae charitati die XI aprilis 1682 ad conventum cleri Gallicani ab Innocentio Papa XI directum « Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis etc... Paternae charitati, qua charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum regem christianissimum et Ecclesias vestras, vos ipsos, et universum istud regnum amplectimur, permolestum accidit ac plane acerbum cognoscere ex vestris litteris, die tertia Februarii ad nos datis, Episcopis clerumque Galliae, qui corona olim et gaudium erant Apostolicae Sedis, ita se erga illam in praesens gerere, ut cogamur multis cum lacrymis usupare propheticum illud: *Filii matris meae pugnaverunt adversum me.* Quamquam adversum vos ipsos pugnatis, dum nobis in ea causa resistitis, in qua vestrarum Ecclesiarum salus ac libertas agitur, et in qua nos pro viribus et dignitate episcopali in isto regno tuenda, ab aliquibus ordinis vestri piis ac fortibus viris appellati absque mora surrexi-mus, et jam pridem in gradu stamus nullas privatas nostras rationes secuti sed debitae Ecclesiis omnibus sollicitudini et intimo amori erga vos nostro satisfacturi.

« Nihil sane laetum et vestris omnibus dignum eas litteras continere in ipso eorum limine intelleximus: nam praeter ea quae de norma in co-

mitiis convocandis peragendisque servata afferebantur, animadvertimus *eos ordini a metu vestro, quo suasore numquam sacerdotes Dei esse solent in arduu et excelsa pro religione et ecclesiastica libertate vel aggrediendo fortes vel perficiendo constantes*. Quem quidem metum falso judicavistis posse vos in sinum nostrum effundere. In sinu enim nostro hospitari perpetuo debet charitas Christi, quae foras mittit et longe arcet a se timorem. Qua charitate erga vos regnumque Galliae paternum cor nostrum flagrare, multis jam ac magnis experimentis cognosci potuit, quae hic referre non est necesse. Si quid est autem in quo bene merita de vobis sit charitas nostra id esse imprimis putamus hoc ipsum regaliae negotium; ex quo si serio res perpendantur, omnis ordinis vestri dignitas atque authoritas pendent. Timuistis ergo ubi non erat timor. Id unum timendum vobis erat ne apud Deum hominesque redargui rite possetis, loco atque honoris vestro et pastoralis officii debito defuisse. Memoria vobis repetenda erant quae antiqui illi sanctissimi praesules, quos quamplurimi postea qualibet aetate sunt imitati episcopalis, constantiae ac fortitudinis exempla in hujusmodi casibus ad vestram eruditionem ediderunt. Intuendae imagines praedecessorum vestrorum, non solum qui patrum sed qui nostra quoque memoria floruerunt; et qui Ivonis Carnotensis dicta laudatis, debuistis etiam facta cum res posceret, imitari. Nostis quantum is fecerit passusque sit in turbulenta illa et periculosae contentione inter Urbanum Pontificem et Philippum regem; muneris sui esse arbitratus contra regiam indignationem stare, bonis spoliari, carceres et exilia perferre, deserentibus aliis causam meliorem. Officii vestri erat Sedis Apostolicae authoritati vos adjungere, et pastorali pectore, humilitate sacerdotali, causam Ecclesiarum vestrarum apud regem agere, eius conscientiam de tota re instruendo, etiam cum periculo regium in vos animum irritandi, ut possetis in posterum sine rubore in quotidiana psalmodia Deum alloquentes Davidica verba proferre: Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum et non confundebar. Quanto magis id vobis faciendum fuit tam perspecta et explorata optimi Principis justitia et pietate, quem singulari pietate Episcopos audire Ecclesiis favere, et episcopalem potestatem intemeratam velle vos ipsi scribitis » et nos magna cum voluptate legimus in vestris litteris. Non dubitamus, si stetissetis coram rege pro causae tam justae defensione, neque defutura vobis verba quae loqueremini, neque regi cor docile quo vestris annueret postulatis. Nunc cum muneris vestri et regiae aequitatis quodammodo obliti in tanti momenti negotio silentium tenueritis non videmus quo probabili fundamento significetis, vos ad ita agendum adductos, quod in controversia victi sitis, quod causa cecidistis. Quomodo cecidit, qui non stebit? Ecquis vestrum tam gravem, tam justam causam, tam sacrosanctam curavit apud regem? Cum tamen praedecessores vestri in simili periculo constitutam non semel apud superiorem Galliae, reges, imo apud hunc ipsum libera voce defenderint, victoresque a regio conspectu decesserint relatis etiam ab aequissimo rege praemiis pastoralis officii strenue impleti? Ecquis vestrum in arenam descendit, ut opponeret murum pro domo Israel? Quis ausus est invidiae se offerre? Quis vel vocem unam emisit memorem pristinae libertatis? Clamaverunt interim, sicuti scribitis, et qui-

dem in mala causa pro regis jure clamaverunt regis administri, cum vos in optima pro Christi honore sileretis. Neque illa solidiora quod reddituri nobis rationem, seu verius excusationem allaturi, rerum in hujusmodis comitiis per vos actarum, exaggeratis periculum ne sacerdotium et imperium inter se collidantur, et mala, quae exinde in Ecclesiam et in rempublicam consequi possent: proinde existimasse vos ad officium vestrum pertinere aliquam inire rationem tollendi de medio gliscentis dissidii; nullam vero apparuisse commodiorem remedio a Patribus judicato, utili condescensione canones temperandi pro temporum necessitate, ubi neque fidei veritas, neque morum honestas periclitetur, deberi ab ordine vestro deberi a Gallicana imo ab universali Ecclesia plurimum regi, tam praeclare de catholica religione merito, et in dies magis mereri cupienti: propterea vos jure vestro decedentes illud in regem contulisse. *Omittimus hic commemorare* quae significastis de appellato a vobis saeculari magistratu, a quo vici decesseritis; cupimus enim hujus facti memoriam aboleri et volumus eatvos verba litteris vestris expungere, ne in actis cleri Gallicani resideant ad dedecus vestri nominis sempiternum. Quae de Innocentio III, Benedicto XII, Bonifacio VIII in vestram defensionem adductis, non defuere qui doctis litteris ostenderint, quam frivola atque extranea sint causae; et magis notum est, quam ut opus sit commemorare, quo zelo, qua constantia eximii illi Pontifices Ecclesiae libertatem defenderint adversus saeculares potestates, tantum abest ut exempla eorum possint errori vestro suffragari. Caeterum ultro admittimus et laudamus consilium relaxandi canonum disciplinam pro temporum necessitate ubi fieri id posiit sine fidei et morum dispendio. Imo addimus cum Augustino toleranda aliquando pro bono unitatis, qua pro bono aequitatis odio habenda sunt, neque eradicanda zizania, ubi periculum sit, ne simul et triticum eradicetur. Id ita tamen accipi oportet ut in aliquo tantum peculiari casu, et ad tempus et ubi necessitas urget licitum sit; sicuti factum nst in Ecclesia cum Arianos et Donatistas Episcopos, ejurato errore, suis Ecclesiis restituit ut populos qui secuti eos fuerant in officio continerent. Aliud est ubi disciplina Ecclesiae per universi amplissimi regni ambitum sine temporis termino, et manifesto periculo ne exemplum latius manet, labefactatur imo evertitur ipsius disciplinae et hierarchiae ecclesiasticae fundamentum, sicuti evenire necesse est, si quae a rege christianissimo in negotio regaliae nuper acta sunt conniventibus, imo etiam consentientibus vobis, contra notam jam vobis in eam rem mentem nostram et contra ipsam juris jurandi religionem (quo vos Deo Romanae vestrisque Ecclesiis obligastis, cum episcopali charactere imbueremini) haec executioni mandari, et malum invalescere diutius differendo permitteretur; ac non ea nos, pro tradita divinibus humilitati nostrae suprema in universam Ecclesiam potestate, solemni more praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, improbaremus. Cum praesertim per abusum regaliae non solum everti disciplinam Ecclesiae res ipsa doceat, sed etiam fidei ipsius integritatem in discrimen vocari facile intelligamus ex ipsis regiorum decretorum verbis, quae jus conferendi beneficia regi vindicant, non tamquam profluens ex aliqua Ecclesiae concessione, sed tamquam ingenitum regiae coronae.

« *Illam vero partem litterarum vestrarum non sine animi horrore legere potuimus, in qua dicitur vos jure vestro decedentes illud in regem contulisse; quasi Ecclesiarum quae curae vestrae creditae sunt, essetis arbitri, non custodes; et quasi Ecclesiae ipsae et spiritualia earum jura possent sub potestatis saecularis jugum mitti ab Episcopis qui se pro earum libertate in servitutem dare deberent. Vos sane ipsi hanc veritatem agnoscitis et confessi estis, dum alibi pronuntiastis, jus regaliae servitutem quamdam esse, quae in eis praesertim quae spectant beneficiorum collationem imponi non potest nisi Ecclesia concedente, vel saltem consentiente. Quo jure vos ergo jus illud in regem contulistis? Cumque sacri canones distrahi vetent jura Ecclesiarum quomodo vos distrahere in animum induxistis, quasi eorundem canonum auctoritati derogare liceat vobis?* Revocate in memoriam quae inclytus ille Claravallensis Abbas, non Gallicanae modo sed universalis Ecclesiae lumen a vobis jure merito nuncupatus, Eugenium Pontificem officii qui admonens reliquit scripta praeclare: meminisset se esse cui claves traditae, cui oves creditae sunt; esse quidem et alios coeli janitores, et gregum pastores, sed cum habeant illi assignatos greges singuli singulos, ipsi universos creditos; unicum nec modo ovium, sed et pastorum Eugenium esse pastorem; ideoque juxta canonum statuta alios Episcopos vocatos fuisse in partem sollicitudinis, ipsum in plenitudinem potestatis. Ex quibus verbis quantum vos admoneri par est de obsequio et obedientia quam habetis huic sanctae Sedi (cui nos Deo authore quamquam immeriti praesidemus) tantumdem Pastoralis nostra sollicitudo excitatur, ad inchoandam tandem aliquando in hoc negotio (quam nimia fortasse longanimitas nostra, dum poenitentiae spatium damus hactenus distulit) apostolici muneris executionem.

« Quamobrem per praesentes litteras, tradita nobis ab omnipotente Deo authoritate, improbamus, rescindimus et cassamus, quae in istis vestris comitiis acta sunt in negotio regaliae cum omnibus inde secutis et quae in posterum attentari contingat; eaque perpetuo irrita et inania declaramus; quamvis cum sint ipsa per se manifeste nulla, captione et declaratione hujusmodi non egerent. Speramus attamen vos quoque ipsos se melius considerata, celeri retractatione consulturos conscientiae vestrae et cleri Gallicani existimationi; ex quo clero, sicuti hucusque non defuere, ita in posterum non defuturos confidimus, qui boni pastoris exemplo libenter animam ponere parati sint pro ovibus suis et pro testamento patrum suorum. Nos quidem pro officii nostri debito parati sumus, Dei adjutrice gratia, sacrificare sacrificium justitiae, et Ecclesiae jura ac libertatem, et hujus sanctae Sedis authoritatem dignitatemque defendere, nil de nobis, sed omnia de eo praesumentes, qui nos confortat et operatur in nobis, et qui jussit Petrum super aquam ambulare. Praeterit enim figura hujus mundi et dies Domini appropinquat. Sic ergo agamus, venerabiles fratres ac dilecti filii, ut, cum summus Paterfamilias et Princeps Pastorum rationem ponere voluerit cum servis suis, sanguinem pessumdatae Ecclesiae, quam suo cruore ipse quaesivit, de nostris manibus non requirat. Vobis interim omnibus Apostolicam benedictionem, cui coelestem accedere exoptamus, intimo paterni amoris affectu impartimur. Datum Romae die XI Aprilis 1682 ».

Documentum XIX. Epistola responsoria ad Breve Paternae charitati, qua Episcopi comitiorum anni 1682 schismaticam doctrinam profitentur, quamque rex noluit ad Pontificem mitti.

« Quantum olim a majoribus Sedi Apostolicae delatum est tantum nos, qui honoris sacerdotalis successores patriique animi haeredes sumus, vestrae sanctitati debere solemniter profitemur. Neque in modo, quod vestra Beatitudo in preecelso editoque Ecclesiae loco posita est, sed et quod illam videmus singulari pietate et religione summa loci auctoritatem exaequare. Cum enim Petri cathedram ea qua debemus veneratione prosequimur et pariter nobis ante oculos proponimus virtutes eximias quibus sanctitas vestra ornata est, severitatem scilicet institutorum studium amplificandae Ecclesiae, constantem retinendae veteris disciplinae sententiam, quotidianam sollicitudinem omnium Ecclesiarum, ob firmatam non acquiescendi carni aut sanguini voluntatem, non possumus non admirari et summam in honoribus gloriam, et parem in moribus disciplinam. Haec et alia quae sane magnifica sunt, magnam de vestro Pontificatu spem omnes Ecclesiae injecerunt... Ea spes orbis christiani fuit; eaque opinio hoc magis apud nos invaluit, quod paribus votis et simili animorum consensione cum vestra sanctitate conveniret rex christianissimus qui... jam non minus religione quam armis magni nomen implevit.. Cum haec inter sanctissimum Pontificem et regem maximum incredibilis esset virtutum et voluntatum conspiratio quid aliud nos augurari oportebat, quam fidei victoriam et gloriam Ecclesiae.

« Verumtamen Beatissime Pater, haec contra omnium expectationem perversis quibusdam hominum improborum artibus interpellata sunt. Vix prae dolore haec meminisse, nedum commemorare possumus. Etenim dum rex christianissimus pro sua pietate rem Ecclesiae bene et feliciter gerit, ecce per provincias et civitates Galliarum litterae Apostolicae divulgatae sunt, quibus sacra regis christianissimi majestas offenditur; acerbis minacibusque litteris impetitur ille rex, praedicator fidei, defensor Ecclesiae, regionum praesul, patriae custos, triumphator gentium; convelluntur jura regni, tolluntur sacra majorum nostrorum deposita, pulsantur Ecclesiae Gallicanae libertates.

SS. D. N. PAPAE PII IX ENCYCLICA

AD OMNES EPISCOPOS

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Principis officium, munusque pascendi agnos, et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum, exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac justitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris, et Constitutionibus relegere et damnare omnes haereses et errores, qui Divinae Fidei nostrae, catholicae doctrinae, morum honestati ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequentes excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac justitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim juventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

Jam vero, uti vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinae providentiae consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac numquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia, pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima Encyclica Epistola die 9 novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 decembris anno 1854, altera vero 9 junii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum

damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, ejusque salutari doctrinae ac venerandis juribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos hujusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione, et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris (1). Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, « optimam societatis publicae rationem, civilemenque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine ». Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, « optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet ». Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam (2), nimirum « libertatem conscientiae, et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari, et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare, ac declarare valeant ». Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis* (3) praedicant, et quod « si humanis persuasionibus semper disceptare sit liberum, nunquam decesse poterunt, qui veritati, audeant resultare, et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia christiana vitare ex ipsa Domini nostri Jesu Christi, institutione cognoscat (4).

(1) Greg. XVI. Epist. encycl. *Mirari* 15 aug. 1832.
(2) Eadem Encycl. *Mirari*.
(3) S. Aug. Epist. 105, al. 166.
(4) S. Leo, Epist. 164, al. 133, § 2 dit. Ball.

Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiae humanique juris notio tenebris oscuratur et amittitur, atque in vera justitiae legitimique juris locum materialis substituitur, vis, inde liquet cur nonnnulli certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque audeant conclamare, « voluntatem populi, publica quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam, et in ordine politico facta consummata; eo ipso quod consummata sunt vim juris habere. » Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac justitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter hujusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias quamvis de re christiana, civili, ac litteraria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam ut sapientissime rec. mem. Pius VI Decessor Noster docebat « regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignis fundatores, quos super altaribus veneramur, qui non a Deo inspirati eas constituerunt societates (1). » Atque etiam impie pronunciant, auferendam esse civibus Ecclesiae facultatem « qua eleemosynas christianae charitatis causa palam erogare valeant, » ac de medio tollendam legem « qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur, » fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt « societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a jure dumtaxat civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis, educationisque curandae. » Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrinae ac vis a juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et jura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim juventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius juventutis corruptela collocarunt. Quocirca numquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot, magna in christianam, civilem, et litterariam rempublicam comoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum

(1) Epist. ad Card. de la Rochefouchault, 10 Martis 1791,

« uptote vero, utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum ab omni juventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum ».

At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent, Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subjicere, et omnia ejusdem Ecclesiae et Sedis jura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; constitutiones Apostolicas (1), quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate multantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tollerantur a civili gubernio; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiae invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae jus non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae, jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesia, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare. » Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae, atque errores. Dictitant enim « Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis. Atque silentio praeterire non possumus, eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt « illis Apostolicae Sedis judiciis, et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae, ejusdemque jura, ac disciplinam spectare declaratur dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam decrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis jactura. » Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctri-

(1) Clement XII « *In eminenti.* » Benedict. XIV « *Providas Romanorum* » Pii VII « *Ecclesiam* » Leone XII « *Quo graviora* ».

nas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis justitiaeque osores, et acerrimos nostrae religionis hostes per pestiferos libros, libellos, et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui Satanae spiritu permoti, et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Jesum Christum negare, ejusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati, summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae, et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem, et observantiam qua Nobis et huic Apostolicae Sedi Concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus ut assumentes gladium spiritus, quod est Verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Jesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti « abstineant ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non colit, quia non sunt plantatio Patris (1). » Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, ejusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cujus Dominus Deus ejus (2). Docete « catholicae Fidei fundamento regna subsistere (3), et nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus (4). » Atque etiam ne omittatis docere regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam (5), et nihil esse quod civitatum Principibus, et Regibus majori fructui, gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter Praedecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori perscribebat, Ecclesiam catholicam..... sinant uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittant obsistere..... Certum est enim, hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis

(1) S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.
(2) Psal. 443.
(3) S. Coelest. epist. 22 ad Syn. Ephes. apud Const., p. 1200.
(4) S. Innocent. 1 epist. 29 ad Episc. con Carthag., apud Const., p. 801.
(5) S. Leo Epist. 156, al 125.

Dei agatur, juxta ipsius constitutam regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre (1). »

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Jesum Christum, qui redemit nos Deo in sanguine suo Ejusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos charitatis victimam enixe jugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Ejus ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, ideirco coelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christi fidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, ejusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam indulgentiam ad instar Iubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20 mensis Novembris anno 1846 datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium « Arcano Divinae Providentiae consilio, » et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione, ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri jussimus.

« Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens: misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus, et si accipiendi mora et tarditas fuerit quoniam graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium preces, gemitus, et lacrymae nostrae, quibus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio.... unusqui-

(1) Pius VII. Epist. Encycl. *Diu satis* 15 maii 1800.

sque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit (1). Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque, et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater « tota suavis est.... ac plena misericordiae...., omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur affectu (2), » atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Jesu Christi in vestitu deaurato, circumamicta varietate, nihil est quod a Deo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli ejus Pauli, omniumque Sanctorum Coelitum, qui facti jam amici Dei pervenerunt ad coelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Deniqui coelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes singularis Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus

Datum Romae apud S. Petrum die VIII Decembris anno 1864. decimo a Dogmatica Definitione immaculutae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae.

Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

PIUS PP. IX.

SYLLABUS

Complectens praecipuos nostrae aetatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis, aliisque Apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX.

§. I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eadaemque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

---

(1) S. Cyprian. Epist. II.

(2) S. Bernard. Serm. de duodecim praerogativis B. M. V. ex verbis Apocalyp.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter: sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant: hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

Alloc *Maxima quidem* 9 junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encicl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

VII. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

§. II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae: et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animad-

vertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eisque relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

XII. Apostolicae Sedis, romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 dicembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus, scientiarumque progressui min me congruunt.

Epist. Ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationi habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Gunther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 junii 1857, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 aprilis 1860.

§. III.

Indifferentismus, Latitudinarismus

XV. Liberum cuique homini est eam implecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

Alloc. *Maxima quidem* 9 julii 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847.

Epist. Encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versatur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.

Epist. Encyl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. Encycl. *Nostis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clericos-liberales.

Ejusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846; in Alloc. *Quibus*

quantisque 20 aprilis 1849; in Epist. Encycl *Nostis et Nobiscum* 8 decembris 1849; in Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur moerore* 15 augusti 1863.

§. V.

Errores de Ecclesia ejusque juribus

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 septembris 1861.

XXI. Ecclesiae non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

Epist. Encycl. *Incredibili* 17 septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium curae ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc *Maxima quidem.* 9 junii 1862

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatis a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Numquam fore* 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis juris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 septembris 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libere et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860,

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 22 augusti 1851.

§. VI.

Errores de societate civilis tum in se, tum in suis ad ecclesiam relationibus spectata

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 nov. 1846.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 22 augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 22 augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decemb. 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui, auctoritate civili et ite quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum; in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5 sept. 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civiliis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 julii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 julii 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi episcopos et potest ab illis exigere ut incant-diaecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LI. Immo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Probe memineritis* 22 januarii 1855.

Alloc. *Cum saepe* 26 julii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiae.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimus* 27 septembris 1852.

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

Epist. Encycl. *Quanto conficiamur* 10 augusti 1863.

LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeris et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandam est et observandum principium quod vocat de *non-intervcntu.*

Alloc. *Novos et ante* 28 septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Quisque vestrum* 4 octobris 1847.

Epist. Encycl. *Nostis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

Litt. Apost. *Cum catholica* 26 martii 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita; summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

§. VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione fieri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVII. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Lettera di S. S. PIO IX al Re di Sardegna 9 settembre 1852 (1).

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confediuntur, prior in epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846, posterior in litteris apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Alloc. *Si simper antea* 20 maii 1850; in Litt. apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 martii 1860; in Alloc. *Novos* 28 sept. 1860; in Alloc. *Iamdudum* 18 martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

(1) Litterae S. D. N. Pii IX ad Regem Sardiniae.

§ X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tanquam unicam status religionem, caeteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 julii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS MAIORIS EXCOMMUNICATIONIS POENA INFLIGITUR INVASORIBUS ET USURPATORIBUS ALIQUOT PROVINCIARUM PONTIFICALE DITIONIS.

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Catholica (1) Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam hominum salutem curandam, perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subiaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat praesidiis quae temporum conditioni ac necessitati congruerent, idcirco singulari prorsus divinae providentiae consilio factum est, ut cum Romanum corruit imperium et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et iurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, ad quam *propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.*

Facile autem intelligitur quemadmodum eiusmodi Romanae Ecclesiae Principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacrae, quam habet, destinationis, et arctissimi illius vinculi, quo cum maximis Rei Christianae rationibus coniungitur. Quod tamen nil impedit quominus ea omnia, quae ad temporalem quoque populorum felicitatem conducunt, perfici queant, quemadmodum gesti a Romanis Pontificibus per tot saecula civilis regiminis historia luculentissime testatur.

Cum porro ad Ecclesiae bonum et utilitatem respiciat Principatus de quo loquimur, mirum non est quod Ecclesiae ipsius hostes persaepe illum convellere et labefactare multiplici insidiarum et conatuum genere contenderint: in quo tamen nefaria illorum molimina, Deo Ecclesiam suam iugi-

(1) *Huc referuntur Syllabi Propositiones* 63-76,

ter adiuvante, in irritum serius ocyus ceciderunt. Iam vero novit universus orbis quomodo luctuosis hisce temporibus infestissimi Catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis osores *abominabiles facti in studiis suis, ac loquentes in hypocrisi mendacium*, hanc ipsam Sedem, proculcatis divinis humanisque iuribus, civili, quo potitur, Principatu spoliare nequitur adnitantur, idque assequi studeant non manifesta quidem, uti alias, aggressione, armorumque vi, sed falsis aeque ac perniciosis principiis callide inductis, ac popularibus motibus malitiose excitatis. Nequa enim erubescunt nefandam populis suadere rebellionem contra legitimos principes, quae ab Apostolo clare aperteque damnatur ita docente: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo : quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sub damnationem acquirunt* (1). Dum vero pessimi istiusmodi veteratores temporalem Ecclesiae dominationem aggrediuntur, eiusque venerandam auctoritatem despiciunt, eo impudentiae deveniunt, ut suam in Ecclesiam ipsam reverentiam et obsequium palam iactare non desinant. Atque illud vel maxime dolendum, quod tam prava agendi ratione sese polluerit non nemo etiam ex iis, qui, uti Catholicae Ecclesia filii, in ipsius tutelam atque praesidium impendere debent auctoritatem, qua in subiectos sibi populos potiuntur.

In subdolis ac perversis, quas lamentamur, machinationibus praecipuam habet partem Subalpinum Gubernium, a quo pridem omnes norunt quanta et quam deploranda eo in Regno damna ac detrimenta Ecclesiae, eiusque iuribus, sacrisque Ministris fuerint inlata, de quibus in Consistoriali potissimum Allocutione, die XXII Ianuarii MDCCCLV habita, vehementer doluimus. Post despectas hactenus Nostras ea de re iustissimas reclamationes Gubernium ipsum eo temeritatis modo progressum est, ut ab irroganda universali Ecclesiae iniuria minime abstinuerit, civilem impetens Principatum, quo Deus hanc B. Petri Sedem instructam voluit ad apostolici ministerii libertatem, uti animadvertimus, tuendam atque servandam, Primum sane ex manifestis aggressionis indiciis prodiit quum in Parisiensis Conventu, anno 1856 acto, ex parte eiusdem Subalpini Gubernii inter hostiles nonnullas expositiones speciosa quaedam ratio proposita fuit ad civili Romani Pontificis dominium infirmandum, et ad Ipsius Sanctaeque huius Sedis auctoritatem imminuendam. Ubi vero superiore anno Italicum exarsit bellum inter Austriae Imperatorem et foederatos invicem Imperatorem Galliarum ac Sardiniae Regem, nihil fraudis nihil sceleris praetermissum est, ut Pontificiae Nostrae Ditionis populi ad nefariam defectionem modis omnibus impellerentur. Hinc instigatores missi, pecunia largiter effusa, arma suppeditata, incitamenta pravis scriptis et ephemeridis admota, et omne fraudum genus adhibitum vel ab illis, qui eiusdem Gubernii legatione Romae fungentes, nulla habita gentium iuris honestatisque ratione, proprio munere perperam abutebantur ad tenebricosas molitiones in Pontificii Nostri Gubernii perniciem agendas.

---

(1) S. Paul. Ep. ad Rom. c. XIII. v. 1. et seq.

Oborta deinde in nonnullis Ditionis Nostrae Provinciis, quae dudum occulte comparata fuerat, seditione, illico per fautores Regia Dictatura proclamata est, statimque a Subalpino Gubernio Commissarii adlecti, qui, alio etiam nomine postea appellati, provincias illas regendas sumerent. Dum haec agerentur, Nos gravissimi officii Nostri memores non praetermisimus binis Nostris Allocutionibus die XX Iunii et XXVI Septembris superiore anno habitis de violato civili huiusce S. Sedis principatu altissime conqueri, simulque violatores serio monere de censuris ac poenis per canonicas sanctiones inflictis, in quas ipsi proinde misere inciderant. Existimandum porro erat, patratae violationis auctores per literatas Nostras monitiones ac querelas ab iniquo proposito destituros, praesertim cum universi Catholici Orbis Sacrorum Antistites, et fideles cuiusque ordinis, dignitatis et conditionis eorum curae commissi suas nostris expostulationibus adiungentes unanimi alacritate Nobiscum huius Apostolicae Sedis, et universalis Ecclesiae iustitiaeque causam propugnandam susceperint, cum optime intelligerent, quantopere civilis, de quo agitur, principatus ab libera supremi Pontificatus iurisdictionem intersit. Verum (horrescentes dicimus!) Subalpinum Gubernium non solum Nostra monita, querelas, et ecclesiasticas poenas contempsit, sed etiam in sua persistens improbitate, populari suffragio, pecuniis, minis, terrore aliisque callidis artibus contra omne ius extorto, minime dubitavit commemoratas Nostras provincias invadere, occupare, et in suam potestatem dominationemque redigere. Verba quidem desunt ad tantum improbandum facinus, in quo plura et maxima habentur facinora. Grave namque admittitur sacrilegium, quo una simul aliena iura contra naturalem divinamque legem usurpantur, omnis iustitiae ratio subvertitur, et cuiusque civilis Principatus ac totius humanae Societatis fundamenta penitus evertuntur.

Cum igitur ex una parte non sine maximo animi Nostri dolore intelligamus, irritas futuras novas expostulationes apud eos qui *velut aspides surdae obturantes aures suas* nihil hucusque monitis ac questubus Nostris commoti sunt; ex altera vero parte intime sentiamus quid a Nobis in tanta rerum iniquitate omnino postulet Ecclesiae huiusque Apostolicae Sedis ac totius Catholici Orbis causa, improborum hominum opera tam vehementer oppugnata, idcirco cavendum Nobis est ne diutius cunctando gravissimi officii Nostri muneri deesse videamur. Eo nempe adducta res est ut illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes suprema illa auctoritate utamur, qua cum solvere, tum etiam ligare Nobis divinitus datum est; ut nimirum debita in sontes adhibeatur severitas, eaque salutari ceteris exemplo sit.

Itaque post Divini Spiritus lumen privatis publicisque precibus imploratum, post adhibitum selectae VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis consilium, Auctoritate Omnipotentis Dei et SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra denuo declaramus, eos omnes, qui nefariam in praedictis Pontificiae Nostrae Ditionis Provinciis rebellionem et earum usurpationem, occupationem, invasionem, et alia huiusmodi, de quibus in memoratis Nostris Allocutionibus die XX Iunii et XXVI Septembris superioris anni conquesti sumus, vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipso-

rum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum exequutionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per se ipsos exequentes, Maiorem Excommunicationem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a SS. Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (1), Decretis inflictas incurrisse; et si opus est, de novo Excommunicamus, et Anathematizamus, item declarantes, ipsos omnium et quorumcumque privilegiorum, gratiarum, et indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, quomodolibet concessorum amissionis poenas eo ipso pariter incurrisse; nec a censuris huiusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum renicidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvi ac liberari posse; ac insuper inhabiles et incapaces esse qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu redintegraverint, vel alias debitam et condignam Ecclesiae, ac Nobis, et huic Sanctae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint. Idcirco illos omnes, etiam specialissima mentione dignos, nec non illorum successores in officiis a retractatione, revocatione, cassatione et abolitione omnium ut supra attentatorum per se ipsos facienda, vel alias debita et condigna Ecclesiae, ac Nobis, et dictae S. Sedi satisfactione realiter et cum effectu in eisdem praemissis exhibenda, praesentium Litterarum, seu alio quocumque praetextu, minime liberos et exemptos, sed semper ad haec obligatos fore et esse, ut absolutionis beneficium obtinere valeant, earumdem tenore praesentium decernimus et pariter declaramus.

Dum autem hanc muneris Nostri partem, tristi Nos urgente necessitate, morentes implemus, minime obliviscimur, Nosmetipsos Illius hic in terris vicariam operam agere, qui *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat*, quique in mundum *venit quaerere, et salvum facere quod perierat*. Quapropter in humilitate cordis Nostri ferventissimis precibus Ipsius misericordiam sine intermissione imploramus et exposcimus, ut eos omnes, iz quos ecclesiasticarum poenarum severitatem adhibere coacti sumus, divinae suae gratiae lumine propitius illustret, atque omnipotenti sua virtute de perditionis via ad salutis tramitem reducat.

Decernentes, praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praefati, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis existant, seu alias specifica et individua mentione et expressione digni illis non consenserint, seu ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae, et iustificatio non fuerint, aut ex alia qualibet causa, colore, praetextu, et capite, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensu, ac alio quocumque defectu notari, impugnari, infringi,

(1) Sess. XXII. cap. 11. de Reform.

retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti; vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu iuvari ullo modo posse; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat: et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari: sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditorès, et S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis praedictae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac usibus, et stylis etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis praedictis, aliisque quibuslibet Personis, etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, et specialem expressionem requirentibus sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis Decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis ac pluries iteratis et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

Cum autem eaedem praesentes Litterae ubique, ac praesertim in locis, in quibus maxime opus esset, nequeant tute publicari, uti notorie constat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singu-

los, quos illae concernunt, perinde arctare, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

Volumus autem ut earumdem Litterarum Transumptis, seu Exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii Publici subscriptis, et sigillo alicuius Personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum et gentium tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus ac si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI Martii anno 1860 Pontificatus nostri anno 14.°

Lo ✠ co Sygilli

PIUS PP. IX.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
PII
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS PRAETENSA APOSTOLICA IN SICILIA LEGATIO

AC MONARCHIA SIC APPELLATA

NEC NON IVDEX DELEGATUS EIVSQUE TRIBUNAL

MINISTRI ET OFFICIALES OMNES

PLANE ABROGANTUR AC DELENTVR

PIUS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

Ad Perpetuam Rei Memoriam

« Suprema universi Dominici gregis cura Nobis licet immeritis in perso-
« na beatissimi Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus
« commissa omnino postulat, ut pro Apostolici Nostri ministerii officio
« omnium totius catholici orbis Ecclesiarum bono ac prosperitati studio-
« sissime prospiciamus, et omnia conemur, quo sanctissima nostra fides
« ac religio ubique magis in dies vigeat, efflorescat, et ecclesiastica di-
« sciplina servetur ac promoveatur, ac radicitus evellantur zizania, quae
« inimicus homo superseminavit in medio tritici, et omnes eliminentur cor-
« ruptelae, quae animarum saluti et sacrarum rerum ordini vel maxime
« adversantur. Hinc vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio paternas No-
« stras sollicitudines ad Siciliam convertimus, et Apostolicas quoque No-
« stras Litteras, annulo Piscatoris obsignatas, ac die XXVI Ianuarii
« MDCCCLVI editas, quarum initium — Peculiaribus — vulgavimus
« pro spirituali Siciliae utilitate, quae ab antiquis temporibus filia in pri-
« mis directa Romanae Ecclesiae, arctissimis praecipuae pietatis, amoris
« et observantiae vinculis huic Apostolicae Sedi fuit obstricta. Summo au-
« tem animi Nostri dolore maxima novimus mala et damna, quibus Sici-
« lia ipsa iamdiù misere afflictatur. Ac serio considerantes omnia acta,

« quae haec Sancta Sedes pro eadem Insula edidit, perspeximus, rec. me-
« Clementem XI, Decessorem Nostrum, merito atque optimo iure indicas-
« se, plurima, eaque gravissima Siciliae, mala, abusus et corruptelas oriri
« ex praetensa Legatione, ac Tribunali Monarchiae, quae, concessa
« dicuntur ab Urbano II, item Praedecessore Nostro. Quocirca idem Cle-
« mens XI, apostolico zelo incensus, decimo Kalendas Martii anno mille-
« simo septingentesimo decimo quarto, suas sub Plumbo edidit Pontificias
« Litteras, incipientes — Romanus Pontifex —, quibus penitus abrogavit
« et extinxit praetensam Apostolicam Legationem, et ita appellatam Mo-
« narchiam, eiusque Tribunal; gravissimas causas luculenter exponens, ob
« quas huiusmodi consilium a se omnino suscipiendum esse existimavit Po-
« stmomodum vero Benedictus XIII, Praedecessor pariter Noster, peculia-
« ribus rerum ac temporum adiunctis, ac repetitis promissionibus adductus,
« eaque spe fretus fore ut Tribunali, cum certis et immobilibus normis
« et reguli constituto, omnes de medio tollerentur abusiones, die 30 Augusti
« Anno 1728 Apostolicas sub Plumbo promulgavit Litteras exordientes
« — Fideli — quibus in Sicilia constituit Ecclesiasticum causarum Dele-
« gatum Iudicem, ejusque Tribunal, cum facultatibus et legibus, quae
« nullo unquam modo immutari possent. Inanes vero fuere praelaudati
« Nostri Decessoris spes, nam iudex ille ac tribunal retinens nomen Iu-
« dicis ac Tribunalis Monarchiae, se veluti antea ex praetensa Apostolica
« Legatione originem habere perperam censuit, ac laica potestas non solum
« idem tribunal dirigendum suscepit, verum etiam ordinationes, declara-
« tiones et pragmaticas sanctiones Apostolicis Litteris — Fideli — ad-
« versas edidit, et insuper perrexit asserta exercere iura sic dictae Lega-
« tionis a Clemente XI de medio sublatae, ac Delegatus Iudex magis gubernii
« ordinationibus, quam memoratae Benedicti XIII Constitutioni obsequi, et
« adhaerere existimavit. Itaque haec Apostolica Sedes haud omisit saepe re-
« clamare et instare, ut limites ab eadem Constitutione Benedicti XIII prae-
« scripti diligenter observarentur. Atque id occasione Conventionis inter
« hac Apostolicam Sedem, et Utriusque Siciliae Regem anno 1818 ini-
« tae, denuo fuit promissum, Regia etiam Ordinatione edita : quae in Episto-
« lam Regii Administri die 29 Aprilis anno 1818 relata praecipiebat, ut om-
« nes de medio tollerentur abusus, et limites in Apostolicis Litteris —
« Fideli — statuti diligenter custodirentur. Sed repetita promissa minime
« servata fuerunt, nec exauditae tum Nostrae, ac Nostrorum Praedeces-
« sorum reclamationes et querelae, tum illae Episcoporum in conventu
« ab ipsis anno 1850 in dicta Insula habito, etiamsi de gravissimis a-
« geretur abusibus, ex quibus summa in Siciliae fideles damna, ac de-
« trimenta redundabant, quae iam omnes Sacrorum eiusdem Insulae An-
« tistites in Concilio Tridentino existentes unanimi consensu apud Catho-
« licum Regem Ecclesiae iura reclamantes vehementer deploraverant. Nos
« ipsi aliqua ex parte opportunum malis remedium adhibere curavimus,
« sed inutiles nostrae fuerunt sollicitudines: Etenim legationis praetextu,
« ecclesiasticae res maiore ex parte usurpatae, ac leges de ecclesiastica
« perperam conditae, et haec Apostolica Sedes impedita quominus salu-
« tarem suam erga illas Ecclesias actionem exercere possit. Atque eo

« perventum est, ut in rebus ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus « laica potestas minime pendere velit a Romano Pontifice, cuius vices « se agere iactat. Iudex vero ita appellatae Monarchiae, minime servans « limites praescriptos ab Apostolicis Litteris — Fideli, — civilium Mi- « nistrorum ordinationibus inserviens, eas temere exequitur, sibique vin- « dicat facultates, quibus omnino caret, et gravaminis obtentu specieque, « ad se, plane neglectis Canonicis Sanctionibus, per commemoratas Litte- « ras — Fideli — enunciatis, causas avocat, et Episcopos ad rationem « reddendam ita cogit, ut ipsi raro possint, prima etiam provocatione, de « causis iudicare, et impedit quominus Supremi Religiosorum Familiarum « Moderatores suam auctoritatem in subditos sibi religiosos viros exercere « queant, atque etiam interiori Regularium Ordinum disciplinae sese im- « miscere non dubitat. Hinc factum est, ut in Sicilia Episcoporum aucto- « ritas, cum summo eorum iurium damno et animarum salutis discrimi- « ne, fuerit depressa ac delecta, ut ecclesiastica disciplina enervata, et « Regularis observantia fere destructa, et utriusque Cleri inobedientia ad- « versus suos Praepositos promota ac defensa, ut Episcopi et Regula- « rium Ordinum Moderatores, continua illius Tribunalis illegitima actione « ac vi pressi, haud possint impedire perturbationes, et quae tristia con- « sequuntur ex nullitate actorum, quae ab eodem Tribunali patrantur, « contra statuta et praescripta ab ipsis — Fideli — Apostolicis Litteris « Accedit etiam, ut superiori fere exeunte saeculo Messanae, Tribunal, « a civili potestate pro suo arbitrio fuerit perperam constitutum, quin « ullo modo a Monarchiae Tribunali penderent. Ex quo luctuosissimo sane « rerum statu tristissima illa in Siciliam variis temporibus redundarunt « mala, quae potius lugenda quam commemoranda sunt, cum omnibus « apprime cognita sint et perspecta, praesertim posteaquam ipsae Nostrae « Apostolicae Litterae per summam iniuriam contemptae et pessumdatae « fuere. Ac nisi nota esset eximia Siculorum erga hanc Petri Cathedram « catholicae unitatis centrum fides, pietas, observantia et obedientia, nec « non Episcoporum pro animarum salute sollicitudo, metuendum esset pe- « riculum, ne si ita res progrederentur, Sicilia gravioribus etiam malis « afflictaretur. Cum igitur ex eodem Tribunali superius enunciato, quod « Monarchiae vocant, tot in Ecclesiam, eiusque auctoritatem, iura ac di- « sciplinam damna derivarint, ac derivent, et irritae fuerint iteratae huius « Apostolicae Sedis expostulationes, quo Tribunal idem praefinitos in Apo- « stolicis — Fideli — Litteris limites diligenter servaret, ac fallaces « semper fuerint repetitae promissiones de tollendis corruptelis, iccirco « Nos in tot gravissimis malis, quae Ecclesiam in Sicilia affligunt, ac in « tot maximis periculis, quae eidem Ecclesiae impendent, non solum nullo « modo connivere possumus, verum etiam pro gravissimo Supremi Nostri « Apostolici ministerii officio, mala ipsa et pericula omni cura studioque « penitus amovere et eliminare debemus. Gravissimae enim culpae coram « Deo Nos reos esse existimaremus, nisi tot mala radicitus extirpanda cu- « raremus. Quocirca succidamus ac dissipemus oportet, ut Clementis XI « Praedecessoris Nostri verbis utamur, arborem illam, ex qua pessimi orti « sunt fructus, cum Romanus Pontifex, a Christo Domino aequi bonique

« assertor constitutus, noxia omnia destruere ac radicitus evellere teneatur. « Etsi enim de rebus ageretur ab hac Apostolica Sede ob legitimas cau- « sas forte unquam concessis, tamen hujusmodi concessiones revocandae « et abolendae omnino essent cum, rerum ac temporum immutatis adiun- « ctis, experientia demonstret maxima orta esse et oriri damna ex hisce « concessionibus, easque omnis generis corruptelis et abusibus aditum ape- « rire, et Ecclesiae, animarumque saluti maxime adversari. Itaque cum « pro Apostolici Nostri muneris debito nullo modo possimus diutius ferre « ac tolerare tot mala et corruptelas, ac permittere, ut Siculae Monar- « chiae privilegiorum obtentu ecclesiastici Ordinis dignitas labefactata col- « labatur et concidat, peculiari VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Con- « gregatione in consilium adhibita, ac nonnullis Dilectis Filiis Romanae « Curiae auditis Antistitibus, motu proprio, certa scientia, matura delibe- « ratione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hisce « Litteris non solum suppressionem et abolitionem praetensae Apostolicae « Siculae Legationis, ac ita appellatae Monarchiae, a Clemente XI Deces- « sore Nostro factam confirmamus, verum etiam eamdem Apostolicam Le- « gationem, et Monarchiam, quatenus opus fuerit, suprema Nostra Aucto- « ritate iterum supprimimus, extinguimus, et abolemus; insuper saepe me- « moratam Constitutionem — Fideli — a Benedicto XIII Praedecessore « item Nostro editam, quoad Iudicem delegatum in Sicilia, quem Monar- « chiae Iudicem vocant, eiusque Tribunal, una cum omnibus indultis pri- « vilegiis et facultatibus, etiam in Apostolicis Litteris in forma Brevis « expeditis, tum rec: me: Gregorii XVI, Praedecessoris Nostri incipien- « tibus — Iamdiu, — die 3 Martii Anno 1846 datis, tum Nostris die 21 « Ianuarii Anno 1856 editis, quarum initium — Peculiaribus — et in « quibuscumque aliis quovis titulo et causa a Nobis et a Praedecessoribus « Nostris quorumcumque meritorum intuitu et ratione praedicto Iudici De- « legato, eiusque Tribunali concessis, et confirmatis, praesentium Littera- « rum tenore prorsus revocamus, et officium eiusdem Iudicis, ac cetero- « rum officialium, et ministrorum, dictumque Tribunal, una cum comme- « morato Tribunali Messanae erecto, perpetuum in modum de medio tol- « limus, et in omnibus omnino extinguimus, cassamus et delemus. Volu- « mus propterea et mandamus, ut illa omnia veluti plane extincta, sup- « pressa et abolita, nec non respective rescissa, cassata, deleta, revocata, « ac penitus abrogata ab omnibus haberi ac reputari debeant.

« Ceterum ad praemissa devenimus, ut pro Pontificia Nostra solliciti- « tudine Ecclesiae libertatem, ac Nostram, et hujus S. Sedis, et Episco- « porum ac Regularium Superiorum auctoritatem vindicaremus, et eccle- « siasticam restitueremus disciplinam, ac periclitantium animarum saluti « prospiceremus. Cum autem praecipua prorsus caritate fideles Siciliae po- « pulos merito prosequamur, qui avita religione ac pietate spectati, im- « mobili fide et observantia Nobis et huic Apostolicae Sedi constantissi- « me adhaerere vehementer gloriantur, haud omittemus aliis Nostris Apo- « stolicis Litteris eorumdem fidelium incommodis, ac dispendiis occurrere, « concedendo opportunas facultates Venerabilibus Fratribus Sacrorum « in Sicilia Antistitibus, quos iidem fideles facilius et commodius adire

« poterunt. Haec volumus, statuimus, praecipimus. atque mandamus, de-
« cernentes has praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque etiam
« ex eo quod praedicti et alii quilibet in praemissis interesse habentes,
« seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusque status, gradus, ordinis,
« praeeminentiae et dignitatis etiam Regiae et Imperialis existant, illis
« non consenserint, nec ad ea vocati, citati. et auditi, causaeque propter
« quas praesentes emanarunt, sufficienter adductae. verificatae et iustifica-
« tae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et pri-
« vilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore iuris clauso,
« etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore
« de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis No-
« strae, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet, etiam quan-
« tumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili. indivi-
« duamque expressionem, requirente. defectu notari, impugnari, infringi,
« invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris re-
« duci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, a-
« liudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel im-
« petrari, aut impetrato. seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudi-
« ne paribus concesso vel emanato. quempiam in iudicio, vel extra illud.
« uti, seu se iuvare ullo modo posse ; sed ipsas praesentes litteras sem-
« per firmas, validas et efficaces existere et fore, ac quibuscumque iuris,
« seu facti defectibus, qui adversus illas a saeculari potissimum potestate,
« seu praedicta abolita, et extincta Legatione, Sicula Monarchia, Tribunali,
« Iudice Delegato, illorumve Ministris quibuslibet, ad effectum impediendi.
« seu retardandi earum executionem quovis modo, sex ex quavis causa
« opponi, seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et in-
« tegros effectus sortiri et obtinere : Easque propterea omnibus, et singu-
« lis per eamdem saecularem potestatem, sive per eamdem abolitam, et
« extinctam Legationem, ac Tribunal, eorumque ministros quoscumque
« quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis, penitus, et omnino re-
« iectis, ac nequaquam attentis ab illis, ad quos spectat, et pro tempore
« quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari : sicque et
« non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delega-
« tos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et eiusdem Sanctae
« Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et praefatae
« Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate
« fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iu-
« dicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri de-
« bere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis aucto-
« ritate scienter vel ignoranter contingerit attentari.

« Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, Nostra et Cancel-
« lariae Apostolicae regula, de iure quaesito non tollendo, aliisque Apo-
« stolicis, ac in Uviversalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis
« editis Generalibus vel Specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec
« non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis fir-
« mitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac praescriptionibus,
« quantumvis longissimis, et immemorabilibus : privilegiis quoque, indultis,

« et Litteris Apostolicis, quibuscumque Regnis, Provinciis, ac Personis, e-
« tiam Imperiali, Regia, aliaque qualibet mundana, seu etiam ecclesiastica
« dignitate fulgentibus, seu alia specifica et individua mentione dignis a
« Sede praedicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, et re-
« munerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum
« quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, effi-
« cacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam
« motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu
« alias quomodolibet et genere, vel in specie in contrarium praemissorum
« concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus ap-
« probatis, confirmatis, in innovatis, etiam continentibus, quod excommu-
« nicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam et ex-
« pressam, ac de verbo ad verbum de Privilegiis et Indultis huiusmodi,
« mentionem. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti
« derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, ex-
« pressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas
« generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda,
« aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmo-
« di ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tra-
« dita, observata, exprimerentur, et insererentur: praesentibus pro plene,
« et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo robore
« permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et
« expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis
« quibuscumque.

« Cum autem eaedem presentes litterae in Sicilia nequeant hisce prae-
« sertim temporibus tuto publicari, ut hactenus experientia compertum est,
« ac Nobis per legitimas probationes satis superque constat, prout harum
« serie declaramus, et verendum sit ne praetextu reprobatae Legis de
« Regio placito earumdem Litterarum exequutio impediatur; volumus il-
« las, seu earum exempla, ut ad omnium notitiam deveniant, ad valvas
« Ecclesiae Lateranensis, ac Basilicae Principis Apostolorum, nec non
« Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in monte Citatorio, ac in Acie
« Campi Florae de Urbe, ut moris est affigi et publicari, sicque publica-
« tas et affixas, post duos menses a die earum publicationis et affixionis
« computandos, plenarium habere effectum, omnesque, et singulos, quos
« illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum no-
« minatim, et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum tran-
« sumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici sub-
« scriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis,
« eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur,
« quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

« Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum extin-
« ctionis, suppressionis, abolitionis, rescissionis, cassationis, deletionis,
« revocationis, abrogationis, mandati, interdictionis, declarationis et volun-
« tatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc
« attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum
« Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

« Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Mil-
« lesimo Octingentesimo Sexagesimoquarto, V Kalendas Februarii.
« Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo.

M. Card. Mattei *Pro Datarius*

N. Card. Paracciani Clarelli

Visa de Curia D. Bruti

Loco ✠ Plumbi

I. Cugnonius

« Jubemus has Nostras Apostolicas Litteras publicari die X octobris an. MDCCCLXVII.

PIVS PP. IX.

« De mandato SSmi in Christo Patris et Dni Nri Dni divina provi-
« dentia Pii PP. IX, anno a Nativitate Domini MDCCCLXVII, Indict.
« X., die vero X octobris. Pontificatus ejusdem SSmi Dni Nri. ann.
« XXII praesentes Litterae Apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad
« valvas Basilicarum S. Joannis Lateranensis, et Principis Apostolorum,
« Cancellariae Apostolicae, ac Magnae Curiae Innocentianae, atque in acie
« Campi Florae, et in aliis locis et consuetis Urbis per me Aloisium Se-
« rafini apost. Curs.

Philippus Ossani magist. Curs.

Venerabili Fratri Hermanno Archiepiscopo Friburgensis in Brisgovia.

PIVS PP. IX.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quum non sine maxima animi Nostri aegritudine ex pluribus nunciis accepimus, in magno isto Badensi Ducatu de novo popularium scholarum regimine parari ordinationes, quae variis modis christianam iuventutis institutionem, et educationem in magnum adducunt discrimen, propterea quod illas a salutari catholicae Ecclesiae magisterio ac vigilantia quotidie magis amovent, nihil dubitavimus, quin Tu, Venerabilis Frater, pro eximio Tuo in animarum salute curanda studio, ac pro perspecta Tua in Ecclesiae libertate, eiusque iuribus tuendis constantia fortiter iis omnibus obsisteres, quae vel minimum animarum saluti damnum afferre, vel quovis modo episcopalis Tui ministerii liberam auctoritatem coarctare possent. Quod autem pro certo habebamus, id luculenter confirmarunt Tuae Litterae super hoc tanti momenti negotio ad Nos datae, et commentarius eisdem adiectus. Ac vehementer laetamur, cum videamus, Te, Venerabilis Frater, licet aetate gravem, pro Ecclesia strenue pugnare eadem illa fortitudine, qua in episcopalis Tui ministerii decursu summopere praestitisti, ac Nostras, et huius Sanctae Sedis laudes merito, optimoque iure Tibi comparasti. Equidem inter maximas, quibus affligimur, acerbitates, summa utimur consolatione, noscentes quomodo dives in misericordia Deus Sacrorum Antistites eo maiore divinae suae gratiae auxilio roboret ad Christi Iesu gregem tuendum, quo graviora in ipsum gregem luctuosissimis hisce temporibus damna inimicorum hominum opera irruunt et invadunt.

Nemo certe ignorare potest, tristissimam ac deplorandam conditionem, in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus, quae adhibentur, ut a publicis Institutionibus ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio, eiusque salutaris doctrina amoveatur, et saluberrima eius vis coangustetur, ac praepediatur. Quae perniciosissimae machinationes ex tot pravis doctrinis necessario originem habent, quas hac miserrima nostra aetate cum maximo christianae civilisque reipublicae damno undique maiorem in modum invalescere, et caput altius extollere vehementer dolemus. Et sane cum veritates a Deo revelatae impudenter denegentur, vel humanae rationis examini subiiciantur, evenit, ut illa naturalium rerum plane tollatur subiectio, quae supernaturali ordini omnino debetur, utque homines ab aeterno suo fine arceantur, eorumque cogitationes, actionesque ad materialium, fugaciumque huius mundi rerum limites redigantur. Et quoniam Ecclesia, quae columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines, eorumque consortia et actiones ad morum honestatem, vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat, iccirco pravarum doctrinarum fautores et pro-

pugnatores omnia conantur, ut ecclesiasticam potestatem sua erga humanam societate auctoritate spolient. Quamobrem nihil intentatum, nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiae potestatem, eiusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit, et in humanae societatis Instituta exercere debet vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem Institutis arceant, et ipsa Instituta pleno civilis, politicaeque auctoritatis arbitrio subiiciant ad imperantium placita, et ad volubilium aetatis opinionum rationem.

Nihil vero mirum si huiusmodi funestissimi sane conatus in publicam iuventutis institutionem educationemque in primis comparentur, nihilque dubitandum, quin humana societas gravissimis repleatur et vexetur damnis, ubi a publica et privata iuventutis institutione, qua rei cum sacrae, tum publicae felicitas tantopere continetur, fuerit moderatrix Ecclesiae auctoritas, eiusque salutifera vis amota. Hoc enim modo humana societas vero illo christiano spiritu sensim privatur, qui unus potest et publici ordinis, tranquillitatisque fundamenta stabiliter servare, ac verum utilemque civilitatis progressum efficere ac moderari, et ea omnia hominibus praebere subsidia, quae ad ultimum suum post mortalis huiusce vitae stationem finem assequendum, scilicet ad aeternam salutem obtinendam sunt necessaria. Et sane institutio, quae non solum rerum dumtaxat naturalium scientiam, ac terrenae socialis vitae fines spectat, verum etiam a veritatibus a Deo revelatis decedit, in erroris, mendaciique spiritum prolabatur oportet, et educatio, quae sine christianae doctrinae, morumque disciplinae auxilio teneras adolescentium mentes, eorumque cerea in vitium flecti corda informat, non potest non parere progeniem, quae pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum permota, et impulsa maximas, tum privatis familiis, tum reipublicae affert calamitates.

At vero cum huiusmodi perniciosissima docendi ratio seiuncta a catholica fide, et ab Ecclesiae potestate maximo sit hominibus, et societati damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis, ac de educatione curanda in scholis publicisque Institutis, quae honestioribus societatis classibus sunt destinata, ecquis non videt, multo graviora mala et damna ex hac methodo derivare, si ea lem in populares inducatur scholas? Etenim in hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis, ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem, morumque honestatem, et ad religionem, civilemque vivendi rationem accurate formandi. Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione, et educatione locum habere, ac dominari debet, ut aliarum rerum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, veluti adventiciae appareant. Quapropter iuventus maximis exponitur periculis, nisi eius in memoratis scholis institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum, eiusque pietatem, et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statutae, iccirco omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem, et vigilantiam prae ceteris educationis Institutis sibi merito, atque optimo iure semper vindicarunt. Ac propterea consilia, conatusque arcendi a popularibus scholis Ecclesiae po-

testatem proficiscuntur ex animo eidem Ecclesiae summopere adverso, atque ex studio extinguendi in populis divinum sanctissimae fidei nostrae lumen. Quocirca Ecclesia, quae easdem fundavit scholas summa cura studioque eas semper est prosequuta, illasque veluti potiorem ecclesiasticae suae auctoritatis ac regiminis partem consideravit, et quaecumque earum ab Ecclesia seiunctio maximum eidem Ecclesiae, ipsisque scholis affert detrimentum. Ii autem omnes, qui perperam contendunt, Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas deponere, aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent, quam ut Ecclesia contra divini sui Auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem sibi divinitus commisso, deesset. Certe quidem ubi in quibusque locis, regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem, educationem habeat, verum etiam cogeretur, omnes fideles monere, eisque declarare, eiusmodi scholas catholicae Ecclesiae adversas haud posse in conscientia frequentari.

Tibi autem, Venerabilis Frater, summopere gratulamur, quod catholicae Ecclesiae doctrinae, quoad iuventutis institutionem, educationemque firmiter inhaerens, Tuo commentario omnibus opinionibus, ordinationibusque sapienter et constanter obstitisti, quae ab isto Magno Badarum Ducatu propositae fuere circo popularium scholarum reformationem, quaeque maximam christianae educationi perniciem afferunt, et veneranda Ecclesiae in tanto negotio iura omnino destruunt. Ac persuasissimum Nobis est, Te nihil unquam inexpertum esse relicturum, ut eiusdem Ecclesiae iura impavide defendas, atque ab adolescentium institutione, et educatione diligentissime removeas quidquid fidei firmitatem vel leviter turbare, labefactare aut religiosam eorumdem conscientiam corrumpere, morumque honestatem contaminare possit, quae unice a fide nostra sanctissima producitur, alitur, et augetur. Summa vero afficimur consolatione, cum istius Tuae Dioecesis Clerus suae vocationis et officii probe memor una Tecum suam omnem in Ecclesiae, eiusque catholici populi iuribus tutandis operam impendat. Nec minori gaudio perfundimur, propterea quod iste fidelis populus optime sentiens de catholica suae prolis educatione, nihil antiquius habeat, quam ut eadem proles omnino instituatur in scholis, quae a catholica dirigantur Ecclesia. Iam vero levantes oculos Nostros ad Dominum Deum Nostrum, ab Ipso humiliter enixeque exposcimus, ut in abundantia divinae suae gratiae Tibi, Venerabilis Frater, et isti Clero populoque fideli semper propitius adesse velit, quo omnes caelesti ope roborati pro Ecclesiae suae sanctae causa sub Tuo ductu strenue dimicare pergant. Atque superni huius praesidii auspicem, et peculiaris, qua Te in Domino complectimur, benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Tibi ipsi, Venerabilis Frater, cunctisque Clericis Laicisque fidelibus Tuae vigilantiae concreditis peramanter impertimus

Datum Romae apud S. Petrum die 14 Iulii Anno 1864.
Pontificatus Nostri Anno Decimonono. PIVS PP. IX.

XIII.

VENERABILI FRATRI GEORGIO,

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI, LUTETIAM PARISIORUM.

PIUS PP. IX.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Ex Epistola quam manu Nostra exaratam, die 24 mensis Novembris, anno proxime superiore ad Te dedimus, perfacile noscere potuisti, Venerabilis Frater, Paternam Nostram in Te benevolentiam. Ea profecto spe nitebamur fore ut illis amantis Nostri in Te animi sensibus permotus, velles Nostrae erga Te dilectioni studiosissime respondere, Nostrisque desideriis perlibenter obsecundare, Tuamque erga Nos et hanc Petri Cathedram Observantiam ac Devotionem luculenter ostendere, veluti Catholicum Antistitem omnino decet. Atque eo magis id sperabamus quod cum ad istam Parisiensem Archiepiscopalem Ecclesiam fuisti designatus, Tuas ad Nos litteras perferendas curasti, quibus profitebaris Te nobis et huic Apostolicae Sedi esse addictissimum et summa Nos eamdemque Sedem reverentia colere. Hac igitur spe freti, in commemorata Nostra Epistola ne verbum quidem facere existimavimus de Tuis litteris, Kalendis mensis septembris, eodem superiore anno datis quibus respondisti Nostrae Epistolae, die 26 aprilis eiusdem anni tibi scriptae, circa aliquas res ad istam Tuam Dioecesim pertinentes; quae Tuae litterae non leviter Nobis admirationi et tristitiae fuerunt, cum ex illis, praeter omnem expectationem Nostram intellexerimus Te eas habere opiniones quae divino Romani Pontificis in universam Ecclesiam Primatui omnino adversantur.

Et sane asserere non dubitas Romani Pontificis Potestatem in Episcopales dioeceses nec *ordinariam* nec *immediatam* esse. Opinaris Romanum Pontificem tunc dumtaxat in alienam Dioecesim posse suam interponere auctoritatem quando dioecesis ipsa ita aperte sit inordinata ac perturbata ut Summi Pontificis interventus sit unicum remedium quo animarum saluti et Pastorum negligentiae consulatur. Divinum autem ius, ex quo Episcopus est solus in sua dioecesi Judex, minime recognosci arbitraris, cum Summus Pontifex extra commemoratum evidentis necessitatis casum Sese dioecesis negotiis commiscet. Atque existimas dioecesim canonice erectam in qua Hierarchia est constituta, in missionum regiones converti, si Romanus Pontifex extra praedictum casum, Suam Potestatem erga dioecesim exerceat. Insuper, in sermone potissimum a Te ad istum Senatum habito, affirmasti abusum esse, appellationes ad hanc Apostolicam Sedem, et oppugnas ius quo singuli fideles potiuntur appellandi ad Summum Pontificem, et inquis id impedire ac prope impossibilem reddere dioecesis administrationem.

Dum vero hanc doctrinam manifestare minime haesitas, clare aperteque declaras quibus modis uti velis ad eam firmiter servandam. Namque significas Tibi in animo esse totis viribus obsistere et curare ne directus Romani Pontificis interventus extra saepe repetitum necessitatis casum locum habeat, asserens Regularium et istius Nunciaturae et Romanarum Congregationum agendi rationem eo spectare ut Summi Pontificis interventus directe in dioeceses inducatur. Ac praeterea ais Te velle, tum alios Venerabiles fratres Galliae Sacrorum Antistites excitare ut una Tecum conspirent, tum ad vulgus appellare apta adhibita iustructione.

Eodem autem sermone a Te penes istum Senatum recitato haud veritus es varios in medium proferre modos supremae Romani Pontificis et Apostolicae huius Sedis Auctoritati maxime contrarios, retinendi scilicet Apostolicas Litteras, illasque civilis Auctoritas arbitrio placitoque subiiciendi, et confugiendi ad laicam Potestatem. Quo sermone, typis in lucem deinde edito, verba etiam faciens de articulis organicis, quamdam eisdem auctoritatem et reverentiam deferendam censuisti, utpote respondentibus praeexistenti et graviori Societatis conditioni ac necessitati, cum haud ignores quomodo Apostolica Sedes contra eosdem articulos a laica Potestate editos et Catholicae Ecclesiae doctrinae eiusque iuribus ac libertati adversos, protestari numquam omiserit.

Equidem, Venerabilis Frater, nunquam credere potuissemus Te hisce sensibus esse animatum, nisi illos ex praedictis Tuis Litteris mense septembri ad nos datis, et ex memorato Tuo sermone, cum summo animi Nostri dolore agnovissemus. Non possumus enim non vehementer dolere et angi, cum praeter omnem opinionem cogitationemque Nostram, hac tua sentiendi agendique ratione videaris favere falsis et erroneis Febronii doctrinis, quas, uti noscis, haec Sancta Sedes reprobavit, damnavit, et catholici scriptores doctissimis operibus reprobarunt et profligarunt. Ac per te ipse, perfacile intelligere potes, Venerabilis Frater, quanta afficiamur admiratione, dum animo reputamus eas a Te proferri sententias, quae Catholicae Doctrinae repugnant et a quibus iccirco, ut Ecclesiae Catholicae Antistes, vel maxime abhorrere debes.

Et quidem asserendo Romani pontificis Potestatem in singulas diocceses non esse *Ordinariam* sed *Extraordinariam*, propositionem enuntias omnino adversam Concilii IV Lateranensis Definitioni, in qua luculentissima ac decretoria illa leguntur verba: « Romana Ecclesia, disponente Domino, « super omnes alias Ordinariae Potestatis obtinet Principatum, utpote « Mater Universorum Christi Fidelium, et Magistra (Conc. Lat. IV cap. 5.) » scilicet eorum omnium qui pertinent ad Christi Gregem Quae gravissima eiusdem Concilii verba, Tibi apprime nota ac perspecta esse debent, Venerabilis Frater. Neque ignorare potes eamdem Tuam propositionem plane contrariam esse constanti usui et doctrinae ab Universali Catholica Ecclesia, omnibusque eius Episcopis cum omni veneratione exceptae ac traditae secundum quam, tum praeteritis aetatibus, Ecclesia semper tenuit ac docuit,

et docet ac tenet Divina illa Verba « pasce Agnos meos, pasce Oves meas » Beatissimo Apostolorum Principi ita a Christo Domino dicta fuisse, ut eorumdem verborum vi, omnes et singuli fideles Petro, eiusque Successoribus velut Supremis et Ordinariis totius Ecclesiae, omniumque Sacrorum Antistitibus immediate subiecti esse deberent, sicut ipsi Christo Domino, cuius Romanus Pontifex verus est his in terris Vicarius ac totius Ecclesiae Caput omniumque Christianorum Pater et Doctor.

Non parum autem miramur, cum, quin forsitan animadverteris, ex Febronianis placitis sentias, ex commemorata doctrina, dioeceses in missionum regiones et Episcopos in Vicarios Apostolicos converti, cum omnes cognoscant a Catholicis merito responderi, id tam esse falsum quam falsum est asserere in civili ordine, Ordinarios provinciarum Praefectos, Iudices, aliosque Magistratus non posse amplius nominari Magistratus Ordinarios, propterea quod Rex vel Imperator Directa seu Immediata et Ordinaria Potestate in singulos sibi subditos potiuntur. Qua aptissima sane similitudine utitur Doctor Angelicus cum inquit: « Papa habet plenitudi-« nem Pontificalis Potestatis, quasi Rex in Regno; sed Episcopi assu-« muntur in partem sollicitudinis, quasi Iudices singulis civitatibus prae-« positi (S. Th., in IV, d. 20, a. 4, q. 3). »

Atque etiam non possumus non mirari Te, Venerabilis Fratrer, queri de petitionibus et appellationibus quae ad Romanum Pontificem deferuntur, quaeque ab Ipso excipiuntur, quandoquidem, uti Catholicus Antistes, scire optime debes, appellationum ius ad Apostolicam Sedem, veluti inquit Immortalis Memoriae Benedictus XIV Decessor noster, « adeo necessario « connexum, cum Romani Pontificis in Universam Ecclesiam Iurisdictionis « Primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc « velit praefracte inficiari (Bend. XIV, de Synodo dioec., lib. IV, cap. « 5). » Quod quidem ius adeo omnibus fidelibus notum est ut S. Gelasius Praedecessor item Noster (Epist. 7 ad Episc. Sardin.) scriberet: « Cuncta « per Mundum novit Ecclesia quoniam quorumlibet Sententiis ligata Pon-« tificum, Sedes Beati Petri Apostoli, fas habeat resolvendi, utpote quod « de omni Ecclesia ius habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat « iudicare iudicio; si quidem ad Illam de qualibet mundi parte Canones « appellari voluerint, ab Illa autem nemo sit appellare permissus. »

Hinc admirationem moves, cum affirmas huiusmodi Apostolicae Sedis morem excipiendi eorum querelas, qui ab Episcoporum Iudicio ad eamdem Sedem appellant, Tibi impossibilem reddere Tuae dioecesis administrationem. Talis enim impossibilitas a nullo Catholicae Ecclesiae Episcoporum tum praesenti tum superioribus aetatibus fuit unquam cognita. Quod si eiusmodi impossibilitas a Te asserta existere unquam posset, eam Romanus Pontifex sentire deberet qui gravissima omnium Ecclesiarum sollicitudine distentus omnium dioeceseon petitiones excipere, easque accurate examinare ac dirimere tenetur: numquam vero simplex Episcopus qui de propriae dioecesis factis tantum respondere debet, quae totius Catholicae Ecclesiae exigua pars est.

Atque huiusmodi Tuae quaerimoniae contra appellationum ius ad Romanum Pontificem et contra ordinariam ac directam eiusdem Pontificis in omnes dioceses iurisdictionem, eo maiorem excitant admirationem, quod omnis religiosae mentis Episcopus ex eodem iure ac iurisdictione, veluti per Te ipse noscere potes, Venerabilis Frater, maximum solatium, consolationem ac robur percipit coram Deo et Ecclesia et coram ipsis Ecclesiae hostibus. Et quidem coram Deo : propterea quod, dum ex parte se a reddenda villicationis suae ratione eximit, salutari Apostolicae Sedis lumine perfusus, magis in dies dirigitur ad suam dioecesim prospere administrandam ; coram Ecclesia : nam hoc facto eam maiore usque coniunctione ac firmitate et regiminis unitate vigere et florescere videt : coram ipsius Ecclesiae inimicis : propterea quod contra ipsos hac ratione Episcopus fortior et constantior evadit. Omnibus enim probatum exploratumque est Episcopum, non solum debilem, verum etiam adversariorum ludibrium tunc maiorem in modum fieri, cum ipse minus adhaeret immobili illi. Petrae super quam Christus Dominus suam aedificavit Ecclesiam et adversus quam inferi portae nunquam praevalituras esse promisit.

Quod autem declaras Te velle resistere, aliosque Galliarum episcopos commovere et ad vulgus appellare, vides profecto hisce seditiosis sane modis a Febronio contra Apostolicam Sedem propositis, et Ipsum Divinum Ecclesiae constitutionis Auctorem graviter offendi et maximam tum tuis Collegis, tum catholico Galliarum populo iniuriam inferri.

Jam vero, de Regularium quaestione loquentes, scias imprimis velimus, Regulares ipsos nihil omnino ad Nos detulisse, cum visitationem a Te ipsis factam aliunde noverimus. Hac de re praedictis Nostris Litteris, die 26 aprilis datis, Te amanter monuimus : et idem Nostrum monitum sibi *sententiam* appellare placet, *parte inaudita* latam : et inquis, id esse contra iuris praesumptionem, quam semper pro Superiore stare existimas, quando inter Superiorem et inferiorem, veluti sunt Regulares, habito ad Te respectu, agitur controversia.

Vix credere possumus id a Te dici, Venerabilis Frater, cum notissimus sit Tibi liber Decretalium Praedecessorum Nostrorum, et iccirco scias, omni semper aetate, hoc in more positum fuisse Romanorum Pontificum, ut cum audirent aliquid ab Episcopo quolibet minus recti specie peractum, ad Eumdem libere scripserint exprimendo aegritudinem. Et quam plurimi existunt Canones incipientes illis verbis : « Relatum... Quaerelam... Ad « audientiam... Ad Nostram audientiam... Ad aures... etc. » Neque Episcopi, huiusmodi Romanorum Pontificum Litteras unquam acceperunt veluti *sententias, inaudita parte editas*, neque unquam indignati sunt ; sed easdem Litteras eo quo scriptae fuerant sensu exceperunt, scilicet tanquam invitationes, vel ad comprobandam rem a se peractam, vel ad recognoscendum malefactum, illudque reparandum. Diversa agendi ratio nimis difficile Christi in terris Vicario redderet totius Ecclesiae Regimen, et Episcopali mansuetudini haud satis esset consentanea.

In plures autem ambiguitates Te incidisse dolemus, Venerabilis Frater, quoad Regulariam negotium. Nam, pro Tua prudentia, primum serio consideres velimus hic agi de Episcopali visitatione, tum Religiosis Societatis Jesu, tum Franciscalis Ordinis Capucinorum viris facta qui pluribus abhinc annis in ista Parisiensi civitate, et sub variis Archiepiscopis Tuis Praedecessoribus commorantes, pacifica eorum exemptionis possessione potiebantur ; et proinde Apostolica etiam Sedes peculiari seu privativa sua in ipsos Jurisdictione pollebat. Itaque de spolio agitur per factum patrato contra possessionem quam Apostolica Sedes et Regulares habebant. Hic verus est quaestionis status, ex quo perfacile perspicis Apostolicam Sedem juste egisse, etiam si placeret in Judicium Sententiamque convertere verba illa quibus Te monendum duximus. Etenim, Venerabilis Frater, quamquam plenam haberes rationem, tamen minime ignoras ex utriusque juris praescripto, neminem de possessione deturbari posse. Quamobrem antequam Regulares et Apostolicam Sedem propria possessione ac Jure spoliares, Tuum erat, tum reverentiae, tum iustitiae causa, eamdem Sedem de Tuis rationibus certiorem facere, et ab eadem Sede expectare responsum. Quae Apostolica Sedes justissime est operata, quandoquidem apprime noscis quod intercedat discrimen inter *judicium petitorium* et *possessorium judicium*, ac quae utrumque jus praecipue statuat circa cujusque generis spoliorum et ausuum judicia. Vehementer optamus, Venerabilis Frater ut id pro Tua prudentia sedulo considerare et intelligere velis.

Arbitraris autem Apostolicam Sedem ex praesumptionis jure, pro Superiore semper stare debere, quando inter dispares gradu quaesitio habetur, ac regulam proponis illi longe dissimilem quam Sanctus Bernardus Innocentio II Decessori Nostro proposuit illis verbis : « Hoc, inter caete-« ra Vestri singularis primatus insignia specialius nobiliusque nobilitat, Ve-« stum et inclytum reddit Apostolatum, si eripitis pauperem de manu for-« tiorum ejus (S. Bernardus Epist. 198) ».

At contendis Religiosas familias, Lutetiae Parisiorum degentes, haud posse perfrui exemptionis juribus, propterea quod ipsae, veluti Tibi videtur tres ob causas, non sunt canonice erectae. Et primum, quia istius Status leges non tribuunt Regularibus legitimam existentiam, secundo propterea quod ipsae leges non sinunt Regularium domos alicujus dominium rei et possessionem habere, ex quo evenit ut minime possit executioni mandari quod Apostolicae jubent Constitutiones, quae praescribunt ut ante fundationem omnino constet quomodo se decenter sustentare queant; ac denique propterea quod Tridentina Synodus et Romanorum Pontificum Constitutione, ad Canonicam Regularium in dioecesibus existentiam requirunt, Episcopi consensum, quem asseris nunquam impertitum fuisse Regularibus de quibus sermo est Atque etiam asseris praecedentis existentiae factum nullomodo canonicum eorumdem Regularium statum efficere posse: non titulo implicitae approbationis, quandoquidem Pontificiae Constitutiones et Concilium Tridentinum postulant, veluti opinaris, ut hujusmodi Episcopi consensus, et auctoritas sit expressa et scripto data, ante Regularium

adventum; non titulo praescriptionis, propterea quod ais agi de Lege irritante ac de Lege publici Ordinis quae, uti existimas, praescriptionem haud admittunt. Sed non dubitamus, quin per Te ipse cognoscas, Venerabilis Frater, hujusmodi argumenta nullam plane vim habere, si, pro Tua intelligentia, serio perpendas quae dicturi sumus quaeque a Te sedulo considerari summopere cupimus.

Et sane quod leges Status quae legitimam seu civilem Regularibus Ordinibus existentiam denegant et vetant illorum domos alicujus possessionis dominio potiri, et ita impediunt quominus impleatur conditio a Canonicis Sanctionibus eorumdem fundationi imposita, ut nempe constet quomodo se cum decentia alant; quid valere unquam possunt hujusmodi Civiles Leges ad Ecclesiasticorum jurium rationem administrationemque? Te minime latet eas Civilis Status Leges, hisce praesertim turbulentissimis, miserrimisque teterrimae ac perniciosissimae rebellionis temporibus, posse etiam Episcopalibus et cuilibet alii Ecclesiasticae Institutionis denegare in dies legitimam seu civilem existentiam, quemadmodum ipsis omnem cujusque rei possessionem dominiumque injustissime denegant. Ipsis igitur canonica existentia et propria eorum Ecclesiastica jura erunt unquam deneganda? Probe cognoscis Evangelicorum consiliorum exercitium, ad Christianam assequendam perfectionem maxime necessarium, facilius in Religionis Familiis obtineri posse. Poterunt ne Civiles Leges christianae perfectionis exercitium in statu impedire, et Episcopi ejusmodi legibus canonicam vim attribuere debebunt? Omnes quidem, et Episcopi imprimis, cognoscunt quae semper fuerit ecclesiae et hujus Apostolicae praesertim Sedis, omnium Ecclesiarum Magistrae agendi ratio circa hujusmodi Leges Regularibus Ordinibus inimicas et infestas. Episcopus igitur posset-ne ab hujusmodi traditione discedere, ac deserere locum quem in Ecclesia tenet, hasce leges sancire eisque coram Ecclesia aliquem attribuere effectum? Quae quidem considerationes evidenter ostendunt quam inanis sit oppositio ex ejusmodi civilibus legibus petita.

Quod autem hae leges per summam injustitiam decernunt Religiosas domos nihil omnino posse dominii jure possidere, et iccirco censes haud posse impleri conditionem ac Sacris Canonibus Regularium fundationi praescriptam, ut nempe constet de eorum decenti sustentatione, vi eorumdem, quos appellas Canonum, spiritum et litteram penitus et accurate perspexeris, Venerabilis Frater, certe videbis te falli ac decipi. Etenim quidnam Canones postulant praescribendo illam conditionem? Nihil profecto aliud exigunt et volunt nisi eorumdem Regularium bonum tum singulorum tum recti praesertim cujusque Religiosae Familiae regiminis et administrationis ratione habita. Itaque cum omnino impossibile ipsis sit illam exequi conditionem, qua aequitate posset in eorumdem damnum verti quod pro ipsorum bono est constitutum? Notissimae Tibi sunt de hac re non solum Canonum (Cap. Quod ob gratiam de Reg. juris in 6) sed etiam Civilium legum regulae. (Leg. null. 25 ff. de legit.): « Nulla juris ratio aut aequi-« tatis benignitas patitur ut quae salubriter pro utilitate hominum intro-

« ducuntur ea Nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum pro-
« ducamus ad severitatem ».

Si autem Canonum litteras inspicias, num ipsi praecipiunt ut Regulares quemadmodum Tibi videtur, possessionibus duntaxat eorum dominii aiantur et sustententur? Non certe. Hi Canones sunt: Constitutio « *Cum alias* » Gregorii XV Decessoris Nostri, die 17 aug. 1622 edita: Constitutio « *Cum saepe* » Urbani VIII item Decessoris Nostri, die 21 junii 1625, et Constitutio « *Nuper* » Innocentii XII item Decessoris Nostri, die 23 decembris 1697. Ac satis erit eam afferre quae recentior est aliasque duas complectitur. Haec igitur Constitutio ita loquitur: « Deinceps vero mona-
« sterium conventus, domus, etc..... Regularium nullibi recipiatur nisi in
« singulis hujusmodi locis duodecim saltem religiosi degere et ex *red-*
« *ditibus et consuetis eleemosynis*, detractis detraendis, competenter su-
« stentari valeant. » Itaque Canones minime loquuntur unice de possessionibus, sed generatim de redditibus et eleemosynis contenti sunt.

Sed jam loquamur oportet de alia conditione seu de Episcopali venia et consensu quem Tridentina Synodus et Pontificiae Constitutiones ad canonicam Regularium domorum existentiam constituendam requirunt. Nemo certe, Venerabilis Frater, de hujusmodi Episcopalis consensus necessitate dubitare potest, sed in praesenti quaestione est videndum, si hic consensus sufficienti modo extiterit. Ac rebus omnibus sedulo examinatis, qua aequitate negari unquam poterit ejusmodi extitisse consensum? Et sane, ut caetera omittamus, omnes norunt, Venerabilis Frater, commemoratos Religiosos tum Franciscalis Ordinis, tum Societatis Jesu viros reipsa plures abhinc annos istic extitisse sub variis Parisiensibus Antistitibus Tuis Praedecessoribus, qui eorumdem Regularium opera ad Animarum Salutem curandam, et ad omnia Sacri Ministerii munia obeunda quam libentissime usi sunt, quique eosdem Regulares omnibus benevolentiae et honoris significationibus sunt prosecuti. Quae tuorum Praedecessorum erga ipsos regulares agendi ratio clare ostendit canonicum consensum sufficienti modo expressum fuisse, illumque negari haud posse, quin maxima Tuis ipsis Praedecessoribus inferatur injuria. Atque percommode cadit quod (de institut. cap. « non amplius ») Fagnanus auctor aequalis et etiam posterior Urbano VIII aliisque Romanis Pontificibus a Te appellatis et illarum Canonicarum Constitutionum quas recenses scientissimus scribebat, quin nemo unquam vel antea vel postea adversatus fuerit: « Glossa ultima in cap. de Monachis quaest. 2. ponderando verbum *probante* notat « satis esse ut Episcopi Consensus accedat « post erectionem quia ratihabitione potest confirmare » et consentiut ibi Hugo Archidiaconus et alii ». Et revera aliter esse non potest cum ita aequitas exigat, et, quemadmodum jurisperiti loquuntur, facta potentiora sunt verbis.

Ex quo pro Tua sapientia intelligis nullum pondus habere tuam animadversionem ex Urbani VIII Constitutione deductam, ut scilicet Ordinarii venia *expressa* esse debeat et non *implicita* aut *praesumpta*, voluit

existimas, quoniam non minus id exprimitur quod certis, evidentibus et longa annorum serie continuatis factis exprimitur, quam quod verbis etiam scripto exprimitur. Ac multo minus valet alia animadversio, ut scilicet haec Episcopalis Venia scripto sit tradenda, propterea quod non solum facta potentiora sunt verbis et scriptis, verum etiam propterea quod nulla Canonica Constitutio hanc scripti conditionem statuit. Neque afferri potest argumentum a Concilio Tridentino depromptum, ut scilicet Ordinarii Consensus fundationem praecedere debeat. Nam Te minime latet, hunc esse proprium, naturalem et iuridicum omnis ratihabitionis quae ex sequentibus factis oritur effectum, sanandi scilicet defectum illius actus qui recte praecedere debuisset. Nihil autem ad praesentem quaestionem attinet quod de prescriptione loqueris, cum nemo prorsus intendat aut velit Ordinarii consensum per praescriptionem excludere, sed unice dicitur huiusmodi consensum, tot factis, ac longa annorum serie amplissime declaratum, sine dubio ac sufficienti modo existere, ac non solum haud posse eumdem negari consensum, verum etiam pro certo haberi debere illum omni meliore forma extitisse.

Jam vero dum haec praedictis Tuis potissimum litteris, Kalendis septembris ad nos missis rescribenda Tibique diligenter consideranda esse censemus, haud possumus, quin alia quoque non levis certe momenti Tibi significemus. Namque dissimulare non possumus, Venerabilis Frater, summam fuisse Nostram molestiam admirationemque ubi accepimus Te exequiis interfuisse Magni utriusque militiae Magistri Magnam et Solemnem Absolutionem fuisse impertitum, dum ex illius feretro Massonica etiam extabant insignia, et eidem funeri socii illius damnatae sectae cum eisdem insignibus adsistebant. Tuis litteris, die 1 proximi mensis augusti ad Nos scriptis, asseveras illa insignia nec a Te nec a Tuis Presbyteris visa fuisse, neque ea ullo modo a Te cognosci. Verum optime sciebas, Venerabilis Frater, illum defunctum virum, dum vixit, *Magni* uti appellant *Orientis* munus proscriptae eiusdem sectae misere sustinuisse; et iccirco facile praevidendum erat eiusdem sectae socios illi funeri esse interfuturos ac simul curaturos ut ipsius sectae insignia ostentarentur. Itaque pro Tua Religione omnia Tibi erant sedulo consideranda et omnino ab illis exequiis cavendum ne Tua praesentia et opera excitarentur gravissima illa admiratio et offensio qua omnes viri Catholici merito affecti fuerunt.

Etenim haud ignoras quomodo, gravibus etiam irrogatis poenis, *Massonica* aliaeque huiusmodi iniquitatis societates a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris et a Nobis ipsis damnatae fuerunt (Clemens XII Constitut. « In eminenti, » Benedictus XIV « Providens, » Pius VII « Ecclesiam, » Leo XII « Quo graviora, » Nostra Encyclica Ep., die 9 novembris 1846, et alibi). Siquidem huiusmodi impietatis sectae, nomine licet diversae, tamen nefario scelestissimorum foedere inter se coniunctae, ac teterrimo contra Sacrosanctam Nostram Religionem et hanc Apostolicam Sedem odio inflammatae, tum pestiferis scriptis longe lateque disseminatis, tum pravis aliis quibusque ac diabolicis prorsus artibus adhi-

bitis omnium mores mentesque corrumpere omnemque Honestatis, Virtutis, Veritatis ac Justitiae ideam de medio tollere, monstrosa opinionum portenta usquequaque spargere, et abominanda quaeque vitia, et infanda scelera fovere, propagare et Legitimae cuiusque Auctoritatis Imperium labefactare, et Catholicam Ecclesiam, si fieri unquam posset, Civilemque Societatem, funditus evertere, et Deum ipsum de Coelo detrudere emoliuntur.

Nunc autem silentio praeterire non possumus ad aures Nostras pervenisse istic erroneam aeque ac perniciosam invaluisse opinionem, Apostolicae Huius Sedis acta nullam parere obligationem, nisi acta ipsa Civilis Potestatis venia, executioni fuerint mandata. Quod quidem quam erroneum et Ecclesiae atque Apostolicae Sedis Auctoritati iniuriosum et Spirituali fidelium bono adversum sit, nemo certe non videt. Suprema enim Ecclesiae eiusdemque Sedis Auctoritas Civilis Potestatis imperio et arbitrio obnoxia nullo modo esse unquam potest in iis omnium quae Ecclesiasticas res ac Spirituale Animarum Regimen quavis ratione spectant; et illi omnes qui Catholico Nomine gloriantur eidem Ecclesiae et Apostolicae Sedi religiosissime obtemperare, debitamque reverentiam ac devotionem exhibere omnino tenentur.

Atque hic animadvertas velimus Te, in commemorato sermone penes istum Senatum pronunciato, perperam asseruisse a Felicis Memoriae Benedicto XIV Praedecessore Nostro, in Conventione cum Sardiniae Rege inita, eidem Regi concessum fuisse Regiae executionis ius circa Pontificia Acta, quandoquidem affirmasti in instructione eidem Conventioni adiecta dici: « Pontificias Constitutiones ad disciplinam pertinentes subiiciendas « esse illius Senatus recognitioni, easque Regia executione indigere, ut « obligandi vim habeant, exceptis constitutionibus et Apostolicis Litteris quae « ad Dogma Moresque spectant. » Quae falsa sane assertim nunquam fortasse ex ore Tuo excidisset, Venerabilis Frater, si ante oculos habuisse diligenterque attendisses eiusdem instructionis verba. Et requidem vera in articulo III illius instructionis haec verba leguntur:

« Nel concordato col Pontefice Benedetto (XIII) trattossi dell' esecu-
« zione de' Brevi e Bolle apostoliche, come può leggersi nello stesso
« Concordato. Fu tollerata la simplice visura, senza porre alcun segno,
« o fare alcun decreto in ordine all'esecuzione sopra dette Bolle e Brevi;
« e si sa che tutto ciò è stato fedelmente adempito. E benchè si dica
« con ogni asseveranza, e si creda, che nè il Senato, nè verun altro tri-
« bunale non ha assunta ad istanza di chi si sia la cognizione sovra la
« giustizia o pretesa ingiustizia delle Bolle o de' Brevi, desiderandosi nul-
« ladimeno, che il tutto mai sempre proceda con una perfetta armonia,
« quando mai s' incontrasse qualche difficoltà contraria all' esecuzione della
« Bolla o del Breve, e si bramasse di saperne i motivi, dovranno i Mini-
« stri di sua Maestà, con i chiarimenti bastevoli per appagare, informarne
« o il Ministro della Santa Sede residente in Torino, oppure i Ministri
« Apostolici residenti in Roma. Dalla simplice visura poi resteranno eccet-
« tuate le Bolle dogmatiche in materia di fede, le Bolle e i Brevi rego-
« lativi del ben vivere e dei santi costumi, le Bolle de' giubbilei e d' in-

« dulgenze, i Brevi della sacra Penitenzieria, e le lettere delle Sagre « Congregazioni di Roma, che si scrivono agli Ordinarii, o ad altre per- « sone per informazione. »

Atque eiusmodi circa Regiae executionis veniam dispositiones nunquam immutatae fuerunt in posterioribus Conventionibus inter hanc Apostolicam Sedem et Sardiniae Regem initis, et in Conventione a recentis memoriae Gregorio XVI Praedecessore Nostro cum defuncto Sardiniae Rege Carolo Alberto super *immunitati personali* anno 1842 facta, ad pleuum vigorem revocatae fuerunt praecedentes Conventiones in iis omnibus quibus per eamdem Conventionem non fuit derogatum.

Tibi autem persuade, Venerabilis Frater, Nos haec omnia pro Supremi Nostri Apostolici Ministerii Munere ac pro Pontificia Nostra in Te dilectione manifestare debuisse; ac futurum plane confidimus ut pro Tua Religione velis haec omnia Amantissima Nostra Monita ac Documenta quam libentissime excipere, iisdemque studiosissime obsequi, firmiterque adhaerere, ac germanam Catholicae Ecclesiae Doctrinam et Jura strenue tueri; debitamque erga Apostolicam hanc Sedem et Christi his in terris Vicarium Devotionem et Obedientiam omnibus inculcare et omnes boni Pastoris partes quotidie magis explere in hac praesertim tanta temporum iniquitate. Pro certo etiam habe Te apud Nos in pretio et honore esse et a nobis vehementer diligi. Atque praecipuae huius Nostrae in Te benevolentiae testem et omnium Coelestium Munerum auspicem esse Volumus Apostolicam Benedictionem, quam toto cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et Gregi Tuae curae commisso, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 26 octobris anno 1865, Pontificatus Nostri anno vicesimo.

PIUS PP. IX.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE POLITICO PRINCIPATU

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Diuturnum illud teterrimumque bellum, adversus divinam Ecclesiae auctoritatem susceptum, illuc, quo proclive erat, evasit; videlicet in commune periculum societatis humanae, ac nominatim civilis principatus, in quo salus publica maxime nititur. — Quod hac potissimum aetate nostra factum esse apparet Cupiditates enim populares quamlibet imperii vim audacius hodie recusant, quam antea; et tanta est passim licentia, tam crebrae seditiones ac turbae, ut iis qui res publicas gerunt non solum denegata saepe obtemperatio, sed ne satis quidem tutum incolumitatis praesidium relictum esse videatur. Diu quidem data est opera, ut illi in contemptum atque odium venirent multitudini, conceptaeque flammis invidiae jam erumpentibus, satis exiguo intervallo summorum principum vita pluries est aut occultis insidiis aut apertis latrociniis ad internecionem expetita. Cohorruit tota nuper Europa ad potentissimi Imperatoris infandam necem: attonitisque adhuc prae sceleris magnitudine animis, non verentur perditi homines in ceteros Europae principes minas terroresque vulgo jactare.

Haec, quae sunt ante oculos, communium rerum discrimina, gravi Nos sollicitudine afficiunt, cum securitatem principum et tranquillitatem imperiorum una cum populorum salute propemodum in singulas horas periclitantem intueamur. — Atqui tamen religionis christianae divina virtus stabilitatis atque ordinis egregia firmamenta reipublicae peperit, simul ac in mores et instituta civitatum penetravit. Cujus virtutis non exiguus neque postremus fructus est aequa et sapiens in principibus et populis temperatio jurium atque officiorum. Nam in Christi Domini praeceptis atque exemplis mira vis est ad continendos tam qui parent, quam qui imperant in officio, tuendamque inter ipsos eam, quae maxime secundum naturam est, conspirationem et quasi concentum voluntatum, unde gignitur tranquillus atque omni perturbatione carens rerum publicarum cursus. — Quapropter cum regendae Ecclesiae catholicae, doctrinarum Christi custodi et interpreti, Dei beneficio praepositi simus, auctoritatis Nostrae esse judicamus, Venerabiles Fratres, publice commemorare quid a quoquam in hoc genere officii catholica veritas exigat; unde illud etiam emerget, qua via et qua ratione sit in tam formidoloso rerum statu saluti publicae consulendum.

Etsi homo arrogantia quadam et contumacia incitatus frenos imperii depellere saepe contendit, numquam tamen assequi potuit ut nemini pareret. Praecesse aliquos in omni consociatione hominum et communitate cogit ipsa necessitas; ne principio vel capite, a quo regatur, destituta societas dilabatur et finem consequi prohibeatur, cujus gratia nata et constituta est. — Verum si fieri non potuit, ut e mediis civitatibus politica potestas tolleretur, certe libuit omnes artes adhibere ad vim ejus elevandam, majestatemque minuendam : idque maxime saeculo XVI, cum infesta opinionum novitas complures infatuavit. Post illud tempus non solum ministrari sibi libertatem largius, quam par esset, multitudo contendit ; sed etiam originem constitutionemque civilis hominum societatis visum est pro arbitrio confingere. Immo recentiores perplures, eorum vestigiis ingredientes qui sibi superiore saeculo philosophorum nomen inscripserunt, omnem inquiunt potestatem a populo esse; quare qui eam in civitate gerunt, ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege, ut populi ipsius voluntate, a quo mandata est, revocari possit. Ab his vero dissentiunt catholici homines, qui jus imperandi a Deo repetunt, velut a naturali necessarioque principio.

Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam caussis voluntate judicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delecto designatur princeps, non conferuntur jura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum. — Neque hic quaeritur de rerum publicarum modis: nihil enim est, cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo justus sit, et in communem utilitatem intentus. Quamobrem salva justitia, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio, aut majorum institutis moribusque magis apte conveniat.

Ceterum ad politicum imperium quod attinet, illud a Deo proficisci recte docet Ecclesia; id enim ipsa reperit sacris Litteris et monumentis christianae vetustatis aperte testatum; neque praeterea ulla potest doctrina cogitari, quae sit magis aut rationi conveniens, aut principum et populorum saluti consentanea.

Revera humani potentatus in Deo esse fontem libri Veteris Testamenti pluribus locis praeclare confirmant. *Per me reges regnant .... per me principes imperant et potentes decernunt justitiam* (1) Atque alibi: *Praebete aures vos qui continetis nationes.... quoniam data est a Deo potestas vobis, et virtus ab Altissimo* (2). Quod libro Ecclesiastici idem continetur : *In unumquamque gentem Deus praeposuit rectorem* (3). — Ista tamen, quae Deo auctore didicerant, paullatim homines ab ethnica superstitione dedocti sunt; quae sicut veras rerum species et notiones complures, ita etiam principatus germanam formam pulchritudinemque corrupit. Postmodo, ubi Evangelium christianum affulsit, veritati vanitas cessit,

(1) Prov. VIII, 15, 16.
(2) Sap. VI, 3, 4.
(3) Eccli. XVII, 14.

rursumque illud dilucere coepit, unde omnis auctoritas manat, nobilissimum divinumque principium. — Prae se ferenti atque ostentanti Praesidi romano absolvendi condemnandi potestatem. Christus Dominus, *non haberes*, respondit, *potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper* (1). Quem locum S. Augustinus explanans, *Discamus*, inquit, *quod dixit, quod et per Apostolum docuit, quia non est potestas nisi a Deo* (2). Doctrinae enim praeceptisque Jesu Christi Apostolorum incorrupta vox resonavit tamquam imago. Ad Romanos, principum ethnicorum imperio subiectos, Pauli est excelsa et plena gravitatis sententia : *Non est potestas nisi a Deo;* ex quo tamquam ex caussa illud concludit : *Princeps Dei minister est* (3).

Ecclesiae Patres hanc ipsam, ad quam fuerant instituti, doctrinam profiteri ac propagare diligenter studuerunt *Non tribuamus*, S. Augustinus ait. *dandi regni et imperii potestatem nisi vero Deo* (4). In eamdem sententiam S. Joannes Chrysostomus, *Quod principatus sint,* inquit, *et quod alii imperent, alii subjecti sint, neque omnia casu et temere ferantur... divinae esse sapientiae dico* (5). Id ipsum S. Gregorius Magnus testatus est inquiens : *Potestatem imperatoribus ac regibus coelitus data fatemur* (6). Immo sancti Doctores eadem praecepta etiam naturali rationis lumine illustranda susceperunt, ut vel iis, qui rationem solam ducem sequuntur, omnino videri recta et vera debeant. — Et sane homines in civili societate vivere natura jubet, seu verius auctor naturae Deus : quod perspicue demonstrant et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas, et innatae appetitiones animi perplures, et res necessariae multae ac magni momenti, quas solitarii assequi homines non possunt, juncti et consociati cum alteris assequuntur. Nunc vero, neque existere neque intelligi societas potest, in qua non aliquis temperet singulorum voluntates ut velut unum fiat ex pluribus, easque ad commune bonum recte atque ordine impellat : voluit igitur Deus ut in civili societate essent, qui multitudini imperarent. — Atque illud etiam magnopere valet, quod ii, quorum auctoritate respublica administratur, debent cives ita posse cogere ad parendum, ut his plane peccatum sit non parere. Nemo autem hominum habet in se aut ex se, unde possit hujusmodi imperii vinculis liberam ceterorum voluntatem constringere. Unice rerum omnium procreatori et legislatori Deo ea potestas est : quam qui exercent, tamquam a Deo secum communicatam exerceant necesse est. *Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare* (7). Quod perspicitur idem in omni genere potestatis. Eam, quae in sacerdotibus est, proficisci a Deo tam est cognitum, ut ii apud omnes populos ministri et habeantur et appellentur Dei. Similiter potestas patrumfamilias expressam retinet quamdam effigiem ac formam auctoritatis, quae est in Deo, *a quo omnis paternitas in caelis*

(1) Joan. XIX, 11.
(2) Tract. CXVI in Joan. n. 5.
(3) Ad Rom. XIII, 1, 4.
(4) De Civ. Dei, lib. V, c. 21.
(5) In epist. ad Rom homil. XXIII. n. 1.
(6) Epist lib. II, epist. 61.
(7) Jacob. IV, 12.

et in terra nominatur (1). Isto autem modo diversa genera potestatis miras inter se habent similitudines, cum quidquid uspiam est imperii et auctoritatis, eius ab uno eodemque mundi opifice et domino, qui Deus est, origo ducatur.

Qui civilem societatem a libero hominum consensu natam volunt, ipsius imperii ortum ex eodem fonte petentes, de jure suo inquiunt aliquid unumquemque cessisse, et voluntate singulos in ejus se contulisse potestatem, ad quem summa illorum jurium pervenisset. Sed magnus est error non videre, id quod manifestum est, homines, cum non sint solivagum genus, citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem communitatem esse natos: ac praeterea pactum, quod praedicant, est aperte commentitium et fictum, neque ad impertiendum valet politicae potestati tantum virium, dignitatis, firmitudinis, quantum tutela rei publicae et communes civium utilitates requirunt. Ea autem decora et praesidia universa tunc solum est habiturus principatus, si a Deo augusto sanctissimoque fonte manare intelligatur.

Qua sententia non modo verior, sed ne utilior quidem reperiri ulla potest. Etenim potestas rectorum civitatis, si quaedam est divinae potestatis communicatio, ob hanc ipsam caussam continuo adipiscitur dignitatem humana majorem: non illam quidem impiam et perabsurdam, imperatoribus ethnicis divinos honores affectantibus aliquando expetitam, sed veram et solidam, eamque dono quodam acceptam beneficioque divino. Ex quo subesse cives et dicto audientes esse principibus, uti Deo, oportebit non tam poenarum formidine, quam verecundia majestatis, neque assentationis caussa, sed conscientia officii. Qua re stabit in suo gradu longe firmius collocatum imperium. Etenim istius vim officii sentientes cives, fugiant necesse est improbitatem et contumaciam, quia sibi persuasum esse debet, qui politicae potestati resistunt, hos divinae voluntati resistere; qui honorem recusant principibus, ipsi Deo recusare.

Ad hanc disciplinam Paullus Apostolus Romanos nominatim erudiit; ad quos de adhibenda summis principibus reverentia scripsit tanta cum auctoritate et pondere, ut nihil gravius praecipi posse videatur. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (2). Et consentiens est Principis Apostolorum Petri in eodem genere praeclara sententia: *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam a Deo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei* (3).

Una illa hominibus caussa est non parendi, si quid ab iis postuletur quod cum naturali aut divino jure aperte repugnet: omnia enim, in quibus naturae lex vel Dei voluntas violatur, aeque nefas est imperare et fa-

(1) Ad Ephes. III, 15.
(2) Ad Rom. XIII, 1, 2, 5.
(3) I Petr. II, 13-15.

vere. Si cui igitur usuveniat, ut alterutrum malle cogatur, scilicet aut Dei aut principum jussa negligere, Jesu Christo parendum est reddere jubenti *quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo* (1), atque ad exemplum Apostolorum animose respondendum : *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (2). Neque tamen est, cur abjecisse obedientiam, qui ita se gerant, arguantur ; etenim si principum voluntas cum Dei pugnat voluntate et legibus, ipsi potestatis suae modum excedunt, justitiamque pervertunt : neque eorum tunc valere potest auctoritas, quae, ubi justitia non est, nulla est.

Ut autem justitia retineatur in imperio, illud magnopere interest, eos qui civitates administrant intelligere, non privati cujusquam commodo politicam potestatem esse natam, procurationemque reipublicae ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, geri oportere, Principes a Deo optimo maximo, unde sibi auctoritas data, exempla sumant ; ejusque imaginem sibi in administranda republica proponentes, populo praesint cum aequitate et fide, et ad eam, quae necessaria est, severitatem paternam caritatem adhibeant. Hujus rei caussa sacrarum Litterarum oraculis monentur, sibimetipsis Regi regum et Domino dominantium aliquando rationem esse reddendam: si officium deseruerint, fieri non posse ut Dei severitatem ulla ratione effugiant. *Altissimus interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis... horrende et cito apparebit vobis, quoniam judicium durissimum his qui praesunt fiet... Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio* (3).

Quibus praeceptis rempublicam tuentibus, omnis seditionum vel caussa vel libido tollitur: in tuto futura sunt bonos et securitas principum, quies et salus civitatum. Dignitati quoque civium optime consulitur : quibus in obedientia concessum est decus illud retinere, quod est hominis excellentiae consentaneum. Intelligunt enim, Dei judicio non esse servum neque liberum : unum esse Dominum omnium, divitem *in omnes qui invocant illum*, (4) se autem idcirco subesse et obtemperare principibus, quod imaginem quodammodo referant Dei, *cui servire regnare est.*

Hoc vero semper egit Ecclesia, ut christiana ista civilis potestatis forma non mentibus solum inhaeresceret, sed etiam publica populorum vita moribusque exprimeretur. Quamdiu ad gubernacula reipublicae imperatores ethnici sederunt, qui assurgere ad eam imperii formam, quam adumbravimus, superstitione prohibebantur, instillare illam studuit mentibus populorum, qui simul ac christiana instituta susciperent, ad haec ipsa exigere vitam suam velle debebant. Itaque pastores animarum, exempla Paulli Apostoli renovantes, cura et diligentia summa populis praecipere consue-

(1) Matth. XIII. 21.
(2) Actor. V. 29.
(3) Sap. VI. 4. 5. 6. 8. 9.
(4) Ad Rom. X. 12.

verunt, *principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire* (1) : item orare Deum pro cunctis hominibus, sed nominatim *pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt : hoc enim acceptum est coram Salvatore nostro Deo* (2). Atque ad hanc rem omnino praeclara documenta Christiani veteres reliquerunt : qui cum ab imperatoribus etnicis injustissime et crudelissime vexarentur, nunquam tamen praetermiserunt gerere se obedienter et submisse, plane ut illi crudelitate, isti obsequio certare viderentur. Tanta autem modestia, tam certa parendi voluntas plus erat cognita, quam ut obscurari per calumniam malitiamque inimicorum posset. Quamobrem qui pro christiano nomine essent apud imperatores publice caussam dicturi, ii hoc potissimum argumento iniquum esse convincebant in christianos animadvertere legibus, quod in oculis omnium convenienter legibus in exemplum viverent. Marcum Aurelium Antoninum et Lucium Aurelium Commodum filium ejus sic Athenagoras confidenter alloquebatur : *Sinitis nos, qui nihil mali patramus, immo omnium.... piissime justissimeque cum erga Deum, tum erga imperium vestrum nos gerimus exagitari, rapi, fugari* (3). Pari modo Tertullianus laudi christianis aperte dabat, quod amici essent Imperio optimi et certissimi ex omnibus : *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem, scieus a Deo suo constitui, necesse est ut ipsum diligat et revereatur et honoret et salvum velit cum toto romano imperio* (4). Neque dubitabat affirmare, in imperii finibus tanto magis numerum minui inimicorum consuevisse, quanto cresceret christianorum. *Nunc pauciores hostes habetis prae multitudine christianorum, pene omnium civitatum pene omnes cives christianos habendo?* (5). Praeclarum est quoque de eadem re testimonium in *Epistola ad Diognetum*, quae confirmat, solitos eo tempore christianos fuisse non solum inservire legibus, sed in omni officio plus etiam ac perfectius sua sponte facere, quam cogerentur facere legibus. *Christiani obsequuntur legibus, quae sancitae sunt, et suae vitae genere leges superant.*

Alia sane tum caussa erat, cum a fide christiana, aut quoquo modo aò officio deficere Imperatorum edictis ac Praetorum minis juberentur: quibus temporibus profecto displicere hominibus quam Deo maluerunt. Sed in iis ipsis rerum adjunctis tantum aberat ut quicquam seditiose facerent majestatemve imperatoriam contemnerent, ut hoc unum sibi sumerent, sese profiteri, et christianos esse et nolle mutare fidem ullo modo. Ceterum nihil de resistendo cogitabant; sed placide atque hilare sic ibant ad tortoris equuleum, ut magnitudini animi cruciatuum magnitudo concederet. — Neque absimili ratione per eadem tempora christianorum vis institutorum spectata est in militia. Erat enim militis christiani summam fortitudinem cum summo studio conjungere disciplinae militaris: animique excelsitatem immobili erga principem fide cumulare. Quod si aliquid rogaretur quod non esset honestum, uti Dei jura violare, aut in insontes Christi discipu-

(1) Ad Tit. III, 1.
(2) I Tim. II, 1-3.
(3) Legat. pro Christianis.
(4) Apolog. n. 35.
(5) Apolog. n. 37

los ferrum convertere, tunc quidem imperata facere recusabat, ita tamen ut discedere ab armis atque emori pro religione mallet, quam per seditionem et turbas auctoritati publicae repugnare.

Postea vero quam respublicae principes christianos habuerunt, multo magis Ecclesia testificari ac praedicere institit, quantum in auctoritate imperantium inesset sanctitatis: ex quo futurum erat, ut populis, cum de principatu cogitarent, sacrae cujusdem majestatis species occurreret, quae ad majorem principum cum verecundiam tum amorem impelleret. Atque hujus rei caussa, sapienter providit, ut reges sacrorum solemnibus initiarentur, quod erat in Testamento Veteri Dei auctoritate constitutum. — Quo autem tempore civilis hominum societas, tamquam e ruinis excitata imperii romani, in spem christianae magnitudinis revixit, Pontifices Romani instituto *imperio sacro*, politicam potestatem singulari ratione consecraverunt. Maxima quidem ea fuit nobilitatis ad principatum accessio: neque dubitandum quin magnopere illud institutum et religiosae et civili societati semper fuisset profuturum, si quod Ecclesia spectabat, idem principes et populi semper spectavissent. — Et sane quietae res et satis prosperae permanserunt quamdiu inter utramque potestatem concors amicitia permansit. Si quid tumultuando peccarent populi, praesto erat conciliatrix tranquillitatis Ecclesia, quae singulos ad officium vocaret, vehementioresque cupiditates partim lenitate, partim auctoritate compesceret. Similiter si quid in gubernando peccarent principes, tum ipsa ad principes adire, et populorum jura, necessitates, recta desideria commemorando, aequitatem, clementiam, benignitatem suadere. Qua ratione pluries est impetratum, ut tumultuum et bellorum civilium pericula prohiberentur.

Contra inventae a recentioribus de potestate politica doctrinae magnas jam acerbitates hominibus attulerunt, metuendumque ne extrema malorum afferant in posterum. Etenim jus imperandi nolle ad Deum referre auctorem, nihil est aliud quam politicae potestatis et pulcherrimum splendorem velle deletum et nervos incisos. Quod autem inquiunt ex arbitrio illam pendere multitudinis, primum opinione falluntur; deinde nimium levi ac flexibili fundamento statuunt principatum. His enim opinionibus quasi stimulis incitatae populares cupiditates sese efferent insolentius, magnaque cum pernicie reipublicae ad caecos metus, ad apertas seditiones proclivi cursus et facile delabentur. Revera illam, quam *Reformationem* vocant, cujus adjutores et duces sacram civilemque potestatem novis doctrinis funditus oppugnaverunt, repentini tumultus et audacissimae rebelliones praesertim in Germania consecutae sunt : idque tanta cum domestici deflagratione belli et caede, ut nullus pene locus expers turbarum et cruoris videretur. — Ex illa haeresi ortum duxit saeculo superiore falsi nominis philosophia, et jus quod appellant *novum*, et imperium populare, et modum nesciens licentia, quam plurimi solam libertatem putant. Ex his ad finitimas pestes ventum est, scilicet ad *Communismum*, ad *Socialismum*, ad *Nihilismum*, civilis hominum societatis teterrima portenta ac pene funera. Atqui tamen tantorum malorum vim nimis multi dilatare conantur, ac per speciem juvandae multitudiuis non exigua jam miseriarum incendia excitaverunt. Quae hic modo recordamur, ea nec ignota sunt nec valde longinqua.

Hoc vero est etiam gravius, quod non habent principes in tantis periculis remedia ad restituendam publicam disciplinam pacandosque animos satis idonea. Iustruunt se auctoritate legum, eosque, qui rempublicam commovent, severitate poenarum coercendos putant. Recte quidem: sed tamen serio considerandum est, vim nullam poenarum futuram tantam, quae conservare respublicas sola possit. Metus enim, ut praeclare docet sanctus Thomas, *est debile fundamentum; nam qui timore subduntur, si occurrat occasio qua possint impunitatem sperare, contra praesidentes insurgunt eo ardentius, quo magis contra voluntatem ex solo timore cohibebantur.* Ac praeterea *ex nimio timore plerique in desperationem incidunt: desperatio autem audacter ad quaelibet attendonda praecipitat* (1). Quae quam vera sint, satis experiendo perspeximus. Itaque obediendi altiorem et effifaciorem caussam adhibere necesse est, atque omnino statuere, nec legum esse posse fructuosam severitatem, nisi homines impellantur officio, salutarique metu Dei permoveantur. Id autem impetrare ab iis maxime religio potest, quae sua vi in animos unfluit, ipsasque hominum flectit voluntates, ut eis, a quibus ipsi reguntur, non obsequio solum, sed etiam benevolenta et caritate adhaerescant, quae est in omni hominum coetu optima custos incolumitatis.

Quamobrem egregie Pontifices Romani communi utilitati servisse judicandi sunt, qnod *Nonatorum* frangendos semper curaverunt tumidos inquietosque spiritus, ac persaepe monuerunt, quantum ii sint civili etiam societati periculosi. Ad hanc rem digna, quae commemoretur Clementis VII sententia est ad Ferdinandum Bohemiae et Hungariae regem: *In hac fidei caussa tua etiam et ceterorum principum dignitas et utilitas inclusa est, cum non possit illa convelli quin vestrarum etiam rerum labefactationem secum trahat; quod clarissime in locis istis aliquot perspectum sit* — Atque in eodem genere summa providentia et fortitudo enituit Decessorum Nostrorum, praesertim autem Clementis XII, Benedicti XIV, Leonis XII, qui cum consequentibus temporibus pravarum doctrinarum pestis latius serperet, *sectarumque* audacia invalesceret, oppositu auctoritatis suae aditum illis intercludere conati sunt. — Nos ipsi pluries denunciavimus quam gravia pericula impendeant, simulque indicavimus, quae sit eorum propulsandorum ratio optima. Principibus ceterisque rerum publicarum moderatoribus praesidium religionis obtulimus, populosque hortati sumus, ut summorum bonorum copia, quam Ecclesia suppeditat, maxime uterentur. Id nunc agimus, ut ipsum illud praesidium, quo nihil est validius, sibi rursus oblatum principes intelligant: eosque vehementer in Domino hortamur, nt religionem tueantur, et, quod interest etiam reipublicae, ea Ecclesiam libertate frui posse sinant, qua sine injuria et communi pernicie privari non potest. Profecto Ecclesia Christi neque principibus potest esse suspecta, neque populis invisa. Principes quidem ipsa monet sequi justitiam, nullaque in re ab officio declinare: at simul eorum roborat multisque rationibus adjuvat auctoritatem. Quae in genere rerum civilium versantur, ea in potestate supremoque imperio eorum esse agnoscit et declarat: in iis quorum judicium,

(1) De Regim. Princip. l. 1, cap. 10.

diversam licet ob caussam, ad sacram civilemque pertinent potestatem, vult existere inter utramque concordiam, cujus beneficio funestae utrique contentiones devitantur. Ad populos quod spectat, est Ecclesia saluti cunctorum hominum nata, eosque semper dilexit uti parens. Ea quippe est, quae caritate praeeunte mansuetudinem animis impertiit, humanitatem moribus, aequitatem legibus: atque honestae libertati nuspiam iuimica tyrannicum dominatum semper detestari consuevit. Hanc, quae insita in Ecclesia est, bene merendi consuetudinem paucis praeclare expressit sanctus Augustinus: *Docet* (Ecclesia) *reges prospicere populis, omnes populos se subdere regibus: ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debetur injuria* (1).

His de caussis opera vestra, Venerabiles Fratres, valde utilis ac plane salutaris futura est, si industriam atque opes omnes, quae Dei munere in vestra sunt potestate, ad deprecanda societatis humanae vel pericula vel incommoda Nobiscum contuleritis. Curate ac providete, ut quae de imperio deque obediendi officio ab Ecclesia catholica praecipiuntur, ea homines et plane perspecta habeant, et ad vitam agendam diligenter utantur. Vobis auctoribus et magistris, saepe populi moneantur fugere vetitas sectas, a conjurationibus abhorrere, nihil seditiose agere: iidemque intelligant, qui Dei caussa parent imperantibus, eorum esse *rationabile obsequium*, generosam, obedientiam. Quoniam vero Deus est, *qui dat salutem regibus* (2), et concedit populis conquiescere *in pulchritudine pacis et in tabernaculi fiduciae et in requie opulenta*, (3) Ipsum necesse est orare atque obsecrare, ut omnium mentes ad honestatem veritatemque flectat, iras compescat, optatam diu pacem tranquillitatemque orbi terrarum restituat.

Quo autem spes firmior sit impetrandi, deprecatores defensoresque salutis adhibeamus, Mariam Virginem magnam Dei parentem, auxilium christianorum, tutelam generis humani: S. Josephum castissimum sponsum ejus, cujus patrocinio plurimum universa Ecclesia confidit: Petrum et Paullum principes Apostolorum, custodes et vindices nominis christiani.

Interea divinorum munerum auspicem vobis omnibus, Venerabiles Fratres, Clero et populo fidei vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIX Junii an. MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

---

(1) De morib. Eccl. lib. I, cap. 30.
(2) Psal. CXLIII, 11.
(3) Isai. XXXII, 18.

EPISTOLA ENCYCLICA

QUA DE MALIS IN ITALICA REGIONE INGRAVESCENTIBUS CONQUERITUR ATQUE OPPORTUNA REMEDIA ADHIBENDA PROPONIT

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Etsi Nos, pro auctoritate atque amplitudine Apostolici muneris, et universam christianam rempnblicam et singulas ejus partes maxima, qua possumus, vigilantia et caritate complectimur: nunc tamen singulari quadam ratione curas cogitationesque Nostras ad se Italia convertit. — Quibus in cogitationibus et curis altius quiddam rebus humanis diviniusque suspicimus: anxii enim et solliciti sumus de salute animarum sempiterna; in qua tanto magis fixa et locata esse omnia studia Nostra oportet, quanto eam majoribus periculis videmus oppositam. — Cujus generis pericula, si magna unquam in Italia fuerunt, maxima profecto sunt hoc tempore, cum ipse rerum publicarum status magnopere sit incolumitati religionis calamitosus. Eamque ob caussam Nos movemur vehementius, quod singulares conjunctionis necessitudines Nobis cum Italia intercedunt, in qua Deus domicilium Vicarii sui, magisterium veritatis, et catholicae unitatis centrum collocavit. — Alias quidem multitudinem monuimus, ut sibi caveret, et singuli intelligerent, quae sua sint in tantis offensionum caussis officia. Nihilominus, ingravescentibus malis, volumus in ea Vos, Venerabiles Fratres, mentem diligentius intendere, et, communium rerum inclinatione perspecta, munire vigilantius populorum animos, omnibusque praesidiis firmare, ne thesaurus omnium pretiosissimus, fides catholica, diripiatur.

Perniciosissima hominum secta, cujus auctores et principes non celant neque dissimulant quid velint, in Italia jamdiu cousedit: denunciatisque Jesu Christo inimicitiis, despoliare penitus institutis christianis multitudinem contendit. Quantum audendo processerit, nihil attinet dicere hoc loco, praesertim cum extent Vobis, Venerabiles Fratres, ante oculos vel fidei vel moribus illatae jam labes et ruinae. — Apud italas gentes, quae in avita religione constanter et fideliter omni tempore permanserunt, immi-

nuta nunc passim Ecclesiae libertas est, atque acrius in dies hoc agitur, ut ex omnibus publice institutis forma illa et veluti character christianus deleatur, quo semper fui Italorum non sine caussa nobilitatum genus. Sublata sodalium religiosorum collegia: proscripta Ecclesiae bona: rata citra ritus catholicos connubia: in institutione juventutis nullae potestati ecclesiasticae partes relictae. — Neque finis est nec modus ullus acerbi et luctuosi belli cum Apostolica Sede suscepti, cujus caussa incredibiliter Ecclesia laborat, Romanusque Pontifex in summas angustias compulsus est. Is enim civili principatu spoliatus, necesse fuit ut in alienam ditionem potestatemque concederet. — Urbs autem Roma, augustissima urbium christianarum, exposita est et patet quibuslibet Ecclesiae hostibus, profanaque rerum novitate polluitur, scholis et templis ritu haeretico passim dedicatis. Quin immo exceptura fertur hoc ipso anno legatos et capita inimicissimae rerum catholicarum sectae, huc ad singulare quoddam concilium coetumque profecturos. Quibus quidem hujus deligendi loci satis apparet quae caussa fuerit: videlicet conceptum adversus Ecclesiam odium explere procaci injuria volunt, Romanoque Pontificatu in ipsa sede sua lacessendo, funestas belli faces proxime admovere. — Dubitandum profecto non est, quin impios hominum conatus Ecclesia aliquando victrix effugiat: certum tamen exploratumque est, his artibus eos assequi velle, una cum Capite totum Ecclesiae corpus afficere et religionem, si fieri possit, extinguere.

Quod sane velle eos, qui se italici nominis amantissimos profitentur, incredibile videretur; nam italicum nomen, intereunte fide catholica, maximarum utilitatum fonte prohiberi necesse esset. Etenim si religio christiana cunctis nationibus optima salutis praesidia peperit; sanctitatem jurium, tutelam justitiae; si caecas ac temerarias hominum cupiditates virtute suo ubique edomuit, comes et adjutrix omnium rerum quae honestae sunt, quae laudabiles, quae magnae: si varios civitatum ordines, et diversa reipublicae membra ad perfectam stabilemque concordiam ubique revocavit, horum profecto beneficiorum copiam uberius quam ceteris Italorum generi impertivit. — Est quidem nimis multorum haec labes et macula, ut obesse et nocere saluti aut incremento reipublicae Ecclesiam dicant, Romanumque Pontificatum prosperitati et magnitudini italici nominis inimicum putent. Sed istorum querelas absurdasque criminationes aperte superiorum temporum omnia monumenta convincunt. Revera enim Ecclesiae summisque Pontificibus Italia maxime debet, quod gloriam suam apud omnes gentes propagavit, quod iteratis barbarum impressionibus non succubuit, et immanes Turcarum impetus invicta repulit, et multis in rebus aequam legitimamque libertatem diu conservavit, et pluribus iisdemque immortalibus optimarum artium monumentis civitates suas locupletavit. — Neque postrema Romanorum Pontificum haec laus est, quod provincias italicas ingenio moribusque diversas communi fide et religione unas semper conservaverint, et a discordiis omnium funestissimis liberaverint. Atque in trepidis calamitosisque temporibus non semel erant publicae res ad extremos casus praecipitaturae, nisi Pontificatus Romanus ad salutem valuisset. — Neque futurum est, ut minus valeat in posterum, modo ne voluntas hominum obsistens virtutem ejus intercipiat, neu libertatem impediat. Etenim

vis illa benefica, quae in institutis catholicis inest, quoniam ab ipsa eorum natura sponte proficiscitur, immutabilis est et perpetua. Quemadmodum pro salute animarum omnia religio catholica et locorum et temporum intervalla complectitur, ita etiam in rebus civilibus ubique et semper sese ad hominum utilitates porrigit atque explicat.

Tot vero ereptis tantisque bonis, summa mala succedunt: quoniam qui sapientiam christianam oderunt, iidem, quidquid contra fieri a se dicant, ad perniciem devocant civitatem. Istorum enim doctrinis nihil est magis idoneum ad inflammandos violenter animos, concitandasque perniciosissimas cupiditates. Sane in iis quae cognitione scientiaque continentur, caeleste fidei lumen repudiant: quo extincto, mens humana in errores saepissime rapitur, nec vera cernit, atque illuc facile evadit, ut in humilem foedumque *materialismum* abjiciatur. Spernunt in genere morum aeternam immutabilemque rationem, et supremum legum latorem ac vindicem Deum despiciunt: quibus sublatis fundamentis, consequens est, ut, nulla satis idonea legum sanctione, omnis vivendi norma ab hominum voluntate arbitrioque sumatur. In civitate vero ex immodica libertate, quam praedicant et volunt, licentia gignitur: licentiam sequitur perturbatio ordinis, quae est maxima et funestissima pestis reipublicae. Revera nulla fuit aut deformior species, aut miserior conditio civitatis, quam illa in qua tales et doctrinae et homines valere aliquamdiu potuerunt. Ac nisi recentia exempla suppeterent, id fidem excedere videretur, potuisse homines scelere audaciaque furentes in tanta excidia ruere, et retento ad ludibrium libertatis nomine, in caede et incendiis debacchari. — Quod si tantos nondum sensit Italia terrores, primo quidem singulari Dei beneficio tribuere, deinde id quoque caussae fuisse statuere debemus, quod, cum itali homines numero longe maximo in religione catholica studiose perseverarint, idcirco flagitiosarum opinionum, quas diximus, dominari libido non potuit. Verum si haec, quae religio praebet, munimenta perrumpantur, continuo Italia in eos casus ipsos delaberetur, qui maximas et florentissimas nationes aliquando perculerunt. Etenim necesse est, ut similitudinem doctrinarum exitus similes consequantur: et quoniam in eodem vitio sunt semina, fieri non potest, quin fructus plane eosdem effundant. Immo vero majores fortasse poenas violatae religionis gens italica lueret, quia perfidiam et impietatem culpa ingrati animi cumularet. Non enim casu aliquo, aut levi hominum voluntate datum est Italiae, ut partae per Jesum Christum salutis vel a principio esset particeps, et beati Petri Sedem in sinu gremioque suo collocatam possideret, et longo aetatum cursu iis, quae a religione catholica sponte fluunt, maximis et divinis beneficiis perfrueretur. Quapropter metuendum sibi magnopere esset quod ingratis populis Paullus Apostolus minaciter nunciavit. « *Terra saepe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo: proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem* (1) ».

(1) Hebr. VI, 7. 8.

Prohibeat Deus hanc tantam formidinem; atque omnes pericula serio considerent, quae partim jam adsunt, partim impendent ab iis, qui non communi utilitati, sed *sectarum* commodis servientes capitales cum Ecclesiae inimicitias exercent. Qui si saperent, si vera caritate patriae tenerentur, certe nec de Ecclesia diffiderent, nec de nativa ejus libertate detrahere, injuriosis suspicionibus adducti, conarentur; immo vero consilia ab ea oppugnanda ad tuendam adjuvandamque verterent: idque in primis providerent, ut Pontifex Romanus sua jura reciperet. — Etenim suscepta cum Apostolica Sede contentio quanto plus Ecclesiae nocet, tanto minus est incolumitati rerum italicarum profutura. De qua re alio loco mentem Nostram declaravimus: « Dicite, publicas Italiae res neque prosperitate florere, neque diuturna « tranquillitate posse consistere, nisi Romanae Sedis dignitati et summi « Pontificis libertati, prout omnia jura postulant, fuerit consultum. »

Quapropter, cum nihil magis velimus, quam ut res christiana salva sit, cumque praesenti italicarum gentium discrimine commoveamur, Vos vehementius quam unquam alias. Venerabiles Fratres, hortamur, ut studium caritatemque Vestram ad comparanda tot malorum remedia Nobiscum conferatis. — Et primum quidem edocete summa cum cura populos, quanti sit fidem catholicam possidere, et quam magna ejusdem tuendae necessitas. — Quoniam vero hostes et oppugnatores catholici nominis, quo facilius male cautos decipiant, multis in rebus aliud agunt, aliud simulant, valde interest occulta eorum consilia patefieri in lucemque proferri, ut scilicet, comperto quid reapse velint et qua caussa contendant, excitetur in catholicis hominibus ardor animi, et Ecclesiam, Romanum Pontificem, hoc est salutem suam, viriliter aperteque defendant.

Multorum ad hanc diem virtus, quae plurimum potuisset, visa est aliquantum in agendo lenis et in labore remissa, sive quod iusueti rerum essent animi, sive quod periculorum non satis fuerit magnitudo perspecta. Nunc vero, cognitis experiendo temporibus, nihil esset perniciosius, quam perferre oscitanter longinquam improborum malitiam, expeditumque ipsis locum relinquere rei christianae ad libidinem suam diutius vexandae. Ii quidem prudentiores quam filii lucis multa jam ausi: interiores numero calliditate et opibus validiores, haud longo tempore magna apud nos malorum incendia excitaverunt. Intelligant igitur quicumque amant catholicum nomen, tempus jam esse conari aliquid, et nullo pacto languori desidiaeque se dedere, cum nemo celerius opprimatur, quam qui vecordi securitate quiescunt. Videant quam nihil reformidarit veterum illorum nobilis et operosa virtus: quorum et laboribus et sanguine fides catholica adolevit. Vos autem, Venerabiles Fratres, excitate cessantes, cunctantes impellite: exemplo et auctoritate Vestra universos confirmate ad exercenda constanter et fortiter officia, quibus actio vitae christianae continetur. — Ad hanc alendam augendamque experrectam virtutem, curare ac providere opus est, ut numero, consensu, efficiendis rebus, floreant lateque amplificentur *societates*, quibus maxime propositum sit fidei christianae virtutumque ceterarum retinere et incitare studia. Tales sunt consociationes juvenum, opificum; quaeque constituta sunt aut coetibus catholicorum hominum in tempora certa agendis, aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festo-

rum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis; aliaeque ex eodem genere complures. — Et cum rei christianae quam maxime intersit Pontificem Romanum in gubernanda Ecclesia et esse et videri ab omni periculo molestia, difficultate liberum, quantum lege possunt agendo, rogando, contendendo, tantum, Pontificis caussa, enitantur et efficiant; neque ante quiescant, quam sit Nobis, reapse non specie, libertas restituta, quacum non modo Ecclesiae bonum, sed et secundus rerum italicarum cursus, et christianarum gentium tranquillitas necessario quodam vinculo conjungitur.

Deinde vero permagni refert publicari et longe lateque fluere salubriter scripta. — Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scriptis editis decertare, iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulentae et iniqua ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet. Quidquid est proximis his annis per seditionem et turbas gestum, jure gestum esse defendunt: dissimulant aut adulterant verum: Ecclesiam et Pontificem maximum quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt: nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non disseminare passim aggrediantur. Hujus igitur tanti mali, quod serpit quotidie latius, sedulo prohibenda vis est: nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem, ut intento animo sibi caveat, et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit. Praeterea scripta scriptis opponenda, ut ars quae potest plurimum ad perniciem eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur, atque inde remedia suppetant, unde mala venena quaeruntur. — Quam ad rem optabile est, ut saltem in singulis provinciis ratio aliqua instituatur demonstrandi publice, quae et quanta sint singulorum christianorum in Ecclesiam officia, vulgatis ad id scriptionibus crebris, et, quoad fieri potest, quotidianis. In primis autem sint in conspectu posita religionis catholicae in omnes gentes praeclara merita; explicetur oratione virtus ejus privatis publicisque rebus maxime prospera et salutaris; statuatur quanti sit, celeriter Ecclesiam ad illum dignitatis locum in civitate revocari, quem et divina ejus magnitudo, et publica gentium utilitas vehementer postulat. — Harum rerum caussa necesse est, ut qui animum ad scribendum appulerint, plura teneant: videlicet idem omnes in scribendo spectent: quod maxime expedit, id constituant judicio certo et efficiant: nihil ex iis rebus praetermittant, quarum utilis atque expetenda cognitio videatur: gravitate et moderatione dicendi retenta, errores et vitia reprehendant, sic tamen ut careat acerbitate reprehensio, personisque parcatur; deinde orationem adhibeant planam atque evidentem, quam facile queat multitudo percipere. — Reliqui autem omnes, qui vere et ex animo cupiunt, florere res et sacras et civiles ingenio hominum litterisque defensas, hos litterarum ingeniique fructus tueri liberalitate sua studeant: et ut quisque ditior est, ita potissimum re fortunaque sustineant. Iis enim, qui scribendo dant operam, omnino afferenda sunt huius generis adiumenta: sine quibus aut nullos ipsorum industria habitura est exitus, aut incertos et perexiguos. — In quibus rebus omnibus si quid nostris hominibus incommodi impendet, si qua est dimicatio subeunda, audeant tamen sese obvios ferre, cum homini christiano nulla sit adeundi vel incommoda

vel labores caussa justior, quam ne lacerari ab improbis religionem patiatur. Neque enim hac ullos lege Ecclesia aut genuit aut educavit, ut, cum tempus et necessitas cogeret, nullam ab iis opem expectaret, sed ut singuli eorum otio privatisque utilitatibus salutem animarum et incolumitatem rei christianae anteponerent.

Praecipuae autem curae cogitationesque Vestrae, Venerabiles Fratres, in eo evigilare debent, ut ministros Dei idoneos rite instituatis. Quod si Episcoporum est plurimum operae et studii in fingenda probe omni juventute ponere, longe plus ipsos elaborare in clericis verum est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, et participes adjutoresque munerum sanctissimorum sunt aliquando futuri. — Caussae profecto graves et omnium aetatum communes decora virtutum multa et magna in sacerdotibus postulant: verumtamen nostra haec aetas plura quoque et majora admodum flagitat. Revera fidei catholicae defensio, in qua laborare maxime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vulgarem neque mediocrem, sed exquisitam et variam; quae non modo sacras, sed etiam philosophicas disciplinas complectatur, et physicorum sit atque historicorum tractatione locuples. Eripiendus est enim error hominum multiplex, singula christianae sapientiae fundamenta convellentium: luctandumque persaepe cum adversariis apparatissimis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi ex omni scientiarum genere astute conquirunt. — Similiter cum hodie magna sit et ad plures diffusa corruptela morum, singularem prorsus oportet in sacerdotibus esse virtutis constantiaeque praestantiam. Fugere quippe consuetudinem hominum minime possunt; immo applicare se propius ad multitudinem ipsis officii sui muneribus jubentur: idque in mediis civitatibus, ubi nulla jam fere libido est, quin permissam habeat et solutam licentiam. Ex quo intelligitur, virtutem in Clero tantum habere virium hoc tempore debere, ut possit se ipsa tueri firmiter, et omnia cum blandimenta cupiditatum vincere, tum exemplorum pericula sospes superare. — Praeterea conditas in Ecclesiae perniciem leges consecuta passim clericorum paucitas est: ita plane, ut eos, qui in sacros ordines Dei munere leguntur, duplicare operam suam necesse sit, et excellenti sedulitate, studio, devotione exiguam copiam compensare. Quod quidem utiliter facere non possunt, nisi animum gerant tenacem propositi, abstinentem, incorruptum, caritate flagrantem, in laboribus pro salute hominum sempiterna suscipiendis promptum semper atque alacrem. Atqui ad hujusmodi munera est adhibenda praeparatio diuturna et diligens: non enim tantis rebus facile et celeriter assuescitur. Atque illi sane in sacerdotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes, quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur.

His de caussis, Venerabiles Fratres, jure Seminaria clericorum sibi vindicant plurimas et maximas animi, consilii, vigilantiae Vestrae partes. Quod ad virtutem et mores, minime fugit sapientiam Vestram, quibus abundare praeceptis et institutis adolescentem clericorum aetatem oporteat. — In gravioribus autem disciplinis, Litterae Nostrae Encyclicae — *Eter-*

ni Patris — viam rationemque studiorum optimam indicaverunt. Sed quoniam in tanto ingeniorum cursu plura sunt sapienter et utiliter inventa, quae minus decet non habere perspecta, praesertim cum homines impii quidquid incrementi affert dies in hoc genere, tamquam nova tela in veritates divinitus traditas intorquere consueverint, date operam, Venerabiles Fratres, quantum potestis, ut alumna sacrorum juventus non modo sit ab investigatione naturae instructior, sed etiam iis artibus apprime erudita, quae cum sacrarum Litterarum vel interpretatione vel auctoritate cognationem habeant. — Illud certe non ignoramus, ad elegantiam studiorum optimorum multas res esse necessarias: quarum tamen sacris Seminariis italicis adimunt aut minuunt importunae leges facultatem. — Sed hac etiam in re tempus postulat, ut largitate et munificentia bene de religione catholica promereri nostrates studeant. Voluntas majorum pia et benefica egregie ejusmodi necessitatibus providerat; atque illud Ecclesia assequi prudentia et parsimonia potuerat, ut tutelam et conservationem rerum sacrarum nequaquam haberet necesse caritati filiorum suorum commendare. Sed patrimonium ejus legitimum aeque ac sacrosanctum, cui superiorum aetatum injuria pepercerat, nostrorum temporum procella dissipavit: quare caussa renascitur, cur qui diligunt catholicum nomen, animum inducant majorum liberalitatem renovare. Profecto Gallorum, Belgarum, aliorumque in caussa haud multum dissimili illustria sunt munificentiae documenta, non modo aequalium, sed etiam posterorum admiratione dignissima. Neque dubitamus, quin italica gens, communium rerum consideratione permota, id pro viribus actura sit, ut et se patribus suis dignam impertiat, et ex fraternis exemplis capiat quod imitetur.

In his rebus, quas diximus, profecto haud minimam habemus spem solatii incolumitatisque repositam. — Verum cum in omnibus consiliis, tum maxime in iis, quae salutis publicae caussa suscipiuntur, omnino ad humana praesidia accedere necesse est opem omnipotentis Dei, cujus in potestate sunt non minus singulorum hominum voluntates, quam cursus et fortuna imperiorum. Quapropter invocandus summis precibus Deus, orandusque, ut tot ejus beneficiis ornatam atque auctam respiciat Italiam; in eâque fidem catholicam, quod est maximum bonum, cunctis periculorum suspicionibus depulsis, perpetuo tueatur. Hanc ipsam ob caussam imploranda suppliciter est Immaculata Virgo Maria, magna Dei parens, fautrix et adjutrix consiliorum optimorum, una cum sanctissimo Sponso ejus Josepho, custode et patrono gentium christianarum. Ac pari studio obsecrare opus est Petrum et Paullum, magnos Apostolos, ut in italicis gentibus fructum laborum suorum incolumem custodiant, nomenque catholicum, quod majoribus nostris suo ipsi sanguine pepererunt, apud seros posteros sanctum inviolatumque conservent.

Horum omnium caelesti patrocinio freti, auspicem divinorum munerum, et praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem Vobis universis, Venerabiles Fratres, et populis fidei Vestrae commissis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XV Februarii an. MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri anno quarto.

LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE SECTA MASSONUM

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Humanum genus, posteaquam a creatore, munerumque caelestium largitore Deo, *invidia Diaboli*, miserrime defecit, in partes duas diversas adversasque discessit; quarum altera assidue pro veritate et virtute propugnat, altera pro iis, quae virtuti sunt veritatique contraria. — Alterum Dei est in terris regnum, vera scilicet Jesu Christi Ecclesia, cui qui volunt ex animo et convenienter ad salutem adhaerescere, necesse est Deo et Unigenito Filio ejus tota mente ac summa voluntate servire: alterum Satanae est regnum, cujus in ditione et potestate sunt quicumque funesta ducis sui et primorum parentum exempla secuti, parere divinae aeternaeque legi recusant, et multa posthabito Deo, multa contra Deum contendunt. Duplex hoc regnum, duarum instar civitatum contrariis legibus contraria in studia abeuntium, acute vidit descripsitque Augustinus, et utriusque efficientem caussam subtili brevitate complexus est, iis verbis: *Fecerunt civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei: coelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui* (1). — Vario ac multiplici cum armorum tum dimicationis genere altera adversus alteram omni saeculorum aetate conflixit, quamquam non eodem semper ardore atque impetu. Hoc autem tempore, qui deterioribus favent partibus videntur simul conspirare vehementissimeque cuncti contendere, auctore et adjutrice ea quam *Massonum* appellant, longe lateque diffusa et firmiter constituta hominum societate. Nihil enim iam dissimulantes consilia sua, excitant sese adversus Dei numen audacissime: Ecclesiae sanctae perniciem palam aperteque moliuntur, idque eo proposito, ut gentes christianas partis per Jesum Christum Servatorem beneficiis, si fieri posset, funditus despolient. — Quibus Nos ingemiscentes malis, illud saepe ad Deum clamare, urgente animum caritate, compellimur: *Ecce inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium: et cogitaverunt adversus sanctos tuos. Dixerunt: Venite, et disperdamus eos de gente* (2).

In tam praesenti discrimine, in tam immani pertinacique christiani

(1) *De Civit. Dei* Lib. XIV, c. 17.
(2) Ps. LXXXII, 2-4.

nominis oppugnatione, Nostrum est indicare periculum, designare adversarios, horumque consiliis atque artibus, quantum possumus. resistere ut aeternum ne pereant quorum Nobis est commissa salus: et Jesu Christi regnum, quod tuendum accepimus, non modo stet et permaneat integrum, sed novis usque incrementis ubique terrarum amplificetur.

Romani Pontifices Decessores Nostri, pro salute populi christiani sedulo vigilantes, hunc tam capitalem hostem ex occultae conjurationis tenebris prosilientem, quis esset, quid vellet, celeriter agnoverunt; iidemque praecipientes cogitatione futura. principes simul et populos, signo velut dato, monuerunt ne se paratis ad decipiendum artibus insidiisque capi paterentur. — Prima significatio periculi per Clementem XII anno MDCCXXXVIII facta (1): cujus est a Benedicto XIV (2) confirmata ac renovata Constitutio. Utriusque vestigiis ingressus est Pius VII (3): ac Leo XII Constitutione Apostolica « *Quo graviora* » (4) superiorum Pontificum hac de re acta et decreta complexus, rata ac firma in perpetuum esse jussit. In eamdem sententiam Pius VIII (5), Gregorius XVI (6), persaepe vero Pius IX (7), locuti sunt.

Videlicet cum sectae Massonicae institutum et ingenium compertum esset ex manifestis rerum indiciis, cognitione caussarum, prolatis in lucem legibus ejus, ritibus, commentariis, ipsis saepe accedentibus testimoniis eorum qui essent conscii, haec Apostolicae Sedes denuntiavit aperteque edixit, sectam Massonam, contra jusque fasque constitutam, non minus esse christianae rei, quam civitati perniciosam: propositisque poenis, quibus solet Ecclesia gravius in sontes animadvertere, interdixit atque imperavit, ne quis illi nomen societati daret. Qua ex re irati gregales, earum vim sententiarum subterfugere aut debilitare se posse partim contemnendo, partim calumniando rati, Pontifices maximos, qui ea decreverant, criminati sunt aut non justa decrevisse, aut modum in decernendo transiisse. Hac sane ratione Constitutionum Apostolicarum Clementis XII, Benedicti XIV, itemque Pii VII et Pii IX conati sunt auctoritatem et pondus eludere. Verum in ipsa illa societate non defuere, qui vel inviti faterentur, quod erat a romani Pontificibus factum, id esse, spectata doctrina disciplinaque catholica, jure factum. In quo Pontificibus valde assentiri plures viri principes rerumque publicarum rectores visi sunt, quibus curae fuit societatem Massonicam vel apud Apostolicam Sedem arguere. vel per se, latis in id legibus, noxae damnare. ut in Hollandia, Austria, Helvetia, Hispania, Bavaria, Sabaudia, aliisque Italiae partibus.

Quod tamen prae ceteris interest, prudentiam Decessorum Nostrorum rerum eventus comprobavit. Ipsorum enim providae paternaeque curae

(1) Const *In eminenti*, die 24 Aprilis 1738.

(2) Const. *Providas*, die 18 Maji 1751.

(3) Const. *Ecclesiam a Jesu Christo*, die 13 Septembris 1821.

(4) Const. data die 13 Martii 1825.

(5) Encyc. *Traditi*, die 21 Maji 1829.

(6) Encyc. *Mirari*, die 15 Augusti 1832.

(7) Encyc. *Qui pluribus*, die 9 Novemb. 1846. Alloc. *Multiplices inter*, die 25 Septembris 1865, etc.

nec semper nec ubique optatos habuerunt exitus: idque vel hominum, qui in ea noxa essent, simulatione et astu, vel inconsiderata levitate ceterorum, quorum maxime interfuisset diligenter attendere. Quare unius saeculi dimidiatique spatio secta Massonum ad incrementa properavit opinione majora: inferendoque sese per audaciam et dolos in omnes reipublicae ordines, tantum tam posse coepit, ut prope dominari in civitatibus videatur. Ex hoc iam celeri formidolosque cursu illa revera est in Ecclesiam, in potestatem principum, in salutem publicam pernicies consecuta, quam Decessores Nostri multo ante providerant. Eo enim perventum est, ut valde sit reliquo tempore metuendum non Ecclesiae quidem, quae longe firmius habet fundamentum, quam ut hominum operâ labefactari queat, sed earum caussa civitatum, in quibus nimis polleat ea, de qua loquimur, aut aliae hominum sectae non absimiles, quae priori illi sese administras et satellites impertiunt.

His de caussis, ubi primum ad Ecclesiae gubernacula accessimus, vidimus planeque sensimus huic tanto malo resistere oppositu auctoritatis Nostrae, quoad fieri posset, oportere. — Sane opportunam saepius occasionem nacti, persecuti sumus praecipua quaedam doctrinarum capita, in quas Massonicarum opinionum influxisse maxime perversitas videbatur. Ita Litteris Nostris Encyclicis « *Quod Apostolici muneris* » aggressi sumus *Socialistarum* et *Comunistarum* portenta convincere: aliis deinceps « *Arcanum* » veram germanamque notionem societatis domesticae, cujus est in matrimonio fons et origo, tuendam et explicandam curavimus: iis insuper, quarum initium est « *Diuturnum,* » potestatis politicae formam ad principia christianae sapientiae expressam proposuimus, cum ipsa rerum natura, cum populorum principumque salute mirifice cohaerentem. Nunc autem, Decessorum Nostrorum exemplo, in Massonicam ipsam societatem, in doctrinam ejus universam, et consilia, et sentiendi consuetudinem et agendi, animum recta intendere decrevimus, quo vis illius maletica magis magisque illustretur, idque valeat ad funestae pestis prohibenda contagia.

Variae sunt hominum sectae, quae quamquam nomine, ritu, forma, origine differentes, cum tamen communione quadam propositi summarumque sententiarum similitudine inter se contineantur, re congruunt cum secta Massonum, quae cujusdam est instar centri unde abeunt et quo redeunt universae. Quae quamvis nunc nolle admodum videantur latere in tenebris, et suos agant coetus in luce oculisque civium, et suas edant ephemerides, nihilominus tamen, re penitus perspecta, genus societatum clandestinarum moremque retinent. Plura quippe in iis sunt arcanis similia, quae non externos solum, sed gregales etiam bene multos exquisitissima diligentia celari lex est: cujusmodi sunt intima atque ultima consilia, summi factionum principes, occulta quaedam et intestina conventicula: item decreta, et qua via, quibus auxiliis perficienda. Huc sane facit multiplex illud inter socios discrimen et juris et officii et muneris: huc rata ordinum graduumque distinctio, et illa, qua reguntur, severitas disciplinae. Initiales spondere, immo praecipuo sacramento jurare ut plurimum jubentur, nemini se ullo unquam tempore ullove modo socios, notas, doctrinas indicaturos. Sic

mentita specie eodemque semper tenore simulationis quam maxime Massones, ut olim Manichaei, laborant abdere sese, nullosque, praeter suos, habere testes. Latebras commodum quaerunt, sumpta sibi litteratorum sophorumve persona, eruditionis caussa sociatorum: habent in lingua promptum cultioris urbanitatis studium, tenuioris plebis caritatem: unice velle se meliores res multitudini quaerere, et quae habentur in civili societate commoda cum quamplurimis communicare. Quae quidem consilia quamvis vera essent, nequaquam tamen in istis omnia. Praeterea qui cooptati sunt, promittant ac recipiant necesse est, ducibus ac magistris se dicto audientes futuros cum obsequio fideque maxima: ad quemlibet eorum nutum significationemque paratos, imperata facturos: si secus fecerint, tum dira omnia ac mortem ipsam non recusare. Revera si qui prodidisse disciplinam, vel mandatis restitisse judicentur, supplicium de iis non raro sumitur, et audacia quidem ac dexteritate tanta, ut speculatricem ac vindicem scelerum justitiam sicarius persaepe fallat. — Atqui simulare, et velle in occulto latere: obligare sibi homines, tamquam mancipia, tenacissimo nexu, nec satis declarata caussa: alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere: armare ad caedem dextras, quaesita impunitate peccandi, immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur. Quapropter societatem, de qua loquimur, cum justitia et naturali honestate pugnare, ratio et veritas ipsa convincit.

Eo vel magis, quod ipsius naturam ab honestate dissidentem alia quoque argumenta eademque illustria redarguunt. Ut enim magna sit in hominibus astutia celandi consuetudoque mentiendi, fieri tamen non potest, ut unaquaeque caussa ex iis rebus, quarum caussa est, qualis in se sit non aliqua ratione appareat. *Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere* (1). Fructus autem secta Massonum perniciosos gignit maximaque acerbitate permixtos. Nam ex certissimis indiciis, quae supra commemoravimus, erumpit illud, quod est consiliorum suorum ultimum, scilicet evertere funditus omnem eam, quam instituta christiana peperernnt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingeniam suum extruere, ductis e medio *Naturalismo* fundamentis et legibus.

Haec, quae diximus aut dicturi sumus, de secta Massonica intelligi oportet spectata in genere suo, et quatenus sibi cognatas foederatasque complectitur societates: non autem de sectatoribus earum singulis. In quorum numero utique possunt esse, nec pauci, qui quamvis culpa non careant quod sese istius modi implicuerint societatibus, tamen nec sint flagitiose factorum per se ipsi participes, et illud ultimum ignorent quod illae nituntur adipisci. Similiter ex consociationibus ipsis nonnullae fortasse nequaquam probant conclusiones quasdam extremas, quas, cum ex principiis communibus necessario consequantur, consentaneum esset amplexari, nisi per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreret. Item nonnullas locorum temporumve ratio suadet minora conari, quam aut ipsae vellent

(1) Matth., VII, 18.

aut ceterae solent: non idcirco tamen alienae a Massonico foedere putandae, quia Massonicum foedus non tam est ab actis perfectisque rebus, quam a sententiarum summa judicandum.

Jamvero Naturalistarum caput est, quod nomine ipso satis declarant, humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere. Quo constituto, officia erga Deum vel minus curant, vel opinionibus pervertunt errantibus et vagis. Negant enim quicquam esse Deo auctore traditum: nullum probant de religione dogma, nihil veri, quod non hominum intelligentia comprehendat, nullum magistrum, cui propter auctoritatem officii sit jure credendum. Quoniam autem munus est Ecclesiae catholicae singulare sibique unice proprium doctrinas divinitus acceptas auctoritatemque magisterii cum ceteris ad salutem caelestibus adjumentis plene complecti et incorrupta integritate tueri, idcirco in ipsam maxima est inimicorum iracundia impetusque conversus. — Nunc vero in iis rebus, quae religionem attingunt, spectetur quid agat, praesertim ubi est ad agendi licentiam liberior, secta Massonum: omninoque judicetur, nonne plane re exequi Naturalistarum decreta velle videatur. Longe sane pertinacique labore in id datur opera, nihil ut Ecclesiae magisterium, nihil auctoritas in civitate possit; ob eamque caussam vulgo praedicant et pugnant, rem sacram remque civilem esse penitus distrahendas. Quo facto saluberrimam religionis catholicae virtutem a legibus, ab administratione reipublicae excludunt: illudque est consequens, ut praeter instituta ac praecepta Ecclesiae totas constituendas putent civitates. — Nec vero non curare Ecclesiam, optimam ducem, satis habent, nisi hostiliter faciendo laeserint. Et sane fundamenta ipsa religionis catholicae adoriri fando, scribendo, docendo, impune licet: non juribus Ecclesiae parcitur, non munera, quibus est divinitus aucta, salva sunt. Agendarum rerum facultas quam minima illi relinquitur, idque legibus specie quidem non nimis vim inferentibus, re vera natis aptis ad impediendam libertatem. Item impositas Clero videmus leges singulares et graves, multum ut ei de numero, multum de rebus necessarii in dies decedat: reliquias bonorum Ecclesiae maximis adstrictas vinculis, potestati et arbitrio administratorum reipublicae permissas: sodalitates ordinum religiosorum sublatas, dissipatas. — At vero in Sedem Apostolicam romanumque Pontificem longe est inimicorum incitata contentio. Is quidem primum fictis de caussis deturbatus est propugnaculo libertatis jurisque sui, principatu civili: mox in statum compulsus iniquum simul et objectis undique difficultatibus intolerabilem: donec ad haec tempora perventum est, quibus sectarum fautores, quod abscondite secum agitarant diu, aperte denunciant, sacram tollendam Pontificum potestatem, ipsumque divino jure institutum funditus delendum Pontificatum. Quam rem, si cetera deessent, satis indicat hominum qui conscii sunt testimonium, quorum plerique cum saepe alias, tum recenti memoria rursus hoc Massonum verum esse declararunt, vel eos maxime exercere catholicum nomen implacabilibus inimicitiis, nec ante quieturos, quam excisa omnia viderint, quaecumque summi Pontifices religionis caussa instituissent. — Quod si, qui adscribuntur in numerum, nequaquam ejurare conceptis verbis instituta catholica jubentur, id sane tantum abest,

ut consiliis Massonum repugnet, ut potius adserviat. Primum enim simplices et incautos facile decipiunt hac via, multoque pluribus invitamenta praebent. Tum vero obviis quibuslibet ex quovis religionis ritu accipiendis, hoc assequuntur, ut re ipsa suadeant magnum illum hujus temporis errorem, religionis curam relinqui oportere in mediis, nec ullum esse inter genera discrimen. Quae quidem ratio comparata ad interitum est religionum omnium, nominatim ad catholicae, quae cum una ex omnibus vera sit, exaequari cum ceteris sine injuria summa non potest.

Sed longius Naturalistae progrediuntur. In maximis enim rebus tota errare via audacter ingressi, praecipiti cursu ad extrema delabuntur, sive humanae imbecillitate naturae, sive consilio justas superbiae poenas repetentis Dei. Ita fit, ut illis ne ea quidem certa et fixa permaneant, quae naturali lumine rationis perspiciuntur, qualia profecto illa sunt, Deum esse, animos hominum ab omni esse materiae concretione segregatos, eosdemque immortales. — Atqui secta Massonum ad hos ipsos scopulos non dissimili cursus errore adhaerescit. Quamvis enim Deum esse generatim profiteantur, id tamen non haerere in singulorum mentibus firma assensione judicioque stabili constitutum, ipsi sibi sunt testes. Neque enim dissimulant, hanc de Deo quaestionem maximum apud ipsos esse fontem causamque dissidii: immo non mediocrem hac ipsa de re constat extitisse inter eos proximo etiam tempore contentionem. Re autem vera initialis magnam secta licentiam dat, ut alterutrum liceat suo jure defendere, Deum esse, Deum nullum esse: et qui nullum esse praefracte contendant, tam facile initiantur, quam qui Deum esse opinantur quidem, sed de eo prava sentiunt, ut Pantheistae solent: quod nihil est aliud, quam divinae naturae absurdam quamdam speciem retinere, veritatem tollere. Quo everso infirmatove maximo fundamento, consequens est ut illa quoque vacillent, quae natura admonente cognoscuntur, cunctas res libera creatoris Dei voluntate extitisse: mundum providentia regi: nullum esse animorum interitum: huic, quae in terris agitur, hominum vitae successuram alteram eamque sempiternam.

His autem dilapsis, quae sunt tamquam naturae principia, ad cognitionem usumque praecipua, quales futuri sint privati publicique mores, facile apparet. — Silemus de virtutibus divinioribus, quas absque singulari Dei munere et dono nec exercere potest quisquam, nec consequi: quarum profecto necesse est nullum in iis vestigium reperiri, qui redemptionem generis humani, qui gratiam caelestem, qui sacramenta, adipiscendamque in caelis felicitatem pro ignotis aspernantur. — De officiis loquimur, quae a naturali honestate ducuntur. Mundi enim opifex idemque providus gubernator Deus: lex aeterna naturalem ordinem conservari jubens, perturbari vetens: ultimus hominum finis multo excelsior rebus humanis extra haec mundana hospitia constitutus: hi fontes, haec principia sunt totius justitiae et honestatis. Ea si tollantur, quod Naturalistae idemque Massones solent, continuo justi et injusti scientia ubi consistat, et quo se tueatur omnino non habebit. Et sane disciplina morum, quae Massonum familiae probatur unice, et qua informari adolescentem aetatem contendunt oportere, ea est quam et *civicam* nominant et *solutam* ac *liberam*; scilicet in qua opinio

nulla sit religionis inclusa. At vero quam inops illa sit, quam firmitatis expers, et ad omnem auram cupiditatum mobilis, satis ostenditur ex iis, qui partim jam apparent, poenitendis fructibus. Ubi enim regnare illa liberius coepit, demota loco institutione christiana, ibi celeriter deperire probi integrique mores : opinionum tetra portenta convalescere : plenoque gradu audacia ascendere maleficiorum. Quod quidem vulgo conqueruntur et deplorant: idemque non pauci ex iis, qui minime vellent, perspicua veritate compulsi, haud raro testantur.

Praeterea, quoniam est hominum natura primi labe peccati inquinata, et ob hanc caussam multo ad vitia quam ad virtutes propensior, hoc omnino ad honestatem requiritur, cohibere motus animi turbidos et appetitus obedientes facere rationi. In quo certamine despicientia saepissime adhibenda est rerum humanarum, maximique exhauriendi labores ac molestiae, quo suum semper teneat ratio victrix principatum. Verum Naturalistae et Massones, nulla adhibita iis rebus fide, quas Deo auctore cognovimus, parentem generis humani negant deliquisse : propterea que liberum arbitrium nihil *viribus attenuatum et inclinatum* (1) putant. Quin immo exaggerantes naturae virtutem et excellentiam, in eaque principium et normam justitiae unice collocantes, ne cogitare quidem possunt, ad sedandos illius impetus regendosque appetitus assidua contentione et summa opus esse constantia. Ex quo videmus vulgo suppeditari hominibus illecebras multas cupiditatum: ephemeridas commentariosque nulla nec temperantia nec verecundia : ludos scenicos ad licentiam insignes: argumenta artium ex iis, quas vocant *verismi*, legibus proterve quaesita: excogitata subtiliter vitae artificia delicatae et mollis: omnia denique conquisita voluptatum blandimenta, quibus sopita virtus conniveat. In quo flagitiose faciunt, sed sibi admodum constant, qui expectationem tollunt bonorum caelestium, omnemque ad res mortales felicitatem abjiciunt et quasi demergunt in terram. — Quae autem commemorata sunt illud confirmare potest non tam re, quam dictu inopinatum. Cum enim hominibus versutis et callidis nemo fere soleat tam obnoxie servire, quam quorum est cupiditatum dominatu enervatus et fructus animus, reperti in secta Massonum sunt, qui ediderent ac proponerent, consilio et arte enitendum ut infinita vitiorum licentia exsaturetur multitudo; hoc enim facto, in potestate sibi et arbitrio ad quaelibet audenda facile futuram.

Quod ad convictum attinet domesticum, his fere continetur omnis Naturalistarum disciplina. Matrimonium ad negotiorum contrahendorum pertinere genus; rescindi ad voluntatem eorum, qui contraxerint, jure posse : penes gubernatores rei civilis esse in maritale vinclum potestatem. In educandis liberis nihil de religione praecipiatur ex certa destinataque sententia : integrum singulis esto, cum adoleverit aetas, quod maluerint sequi. — Atque haec ipsa assentiuntur plane Massones: neque assentiuntur solum, sed jamdiu student in morem consuetudinemque deducere. Multis jam in regionibus, iisdemque catholici nominis, constitutum est ut, praeter conjunctas ritu civili, justae ne habeantur nuptiae: alibi divortia fieri, lege

(1) Conc. Trid. Sess. VI, *De Justif.*, c. 1.

licet: alibi, ut quamprimum liceat, datur opera. Ita ad illud festinat cursus, ut matrimonia in aliam naturam convertantur, hoc est in conjunctiones instabiles et fluxas, quas libido conglutinet, et eadem mutata dissolvat. — Summa autem conspiratione voluntatum illuc etiam spectat secta Massonum, ut institutionem ad se rapiat adolescentium. Mollem enim et flexibilem aetatem facile se posse sentiunt arbitratu suo fingere, et quo velint, torquere: eaque re nihil esse opportunius ad sobolem civium, qualem ipsi meditantur, talem reipublicae educendam. Quocirca in educatione doctrinaque puerili nullas Ecclesiae ministris nec magisterii nec vigilantiae sinunt esse partes: pluribusque jam locis consecuti sunt, ut omnis sit penes viros laicos adolescentium institutio: itemque ut in mores informandos nihil admisceatur de iis, quae hominem jungunt Deo, permagnis sanctissimisque officiis.

Sequuntur civilis decreta prudentiae. Quo in genere statuunt Naturalistae, homines eodem esse jure omnes, et aequa ac pari in omnes partes conditione: unumquemque esse natura liberum: imperandi alteri jus habere neminem: velle autem, ut homines cujusquam auctoritati pareant, aliunde quam ex ipsis quaesitae, id quidem esse vim inferre. Omnia igitur in libero populo esse: imperium jussu vel concessu populi teneri, ita quidem ut, mutata voluntate populari, principes de gradu dejici vel invitos liceat. Fontem omnium jurium officiorumque civilium vel in multitudine inesse, vel in potestate gubernante civitatem, eaque novissimis informata disciplinis. Praeterea atheam esse rempublicam oportere: in variis religionis formis nullam esse caussam, cur alia alii anteponatur: eodem omnes loco habendas.

Haec autem ipsa Massonibus aeque placere, et ad hanc similitudinem atque exemplar velle eos constituere res publicas, plus est cognitum, quam ut demonstrari oporteat. Jamdiu quippe omnibus viribus atque opibus id aperte moliuntur: et hoc ipso expediunt viam audacioribus non paucis ad pejora praecipitantibus, ut qui aequationem cogitant communionemque omnium bonorum, deleto ordinum et fortunarum in civitate discrimine.

Secta igitur Massonum quid sit, et quod iter affectet ex his quae summatim attigimus, satis elucet. Praecipua ipsorum dogmata tam valde a ratione ac tam manifesto discrepant, ut nihil possit esse perversius Religionem et Ecclesiam, quam Deus ipse condidit, idemque ad immortalitatem tuetur, velle demoliri, moresque et instituta ethnicorum duodeviginti saeculorum intervallo revocare, insignis stultitiae est impietatisque audacissimae. Neque illud vel horribile minus, vel levius ferendum, quod beneficia repudientur per Jesum Christum benigne parta neque hominibus solum singulis, sed vel familia vel communitate civili consociatis; quae beneficia ipso habentur inimicorum judicio testimonioque maxima. In hujusmodi voluntate vesana et tetra recognosci propemodum videtur posse illud ipsum, quo Satanas in Jesum Christum ardet, inexpiabile odium ulciscendique libido. — Similiter illud alterum, quod Massones vehementer conantur, recti atque honesti praecipua fundamenta evertere, adjutoresque se praebere iis, qui more pecudum quodcumque libeat, idem licere vellent, nihil est aliud quam genus humanum cum ignominia et dedecore ad interitum

impellere. — Augent vero malum ea, quae in societatem cum domesticam tum civilem intenduntur pericula. Quod enim alias exposuimus, inest in matrimonio sacrum et religiosum quiddam omnium fere et gentium et aetatum consensu: divina autem lege cautum esse, ne conjugia dirimi liceat. Ea si profana fiant, si distrahi liceat, consequatur in familia necesse est turba et confusio, excidentibus de dignitate feminis, incerta rerum suarum incolumitatisque sobole. — Curam vero de religione publice adhibere nullam, et in rebus civicis ordinandis, gerendis, Deum nihilo magis respicere, quam si omnino non esset, temeritas et ipsis ethnicis inaudita: quorum in animo sensuque erat sic penitus affixa non solum opinio Deorum, sed religionis pubblicae necessitas, ut inveniri urbem facilius sine solo, quam sine Deo posse arbitrarentur. Revera humani generis societas ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eamdem ob caussam populi et civitates. Idcirco qui solutam omni religionis officio civilem communitatem volunt, perspicuum est non injuste solum, sed etiam indocte absurdeque facere. — Quod vero homines ad conjunctionem congregationemque civilem Dei voluntate nascuntur, et potestas imperandi vinculum est civilis societatis tam necessarium ut, eo sublato, illam repente disrumpi necesse sit, consequens est ut imperandi auctoritatem idem gignat, qui genuit societatem. Ex quo intelligitur, imperium in quo sit, quicumque is est, ministrum esse Dei. Quapropter, quatenus finis et natura societatis humanae postulant, legitimae potestati justa praecipienti aequum est parere perinde ac numini omnia moderantis Dei: illudque in primis a veritate abhorret, in populi esse voluntate positum obedientiam; cum libitum fuerit, abjicere. — Similiter, pares inter se homines esse universos, nemo dubitat, si genus et natura communis, si finis ultimus unicuique ad assequendum propositus, si ea, quae inde sponte fluunt, jura et officia spectentur. At vero quia ingenia omnium paria esse non possunt, et alius ab alio distat vel animi vel corporis viribus, plurimaeque sunt morum, voluntatis, naturarum dissimilitudines, idcirco nihil tam est repugnans rationi, quam una velle comprehensione omnia complecti, et illam omnibus partibus expletam aequabilitatem ad vitae civilis instituta traducere. Quemadmodum perfectus corporis habitus ex diversorum existit junctura et compositione membrorum, quae forma usuque differunt, compacta tamen et suis distributa locis complexionem efficiunt pulchram specie, firmam viribus, utilitate necessariam: ita in republica hominum quasi partium infinita propemodum est dissimilitudo: qui si habeantur pares arbitriumque singuli suum sequantur, species erit civitatis nulla deformior: si vero dignitatis, studiorum, artium distinctis gradibus, apte ad commune bonum conspirent, bene constitutae civitatis imaginem referent congruentemque naturae.

Ceterum ex iis, quos commemoravimus, turbulentis erroribus, maximae sunt civitatibus extimescendae formidines. Nam sublato Dei metu legumque divinarum verecundia, despecta principum auctoritate, permissa proba-

taque seditionum libidine, projectis ad licentiam cupiditatibus popularibus, nullo nisi poenarum freno, necessario secutura est rerum omnium commutatio et eversio. Hanc immo commutationem eversionemque consulto meditantur, idque prae se ferunt, plurimi *Communistarum* et *Socialistarum* consociati greges : quorum coeptis alienam ne se dixerit secta Massonum, quae et consiliis eorum admodum favet, et summa sententiarum capita cum ipsis habet communia. Quod si nec continuo nec ubique ad extrema experiendo decurrunt, non ipsorum est disciplinae, non voluntati tribuendum, sed virtuti religionis divinae, quae extingui non potest, itemque saniori hominum parti, qui societatum clandestinarum recusantes servitutem, insanos earum conatus forti animo refutant.

Atque utinam omnes stirpem ex fructibus judicarent, et malorum quae premunt, periculorum quae impendent, semen et initium agnoscerent ! Res est cum hoste fallaci et doloso, qui serviens auribus populorum et principum, utrosque mollibus sententiis et assentatione cepit. — Insinuando sese ad viros principes simulatione amicitiae, hoc spectarunt Massones, illos ipsos habere ad opprimendum catholicum nomen socios et adjutores potentes : quibus quo majores admoverent stimulos, pervicaci calumnia Ecclesiam criminati sunt de potestate juribusque regiis cum principibus invidiose contendere. His interim artibus quaesita securitate et audacia, plurimum pollere in regendis civitatibus coeperunt, ceterum parati imperiorum fundamenta quatere, et insequi principes civitatis, insimulare, ejicere, quoties facere secus in gubernando viderentur, quam illi maluissent. — Haud absimili modo populos assentando ludificati sunt. Libertatem prosperitatemque publicam pleno ore personantes, et per Ecclesiam Principesque summos stetisse, quominus ex iniqua servitute et egestate multitudo eriperetur, populo imposuerunt, eumque rerum novarum sollicitatum siti in oppugnationem utriusque potestatis incitaverunt. Nihilominus tamen speratarum commoditatum major est expectatio, quam veritas : immo vero pejus oppressa plebs magnam partem iis ipsis carere cogitur miserariarum solatiis, quae, compositis ad christiana instituta rebus, facile et abunde reperire potuisset. Sed quotquot contra ordinem nituntur divina providentia constitutum, has dare solent superbiae poenas, ut sibi afflictam et miseram offendant fortunam, unde prosperam et ad vota fluentem temere expectavissent.

Ecclesia vero, quod homines obedire praecipue et maxime jubet summo omnium principi Deo, injuria et falso putaretur aut civili invidere potestati, aut sibi quicquam de jure principum arrogare. Immo quod civili potestati aequum est reddere, id plane judicio conscientiaque officii decernit esse reddendum. Quod vero ab ipso Deo jus arcessit imperandi, magna est ad civilem auctoritatem dignitatis accessio, et observantiae benevolentiaeque civium colligendae adjumentum non exiguum. Eadem amica pacis, altrix concordiae, materna omnes caritate complectitur; et juvandis mortalibus unice intenta, justitiam oportere docet cum clementia, imperium cum aequitate, leges cum moderatione conjungere: nullius jus violandum, ordini tranquillitatique publicae serviendum, inopiam miserorum, quam maxime fieri potest, privatim et publice sublevandam. *Sed propterea putant*, ut

verba usurpemus Augustini, *vel putari volunt, christianam doctrinam utilitati non convenire reipublicae, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impunitate vitiorum* (1). Quibus cognitis, hoc esset civili prudentiae admodum congruens, et incolumitati communi necessarium, principes et populos non cum Massonibus ad labefactandam Ecclesiam, sed cum Ecclesia ad frangendos Massonum impetus conspirare.

Utcumque erit, in hoc tam gravi ac nimis jam pervagato malo Nostrarum est partium, Venerabiles Fratres, applicare animum ad quaerenda remedia. — Quia vero spem remedii optimam et firmissimam intelligimus esse in virtute sitam religionis divinae, quam tanto pejus Massones oderunt, quanto magis pertimescunt, ideo caput esse censemus saluberrimam istam adversus communem hostem advocatam adhibere virtutem. Itaque quaecumque romani Pontifices Decessores Nostri decreverunt inceptis et conatibus sectae Massonum impediendis: quaecumque aut deterrendi ab ejusmodi societatibus aut revocandi caussa sanxerunt, omnia Nos et singula rata habemus atque auctoritate Nostra Apostolica confirmamus. In quo quidem plurimum voluntate christianorum confisi, per salutem singulos suam precamur quaesumusque, ut religioni habeant vel minimum ab iis discedere, quae hac de re Sedes Apostolica praeceperit.

Vos autem, Venerabiles Fratres, rogamus flagitamus, ut collata Nobiscum opera, extirpare impuram hanc luem quae serpit per omnes reipublicae venas, enixe studeatis. Tuenda Vobis est gloria Dei, salus proximorum: quibus rebus in dimicando propositis, non animus vos, non fortitudo deficiet. Erit prudentiae vestrae judicare, quibus potissimum rationibus ea, quae obstabunt et impedient, eluctanda videantur. — Sed quoniam pro auctoritate officii Nostri par est probabilem aliquam rei gerendae rationem Nosmetipsos demonstrare, sic statuite, primum omnium reddendam Massonibus esse suam, dempta persona, faciem: populosque sermone et datis etiam in id Litteris episcopalibus edocendos, quae sint societatum ejus generis in blandiendo alliciendoque artificia, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitudo. Quod pluries Decessores Nostri confirmarunt, nomen sectae Massonum dare nemo sibi quapiam de caussa licere putet, si catholica professio et salus sua tanti apud eum sit, quanti esse debet. Ne quem honestas assimulata decipiat: potest enim quibusdam videri, nihil postulare Massones, quod aperte sit religionis morumve sanctitati contrarium: verumtamen quia sectae ipsius tota in vitio flagitioque est et ratio et caussa, congregare se cum eis, eosve quoquo modo juvare, rectum est non licere.

Deinde assiduitate dicendi hortandique pertrahere multitudinem oportet ad praecepta religionis diligenter addiscenda: cujus rei gratia valde suademus, ut scriptis et concionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur. Quod illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur et contra multiplices errorum formas et varia invitamenta vitiorum muniantur in hac praesertim et scribendi licentia et inexhausta aviditate discendi. — Magnum sane opus: in quo

(1) *Epist.* CXXXVI, al. III; ad Volusianum, c. V, n. 20.

tamen particeps et socius laborum vestrorum praecipue futurus est Clerus, si fuerit, Vobis adnitentibus, a disciplina vitae, a scientia literarum probe instructus. Verum tam honesta caussa tamque gravis advocatam desiderat industriam virorum laicorum, qui religionis et patria caritatem cum probitate doctrinaque conjungant. Consociatis utriusque ordinis viribus, date operam, Venerabiles Fratres ut Ecclesiam penitus et cognoscant homines et caram habeant: ejus enim quanto cognitio fuerit amorque major, tanto futurum majus est societatum clandestinarum fastidium et fuga. — Quocirca non sine caussa idoneam hanc occasionem nacti, renovamus illud quod alias exposuimus, Ordinem Tertium Franciscalium, cujus paullo ante temperavimus prudenti lenitate disciplinam, perquam studiose propagare fuerique oportere. Ejus enim, ut est ab auctore suo constitutus, haec tota est ratio, vocare homines ad imitationem Jesu Christi, ad amorem Ecclesiae, ad omnia virtutum christianarum officia: propterea que multum posse debet ad societatum nequissimarum supprimendam contagionem. Novetur itaque quotidianis incrementis isthaec sancta sodalitas, unde cum multi expectari possunt fructus, tum ille egregius, ut traducantur animi ad libertatem, ad fraternitatem, ad aequalitatem juris: non qualia Massones absurde cogitant, sed qualia et Jesus Christus humano generi comparavit et Franciscus secutus est. Libertatem dicimus *Filiorum Dei*, per quam nec Satanae, nec cupiditatibus, improbissimis dominis, serviamus: fraternitatem, cujus in Deo communi omnium procreatore et parente consistat origo: aequalitatem quae jnstitiae caritat sque constituta fundamentis, non omnia tollat inter homines discrimina, sed ex vitae, officiorum, studiorumque varietate mirum illum consensum efficiat et quasi concentum, qui natura ad utilitatem pertinet dignitatemque civilem.

Tertio loco una quaedam res est, a majoribus sapienter instituta, eademque temporum cursu intermissa, quae tamquam exemplar et forma ad simile aliquid valere in praesentia potest. — Scholas seu collegia opificum intelligimus, rebus simul et moribus, duce religione, tutandis. Quorum collegiorum utilitatem si majores nostri diuturni temporis usu et periclitatione senserunt, sentiet fortasse magis aetas nostra, propterea quod singularem habent ad elidendas sectarum vires opportunitatem. Qui mercede manuum inopiam tolerant, praeterquam quod ipsa eorum conditione uni ex omnibus sunt caritate solatioque dignissimi, maxime praeterea patent illecebris grassantium per fraudes et dolos. Quare juvandi sunt majore qua potest benignitate, et invitandi ad societates honestas, ne pertrahantur ad turpes. Hujus rei caussa collegia illa magnopere vellemus auspiciis patrocinioque Episcoporum convenienter temporibus ad salutem plebis passim restituta. Nec mediocriter Nos delectat, quod pluribus jam locis sodalitates ejusmodi, itemque coetus patronorum constituti sint: quibus propositum utrisque est honestam proletariorum classem juvare, eorum liberos, familias, praesidio et custodia tegere, in eisque pietatis studia, religionis doctrinam, cum integritate morum tueri. — In quo genere silere hoc loco nolumus illam spectaculo exemploque insignem, de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam societatem, quae a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit: scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis

suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque mirabili: quae quo minus videri vult, eo est ad caritatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior.

Quarto loco, quo facilius id quod volumus assequamur, fidei vigiliaeque vestrae majorem in modum commendamus juventutem, ut quae spes est societatis humanae. — Partem curarum vestrarum in ejus institutione maximam ponite: nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda major, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur. Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianae doctrinae praeceptiones insistant Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de ejusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudulentas et varias, quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos ut statuant ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae judice, nulla se unquam societate obligaturos.

Verum probe intelligimus, communes labores nostros evellendis his agro Dominico perniciosis seminibus haudquaquam pares futuros, nisi caelestis dominus vineae ad id quod tutandum benigne adjuverit. — Igitur ejus opem auxiliumque implorare necesse est studio vehementi ac sollicito, quale et quantum vis periculi et magnitudo necessitatis requirunt. Efferi se insolenter, successu gestiens, secta Massonum, nec ullum jam videtur pertinaciae factura modum. Asseclae ejus universi nefario quodam foedere et occulta consiliorum communitate juncti operam sibi mutuam tribuunt, et alteri alteros ad rerum malarum excitant audaciam. Oppugnatio tam vehemens propugnationem postulat parem: nimirum boni omnes amplissimam quamdam coeant opus est et agendi societatem et precandi. Ab eis itaque petimus, ut concordibus animis contra progredientem sectarum vim conferti immotique consistant: iidemque multum gementes tendant Deo manus supplices, ab eoque contendant, ut christianum floreat vigeatque nomen: necessaria libertate Ecclesia potiatur: redeant ad sanitatem devii: errores veritati, vitia virtuti aliquando concedant. — Adjutricem et interpretem adhibeamus Mariam Virginem matrem Dei, ut quae a conceptu ipso Satanam vicit, eadem se impertiat improbarum sectarum potentem, in quibus perspicuum est contumaces illos mali daemonis spiritus cum indomita perfidia et simulatione reviviscere. — Obtestemur principem Angelorum caelestium, depulsorem hostium infernorum, Michaelem: item Josephum Virginis sanctissimae sponsum, Ecclesiae catholicae patronum caelestem salutarem: Petrum et Paullum Apostolos magnos, fidei christianae satores et vindices navicos. Horum patrocinio et constantium perseverantia precum futurum confidimus, ut conjecto in tot discrimina hominum generi opportune Deus benigneque succurrat.

Caelestium vero munerum et benevolentiae Nostrae testem Vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque universo vigilantiae vestrae commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die xx Aprilis an. MDCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri anno septimo. LEO PP. XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE CIVITATUM CONSTITUTIONE CHRISTIANA

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures majoresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam hujus vitae quae in terris agitur, prosperitatem institutum. — Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtututibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit: quam quotquot accepere populi, mansuetudine, aequitate, rerum gestarum gloria excelluerunt. — Sed vetus tamen illa est atque antiqua vituperatio, quod Ecclesiam ajunt esse cum rationibus reipublicae dissidentem, nec quicquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre, quae suo jure suaque sponte omnis bene constituta civitas appetit. — Sub ipsis Ecclesiae primordiis non dissimili opinionis iniquitate agitari christianos, et in odium invidiamque vocari solitos hac etiam de caussa accepimus, quod hostes imperii dicerentur: quo tempore malorum culpam, quibus esset perculsa respublica, vulgo libebat in Christianum conferre nomen, cum revera ultor scelerum Deus poenas a sontibus justas exigeret. Ejus atrocitas calumniae non sine caussa ingenium armavit stilumque acuit Augustini: qui praesertim in *Civitate Dei* virtutem christianae sapientiae, qua parte necessitudinem habet cum re publica, tanto in lumine collocavit, ut non tam pro christianis sui temporis dixisse caussam, quam de criminibus falsis perpetuum triumphum egisse videatur. — Similium tamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum*, ut appellant, *jus*, quod inquiunt esse velut quoddam adulti jam saeculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim coepit. — Sed quantumvis multa multi pericliati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit. — Maximi igitur momenti atque admodum muneri Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur, novas de re publica opiniones cum

doctrina christiana conferre: quo modo erroris dubitationisque caussas ereptum iri, emergente veritate, confidimus, ita ut videre quisque facile queat summa illa praecepta vivendi, quae sequi et quibus parere debeat.

Non est magni negotii statuere, qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernante christiana philosophia rem publicam — Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad conjunctionem congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura proptereaque a Deo ipso oriatur auctore. — Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut quicumque jus imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo* (1). — Jus autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsi in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus, quae sunt quaeque cernuntur, caussas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quaeque ad eum finem, quo haec rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent. Debet igitur imperium justum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune omnium bonum constituta sit. Quod si, qui praesunt, delabantur in dominatum injustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur* (2). — Ita sane maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia justa ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ad

(1) Rom. XIII, 1.
(2) Sap. VI, 1.

fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (1) — Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (2). Quapropter obedientiam abjicere, et, per vim multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen majestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae.

Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam jungunt Deo, religione publica satisfacere. — Natura et ratio, quae jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti, ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate conjuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque minorem, quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus jusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abjicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat; omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. — Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit ejus incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda, extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in caelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes, quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cujus officia hominem Deo conjungunt.

Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui judicium prudens sincerumque adhibuerit: argumentis enim permultis atque illustribus, ve-

(1) Rom. XIII. 1.
(2) Ibid. XIII. 2

ritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Jesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

Nam unigenitus Dei filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1). — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummutionea saeculi* (2). Igitur sicut Jesus Christus in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (3), eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animorum sempiternam: ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae* (4). — Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent: unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni caelorum commisit. *Tibi dabo claves regni caelorum* (5). — *Pasce agnos . . . pasce oves* (6): — *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (7). — Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest, societas est genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita ejus potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia. — Revera Jesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur, judicandi puniendique potestate: « *Data est mihi omnis potestas* « *in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos* « *servare omnia quaecumque mandavi vobis* (8) ». Et alibi: « *Si non* « *audierit eos, dic Ecclesiae* (9) ». Atque iterum: « *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (10) ». Rursus: « *Durius agam se-* « *cundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et* « *non in destructionem* (11) ». Itaque dux hominibus esse ad caelestia,

(1) Joan. XX, 21.
(2) Matth. XXVIII, 20.
(3) Joan. X, 10.
(4) Marc. XVI, 15.
(5) Matth. XVI, 19.
(6) Joan. XXI, 16, 17.
(7) Luc. XXII, 32.
(8) Matth. XXVIII, 18, 19, 20.
(9) Matth. XVIII, 17.
(10) II Cor. X, 6.
(11) Ibid. XIII, 10.

« non civitas sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat: ut doceat omnes gentes: ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat; brevi, ut rem christianam libere expediteque judicio suo administret. — Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui juris, quae ab assentatrice principum philosophia jamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere numquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant, *obedire oportet Deo magis, quam hominibus* (1). Eamdem sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt: romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam praetermiserunt. — Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt. — Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque naturâ caussâque proxime definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque jus judiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt* (2). Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti, haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria jubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent. — Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter judicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendâque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, al-

(1) Act. V, 29.
(2) Rom. XIII, 1.

teri caelestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae : cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Cristus jusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei Deo. — Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

Ejusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur.

Talis autem conformatio reipublicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum : tantumque abest, ut jura majestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent ceteri rerum publicarum modi : ex eaque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulae gradum tenerent, atque illud integre efficerent, cui unaquaeque praeposita est, officium et munus. — Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicae, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita : incolumia civium jura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa : officiorum singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt praesto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adjutores : pariterque intelligunt, sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera, quibus communis haec vita constat, vel parienda vel conservanda datos. — Societas domestica eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate conjugii : jura officiaque inter conjuges sapienti justitia et aequitate reguntur : debitum conservatur mulieri decus : auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata : temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque : denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur. — In genere rerum politico et civili, leges spectant commune bonum, neque voluntate judicioque fallaci multitudinis, sed veritate justitiaque diriguntur: auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana majorem, continenturque ne declinet a justitia, neu modum in imperando transiliat : obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad justitiam pertinere illa intelliguntur, vereri majestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicae, nihil seditiose facere, sanctam

servare disciplinam civitatis. — Similiter ponitur in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas : non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se praeceptis, civis idem et christianus : denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quaeruntur : ita ut illud appareat verissime dictum, « pendet a religione, qua Deus colitur, rei publicae sta- « tus : multaque inter hunc et illam cognatio et familiaritas intercedit (1). » — Eorum vim bonorum mirabiliter, uti solet, persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Ecclesiam catholicam appellat iis verbis : « Tu puerilitер pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cu- « jusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. « Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagan- « dam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia « subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, « sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam « servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione praeponis... Tu cives « civibus, tu gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum re- « cordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjun- « gis. Doces reges prospicere populis, omnes populos se subdere regibus. « Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, « quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, « quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces ; ostendens que- « madmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas et nulli debeatur « injuria (2). » — Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos : « Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent « exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales pro- « vinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales « dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales denique delatorum « ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina chri- « stiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae, immo vero « non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse rei- « publicae (3). »

Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat: cum religio per Jesum Christum instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimaque magistratuum tutela ubique floreret: cum sacerdotium atque imperium concordia et amica officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinionem majores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana

(1) Sacr. Imp ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop. — Cfr. Labbeum Collect Conc. t. III

(2) De moribus Eccl. cath., cap. XXX, n. 63.

(3) Epist. CXXXVIII (al. 5: ad Marcellinum, cap. II, n. 15.

barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Maomethanorum incursiones victrix propulsavit: quod civilis cultus principatum retinuit, ei ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificari populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suspiciendas habuit aspicem, ad perficiendas adjutricem. — Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: majoraque expectari jure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae majore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit, « cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, « floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tan« tum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dila« buntur (1). »

Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI excitata sunt, cum primum religionem christianam miscuisseant, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt. Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta *novi juris*, quod et fuit antea ignotum, et a jure non solum christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat. — Eorum principiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares: unumquemque ita esse sui juris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius: cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse: imperandi aliis jus esse in nemine. His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: diliget autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam jus, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio jacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive societati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullius, cujus non in Deo ipso caussa et vis et auctoritas tota resideat. Quo modo, ut perspicitur, est respublica nihil aliud nis magistra et gubernatrix sui multitudo: cumque populus omnium jurium omnisque potestatis fontem in se ipse continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet; ut religionem publice profiteatur nullam, nec debeat ex pluribus quae vera sola sit quaerere, nec unam quandam ceteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequabilitatem juris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, pro libito singulorum permittere omnem de religione

(1) Ep. CCXXXVIII.

quaestionem; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur: exlex uniuscujusque conscientiae, judicium; liberrimae de Deo colendo, de non colendo sententiae; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

His autem positis, quae maxime probantur hoc tempore, fundamentis reipublicae, facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur Ecclesia. — Nam ubi cum ejusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur: legum ecclesiasticarum nulla habetur ratio: Ecclesia, quae jussu mandatoque Jesu Christi docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem jubetur nihil attingere. — De ipsis rebus, quae sunt mixti juris, per se statuunt gubernatores rei civilis arbitratu suo, in eoque genere sanctissimas Ecclesiae leges superbe contemnunt. Quare ad jurisdictionem suam trahunt matrimonia christianorum, decernendo etiam de maritali vinculo, de unitate, de stabilitate conjugii: movent possessiones clericorum, quod res suas Ecclesiam tenere posse negant. Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et juribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas respublica continet: ob eamque rem si quid illa juris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis. — Si qua vero in republica suum Ecclesia, jus, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant, dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere; idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniumque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium. — Id vero cum patienter ferre Ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, omninoque postulet, ut obligata sibi fides integre religioseque solvatur, saepe sacram inter ac civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quae minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.

Ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc a plerisque adamatur, mos et voluntas est, aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere. Quae publice aguntur, eo consilio magnam partem aguntur. Leges, administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia, incidere nervos institutorum christianorum, Ecclesiaeque catholicae et libertatem in angustum deducere, et jura cetera comminuere.

Ejusmodi de regenda civitate sententias ipsa naturalis ratio convincit, a veritate dissidere plurimum. — Quidquid enim potestatis usquam est a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod, nullo ad Deum respectu, in multitudine inesse naturâ dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam. Revera his doctrinis res inclinavere usque eo, ut haec a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciatur, seditiones posse

jure conflari. Valet enim opinio, nihilo principes pluris esse, quam delectos quosdam, qui voluntatem popularem exequantur: ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper impendeat.

De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare judicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse.

Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana jure laetetur: sed multorum malorum fons et origo. — Libertas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari: boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa rerum natura, incommutabilis Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabuntur. Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: gratia tutelâve legum defendere, multo minus. Sola bene acta vita via est in caelum, quo tendimus universi: ob eamque rem aberrat civitas a regula et praescriptione naturae, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, ut impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere. — Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error. Bene morata civitas esse, sublata religione, non potest: jamque plus fortasse, quam oporteret, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant. Vera est magistra virtutis et custos morum Ecclesia Christi: ea est, quae incolumia tuetur principia, unde officia ducuntur, propositisque caussis ad honeste vivendum efficacissimis, jubet non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu. — Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subjectam, magna quidem injuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt praeponuntur iis, quae sunt supra naturam: tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret: praeterea que via ad inimicitias munitur et certamina, quae quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit.

Hujusmodi doctrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt. Sic Gregorius XVI per Encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos* die XV Augusti anno MDCCCXXXII, magna

sententiarum gravitate ea perculit, quae jam praedicabantur, in cultu divino nullum adhibere delectum oportere: integrum singulis esse, quod malint, de religione judicare: solam cuique suam esse conscientiam judicem: praeterea edere quae quisque senserit, itemque res moliri novas in civitate licere. De rationibus rei sacrae reique civitis distrahendis sic idem Pontifex: « Neque laetiora et religioni et principatui ominari possemus ex « eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum « sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab « impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei « et sacrae et civili fausta extitit et salutaris. » — Non absimili modo Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quae maxime valere coepissent, plures notavit, easdemque postea in unum cogi jussit, ut scilicet in tanta errorum colluvione haberent catholici homines, quod sine offensione sequerentur (1).

Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam jactandi potestatem non esse in civium juribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam. — Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et jure perfectam: neque debere, qui summam imperii tenent, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quicquam de ceteris juribus detrahant, quae in ipsam a Jesu Christo collata sunt. — In negotiis autem mixti juris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem genuerunt.

Haec quidem sunt, quae de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur. — Quibus tamen dictis decretisque si recte dijudicari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eademque possunt, si sapienter adhibeantur et juste, in optimo statu tueri civitatem. — Immo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum rei publicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium. — Insuper neque caussa justa nascitur, ut Ecclesiam quisquam criminetur,

---

(1) Earum nonnullas indicare sufficiat.

Prop. XIX. — Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Prop. XXXIX. — Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Prop. LV. — Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Prop. LXXIX. — . . . falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quasliber opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae germana et legitima, sit, libertati inimicam. — Revera si divini cultus varia genera eodem jure esse quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum. — Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens* (1).

Simili ratione nec potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat sanctissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas; recentissimeque ab Augustino *libertas perditionis* (2), a Petro Apostolo *velamen malitiae* (3) appellatur: immo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui* enim *facit peccatum, servus est peccati* (4). Contra illa germana est atque expetenda libertas, quae si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit: si publice, civibus sapienter praest, facultatem augendorum commodorum large ministrat: remque publicam ab alieno arbitrio defendit. — Atqui honestam hanc et homine dignam libertatem, Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram, eniti et contendere numquam destitit. — Revera quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt: quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae: quae summam rempublicam vetant in municipalem, vel domesticam rem importunius invadere: quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem juris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur. Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores, quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant hujus vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuram. — Ergo quod inquiunt, Ecclesiam secundum civilatum invadere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare, inanis est et jejuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum: improbat nefaria seditionum studia illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo: sed quia omne, quod verum est, a Deo proficisci necesse est, quidquid, indagando, veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium. Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quae adrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines profe-

(1) Tract. XXVI in Ioan., n. 2.
(2) Epist. CV, ad Donatistas, cap. II, n. 9.
(3) I. Petr. II, 16.
(4) Joan. VIII, 34

rendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet: eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet, quae positae sunt in explicatione naturae. Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens repererit novi: non repugnat quin plura quaerantur ad decus commoditatemque vitae: immo inertiae desidiaque inimica, magnopere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus: incitamenta praebet ad omne genus artium atque operum: omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens, impedire nititur, quominus a Deo bonisque caelestibus sua hominem intelligentia atque industria deflectat.

Sed haec, tametsi plena rationis et consilii, minus probantur hoc tempore, cum civitates non modo recusant sese ad christianae sapientiae referre formam, sed etiam videntur quotidie longius ab ea velle discedere. — Nihilominus quia in lucem prolata veritas solet sua sponte late fluere, hominumque mentes sensim pervadere, idcirco Nos conscientia maximi sanctissimique officii, hoc est Apostolica, qua fungimur ad gentes universas, legatione permoti, ea quae vera sunt, libere, ut debemus, eloquimur: non quod non perspectam habeamus rationem temporum, aut repudianda aetatis nostrae honesta atque utilia incrementa putemus sed quod rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta vellemus: idque incolumi populorum germana libertate; in hominibus enim mater et custos optima libertatis veritas est: *veritas liberabit vos* (1).

Itaque in tam difficili rerum cursu, catholici homines, si Nos, ut oportet, audierint, facile videbunt quae sua cujusque sint tam in *opinionibus*, quam in *factis* officia. — Et in opinando quidem quaecumque Pontifices romani tradiderint vel tradituri sunt, singula necesse est et tenere judicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri. Ac nominatim de iis, quas *libertates* vocant novissimo tempore quaesitas, oportet Apostolicae Sedis stare judicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. Cavendum, ne quem fallat honesta illarum species: cogitandumque quibus ortae initiis, et quibus passim sustententur atque alantur studiis Satis jam est experiendo cognitum, quarum illae rerum effectrices sint in civitate: eos quippe passim genuere fructus, quorum probos viros et sapientes jure poeniteat. — Si talis alicubi aut reapse sit, aut fingatur cogitatione civitas, quae christianum nomen insectetur proterve et tyrannice, cum eaque conferatur genus id reipublicae recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus nititur, sunt profecto eiusmodi, sicut ante diximus, ut per se ipsa probari nemini debeant.

Potest tamen aut in privatis domesticisque rebus, aut in publicis actio versari. — Privatim quidem primum officium est, praeceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad patiendum tolerandumque paulo difficilius. Debent praeterea singuli Ecclesiam sic diligere, ut communem matrem: ejusque et servare obedienter leges, et honori servire, et jura salva velle: conarique,

(1) Joan. VIII. 32

ut ab iis, in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur atque ametur. — Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. - Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsumque summam rempublicam complect, generatim utile est atque honestum. *Generatim*, eo dicimus, quia haec praecepta Nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut, maximis justissimisque de caussis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae: eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferrant. Idque esset etiam cum pernice conjunctum christiani nominis: propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi caussam esse justam catholicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam caussam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum: sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere. — Haud aliter actum in primis Ecclesiae aetatibus. Mores enim et studia ethnicorum quam longissime a studiis abhorrebant moribusque evangelicis: christianos tamen cernere erat in media superstitione incorruptos semperque sui similes animose, quacumque daretur aditus, inferre sese. Fideles in exemplum principibus, obedientesque, quoad fas esset, imperio legum, fundebant mirificum splendorem sanctitatis usquequaque; prodesse studebant fratribus, vocare ceteros ad sapientiam Christi, cedere tamen loco atque emori fortiter parati, si honores, si magistratus, si imperia retinere, incolumi virtute, nequivissent. Qua ratione celeriter instituta christiana non modo in privatas domos, sed in castra, in curiam, in ipsam regiam invexere. « Hesterni « sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, « conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum (1): » ita ut fides christiana cum evangelium publice profiteri lege licuit, non in cunis vagiens, sed adulta et jam satis firma in magna civitatum parte apparuerit.

Jamvero his temporibus consentaneum est, haec majorum exempla renovari. — Catholicos quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum omnium necesse est amantissimos Ecclesiae filios et esse et videri velle: quae res nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere:

(1) Tertull. Apol. n. 37.

institutis populorum, quantum honeste fieri potest, ad veritatis justitiaeque patrocinium uti : elaborare, ut constitutum naturae Deique lege modum libertas agendi ne transiliat : dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam similitudinem et formam omnis respublica traducatur. — Harum rerum adipiscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode potest, cum debeat singulis locis temporibusque, quae sunt multum inter se disparia, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia, quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, si praescripta Sedis Apostolicae legem vitae sirguli putent, atque Episcopis obtemperent, *quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (1). — Defensio quidem catholici nominis necessario postulat ut in profitendis doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia, et summa constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De iis quae sunt opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandae veritatis disputare, procul tamen suspicionibus injuriosis, criminationibusque mutuis. — Quam ad rem, ne animorum conjunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intelligant universi : integritatem professionis catholicae consistere nequaquam posse cum opinionibus ad *naturalismum* vel *rationalismum* accedentibus, quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire in societate principatum, posthabito Deo. — Pariter non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiae auctoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia conjungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere viae a virtute christiana deficere. — Verum si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de hic rebus potest honesta esse dissensio. Quorum igitur cognita ceteroqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam, justitia non patitur: multoque est major injuria, si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus, adducantur. — Omninoque istud praeceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione nihil est intestinis concertationibus, vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet voluntaria quádam oblivione conterere: si quid temere, si quid injuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est caritate mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redimendum. — Hac via duas res praeclarissimas catholici consecuturi sunt, alteram, ut adjutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagan-

(1) Act. XX, 28.

daque sapientia christiana: alteram ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cujus, malarum doctrinarum cupiditatumque caussa, magnopere periclitatur salus.

Haec quidem, Venerabiles Fratres, habuimus, quae universis catholici orbis gentibus traderemus de civitatum constitutione christiana, officiisque civium singulorum.

Ceterum implorare summis precibus oportet caeleste praesidium, orandusque Deus, ut haec, quae ad ipsius gloriam communemque humani generis salutem cupimus et conamur, optatos ad exitus idem Ipse perducat, cujus est illustrare hominum mentes, permovere voluntates. — Divinorum autem beneficiorum auspicem, et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Novembris MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri anno octavo.

LEO PP. XIII.

EX EPISTOLA AD CARDINALEM M. RAMPOLLA

Sed et aliud caput est, quod attentionem nostram continenter provocat quodque tum Nobis, tum etiam Apostolicae nostrae potestati plurimi aestimanda res est: praesentem nimirum significamus conditionem, in qua ob tristem gravemque inter Italiam, prout est hodie civiliter constituta, et Romanum Pontificatum discordiam Nos Romae versamur.

In re tanti momenti tibi, Eme Cardinalis, animi nostri sensu plene atque integre aperire volumus.

Saepe numero desiderium nostrum ut hujusmodi dissidium tandem componeretur exprompsimus: atque etiam in Allocutione consistoriali, die XXIII maii proxime elapsi, habita, animum nostrum ad extendendum pacificationis opus, quemadmodum in ceteras Nationes, ita etiam, et quidem speciali modo, in Italiam, tot nomibus Nobis caram arcteque coniunctam, propensum recens declaravimus.

At vero hic ut ad concordiam serio stabiliendam perveniatur, haud satis est, ut alibi, cuidam privatae Religionis exigentiae consulere, quosdam hostiles leges temperare aut abrogare, aliave contraria Nobis statuta, quae forte impendant, praepedire, avertere: sed requiritur insuper immo primo loco et potissimum, ut Supremi Ecclesiae Capitis conditio, quae multis abhinc annis per vim atque injurias evasit Eo prorsus indigna atque Apostolico muneri insociabilis, prout decet et convenit statuatur. Eapropter in praedicta allocutione primum huius pacificationis fundamentum justitiam dignitatemque Sedis Apostolicae ponere curavimus, atque eum rerum statum Nobis expostulare, quo Romanus Pontifex subesse debeat nemini plenaque non vero illusoria libertate frui.

Profecto ibi locus non erat verba nostra perperam interpretandi eaque in sensum menti nostrae omnino contrarium detorquendi. Ex illis quidem sensus a nobis conceptus evidens sua sponte prodibat, conditionem nimirum, religiosae pacificationi in Italia perficiendae absolute necessariam esse verum Romano Pontifici tribuere Regium Principatum. In praesenti quippe rerum statu perspicuum est, Nos potius quam in Nostra, in aliena potestate consistere, eorum videlicet ab quorum arbitrio pendet, conditiones ipsas existentiae Nostrae pro hominum atque adiunctorum variatione, quando et quo modo arrideat, immutare « Verius in aliena potestate sumus, uti saepe numero significavimus, quam Nostra ». Quare ab initio Pontificatu, quod nostrum officium erat, Regium Principatum Romano Pontifici, non quidem ambitionis aestu, nec humanae celsitudinis cupiditate ducti, sed ut veram efficacemque propriae ἀυτονομίας ac libertatis tutelam, nullo non tempore etiam atque etiam vindicavimus.

Reapse Summi Pontificatus auctoritas a Domino Jesu Christo instituta, et in S. Petrum, ac per ipsum in huius successores, Romanos Pontifices, collata: Missioni Filii Dei reparatrici, usque ad saeculorum consummatio-

nem in mundo prosequendae destinata: omnium praeclarissimis decoribus ornata, sublimibus cum potestate iuribus propriis ac legitimis, quae ad veram perfectissimamque societatem regendam requiruntur, affatim donata, nequaquam cum ob sui naturam tunc etiam ob expressam divini sui ipsius Fundatoris voluntatem, humanae cuilibet in terris potestati subesse unquam potest, imo debet in Officii sui muneribus fungendis amplissima libertate frui.

Quoniam vero ab hac suprema auctoritate ejusque libero exercitio pendet totius Ecclesiae bonum, maximopere intererat, ut ejus nativa αὐτονομία ac libertas tuta et secura, sarta tectaque trans saecula in illius Viri Persona, qui eadem auctoritate praeditus esset, servaretur iis modis atque adminiculis, quae divina Providentia ad finem consequendum efficacia aptaque agnovisset. Atque ita Ecclesia ex diutinis immanibusque oppugnationibus, quae quasi in manifestum de eius devinitate testimonium primis saeculis eidem contigerunt, victrix egressa, aetate, quae infantiae dici potest, transacta, quumque jam tempus advenisset, quo se in plenu vitae suae explicatione ostenderet, Romanis Pontificibus nova ac specialis rerum conditio incepit, quae pedetentim concurrentibus, Dei numine, quibusdam propitiis rerum adiunctis in stabilem desit civilis eorumdem Principatus constitutionem. Qui varia subinde forma atque extentione inter innumera plurium saeculorum vicissitudines ad haec usque tempora, in Italiam totamque Europam mirificentissima, etiam in re politica ac civili, commoda conferens, firmus perstitit.

Romanorum Pontificum eorumque Principatus insignia decora profecto sunt barbarae quaeque gentes vel expulsae, vel civilibus excultae moribus: δεσποτεία sin fortiter oppugnata fraenisque coercita: literae, artes, scientiae ubique promotae: Municipiorum omnimoda libertas: militares in Musulmanos, quos vocant, expeditiones, quando hi non Religioni modo, sed et civili christiano cultui atque Europae tranquillitati omnium maxime formidabiles hostes erant.

Huiusmodi institutio tam legitimis ac spontaneis modis extorta: cui pacifica, nec unquam sive in dubium vocata, duodecim saeculorum possessio suffragatur: quae fidei civilique cultui propagando adeo potenter navavit operam; quae ad populorum exigendam pro officiis gratiam tot sibi nomina comparavit, ea nimirum potiori prae alia qualibet iure potitur ut observetur ac sustineatur: nec ideo quia per vim et repetitas injurias oppressa est, immutata erga illam dicenda sunt divinae Providentiae consilia.

Quin imo si animadvertatur bellum Romanorum Pontificum Principatui illatum Ecclesiae hostes semper actores habuisse, atque ultimis hisce temporibus perduellium conuratorum sectas, quibus in Dominatu evertendo civili mens fuit, ad ipsam Spiritualem Pontificum potestatem aggrediendam atque oppugnandam viam sibi aperire; hoc idem manifesto confirmat, etiamdum Regium Romanorum Pontificum Principatum in divinae Providentiae consiliis esse, tamquam medium ad pacificum Apostolicae ipsorum potestatis exercitium, quum eorumdem ἀντελομίαν libertatemque efficienter tueatur.

Quae hic generatim de civili Pontificum Principatu disseruntur eadem speciatim, et quidem potiori iure praecipuaque ratione, de Urbe Roma va-

lere affirmamus. Ad quid ea fuerit divinitus destinata in universa ejus Historia plane ac dilucide perlegitur: quemadmodum enim in arcanis divinae Providentiae consiliis omnes humani eventus ad Christum ejusque Ecclesiam ordinati fuerunt, sic Roma vetus eiusque Imperium pro Roma Christiana sunt constituta: nec sine speciali Dei numine ad illam idololatrae Orbis Μετρόπολιν Petrus Apostolorum Princeps gressus egit, ut eiusdem Pastor evaderet, eique supremi Apostolatus auctoritatem in perpetuum transmitteret.

Ita Romanae Civitatis sortes, sacra quadam ratione atque indissolubili, Jesu Christi Vicarius suis ipse sortibus colligatus esse persensit: quum vero, melioribus advenientibus temporibus, Constantinus, cognomento Magnus, ad transferendam in Orientem Romani Imperii Sedem convertit animum sine ulla erroris formidine credi potest, illum divinae Providentiae manu quodammodo ductum fuisse, quo melius divina consilia super Romam Pontificum, quid ea iamiam esset futura, complerentur. Exploratum est autem, post illam εκοχην, temporum atque adiunctorum gratia, omnino sponte, sine cuiuspiam iniuria, atque obnitente nemine, modis denique perquam legittimis, Romanos Pontifices eius Urbis dominium, etiam civile, nactos esse, atque ad haec usque tempora ut tales, obtinuisse.

Hic vero haud operae pretium existimamus maxima beneficia, et praeclava decora, quae Romani Pontifices huic sibi prae ceteris adeo dilectae civitati compararunt, quaeque ceterequi indelebilibus characteribus in historicis omnium saeculorum monumentis scripta prostant recensere. Supervacuum item est innuere, Urbem hanc Pontificalis dominatus alte impressa vestigia in quaqua sui parte referre, quibus eadem ostenditur ad Romanos Pontifices tot talibusque nominibus pertinere, quot qualiaque in quamlibet sui Regni Urbem Principum unquam habuit nemo.

Magni tamen interest animadvertere, Pontificiae, in Apostolici Ministerii exercitio αυτονομίας et libertatis rationem, maiorem vim, ac processus sui propriam acquirere, cum ad Urbem Romam, nativam summorum Pontificum Sedem, Ecclesiasticae vitae centrum, Caput Orbis catholici, eadem refertur.

Hic ubi Romanus Pontifex ut plurimum moratur, regit, docet, praecipit, ut ii qui sunt ubique gentium fideles plena fiducia et securitate obsequium, fidem atque obedientiam, quas eidem officii religione debent, exhibere possint; hic potissimum necesse est, ut in ea αυτονομίας conditione ille penatur, in qua Eius a quoquam vel minimum haud praepediatur libertas, sed omnibus Ipsum liberum omnino esse evidenter pateat: idque fiat non per eam conditionem quae transit et in omni eventu mutatur: sed naturae suae utique stabilem ac perpetuam. Hic plus quam alibi, debet esse possibilis, ac sine ullo obstaculorum forte obiiciendorum metu, plena catholicae vitae explicatio, cultus solemnitas, reverentia et publica ecclesiasticarum legum observantia, atque omnium priorum operum, quae catholicae instituta sunt, tranquilla et legalis existentia ac vita.

Ex quibus omnibus facile est deducere, quodnam Romaniis Pontificibus officium imponatur, regium videlicet Principatum ejusque jura adserendi, quamque id ipsis sacrum sit; officium sacratius effectus iurisiurandi reli-

gione. Stultum igitur esset ab illis exigere, ut ipsemet eo sese una cum regio Principatu expoliari sponte consentiant, quod hi maxime carum et pretiosum habent; ea videlicet in Ecclesia gubernanda libertate, ab quam Romani Pontifices adeo strenue ac praeclare, quoties opus fuit, dimicarunt.

Equidem Nos, Deo opitulante, officio nostro non deficiemus; et praeter veram absolutamque Nostri restitutionem in pristinum Principatum, qualis ab potestate Nostra, nulli hominum obnoxia, ac Sedis Apostolicae dignitate exigitur, alium conventionibus ineundis pacique firmandae aditum patere videmus nullum.

Ipsi in toto terrarum Orbe Catholici universi, de sui Capitis libertate summopere solliciti; non adquiescent, donec iustis Illius questibus acprotestationibus, uti par est plure atque integre videant haud satisfieri.

Probe novimus, quosdam civili prudentia praeditos viros, rei evidentia adactos agnovisse, praesentem rerum conditionem eiusmodi non esse, quae Romano Pontificatui conveniat: aliqua consilia, variosque modos, quibus com meliorem reddant, excogitare: sed vani isti sunt atque inutiles conatus: itemque vana atque inutilia erunt omnia id genus molimina, quae sub praeclara eaque multiplici honoris specie, Pontificem in obnoxia prorsus conditione reapse relinquunt. Defectus est in ipsa rerum natura, prout in praesenti constitutae sunt; nullumque externum temperamentum, quod adhibeatur, nullaque ratio illum removere valebunt.

Contra difficile non est possibiles eventus praevidere, quibus R. Pontificis conditio peior evadat: sive nimirum ob praevalentia rebellium conamina, eorumque hominum, qui animi sui in Christi Vicarium proposita nequaquam dissimulant; sive etiam ob bellorum vicissitudines, multiplicesque rerum implicationes, quae in illius detrimentum contingere possint.

Hactenus unicum, quo ad tuendam Romanorum Pontificum libertatem divina Providentia usa est medium, regius eorum Principatus profecto fuit: quando autem hoc medium deficit, iidem Pontifices vel exagitati, vel captivi, vel exsules semper fuerunt; aut certe in obnoxia conditione constituti, aut demum in continenti periculo sive in unam, sive in alteram earum calamitatum per vim prolabendi.

Id universa Ecclesiae historia testatur.

Speratur equidem, temporique confiditur: quasi vero si illud protrahatur, Nobis tandem acceptanda sit ista rerum conditio. — Sed propriae causa libertatis, cum Romanorum Pontificum, tum etiam omnium fidelium Catholicorum, primo loco et quantum ipsa Ecclesiae vita, interest. Ex quo fit, ut certus quisque esse possit, ipsos eamdem libertatem, et quidem modo per quam firmissimo, securam, tutamque semper expetituros. Qui aliter sentiunt, hi aut ignorant, aut se ignorare simulant, quae sit Ecclesiae natura, quae quantaque eius sive religiosa, sive moralis, sive socialis vis ac potentia, quam quidem nec temporum iniuria, nec effraenis hominum impotentia frangere umquam poterunt.

Si huius rei rationes hi secum ipsi perquirerent, civilique prudentia reapse excellerent, profecto non praesens tantummodo tempus spectarent, nec falsa spe in incerto futuri temporis eventu se duci sinerent: sed Romano Pontifici, quod hic optimo iure expostulat, iidem ipsi sponte tribuen-

tes, rerum conditionem removerent incertis plenam ac periculis : atque ita saluti publicae, et quod magis eisdem cordi est, Italiae prosperitate gloriaeque consulerent. — At vero sperandum non est fore ut haec nostra vox ab Viris illis exaudiatur, qui una cum odio in Ecclesiam et Pontificatum adoleverunt : isti plane ut Religionem aversantur, ita etiam verum soli natalis bonum respuunt. Sed qui obsoletis pravisque opinionibus nequaquam imbuti, neque irreligioso spiritu affecti, historiae documenta, atque Italicas traditiones iure merito magni faciunt, neque demum Ecclesiae amorem ab amore Patriae seiungunt hi debent nobiscum agnoscere, in concordia cum sacro Principatu Italiam suae prosperitatis atque amplitudinis omnium maxime foecundum principium unice habere.

Cuius quidem rei ipsa praesens Italiae conditio cuique fidem facit. Iam extra omnis dubitationis aleam positum est, idque ipsimet Itali rerum publicarum periti viri confitentur, cum S. Sede discordiam nequaquam Italiae prodesse sed officere, plerasque sive internas, sive externas, nec eas quidem leves, molestias difficultatesque eidem comparando.

Cuiusmodi sunt interius : Catholicorum moeror, dum Eius qui Vicarius Iesu Christi est, iura nihili habita spretaque conspiciunt : conscientiarum turbatio : impietatis morumque pravitatis accessio, quae sunt elementa bono publico magnopere perniciosa. Exterius vero Catholicorum offensio, qui una cum Pontificis libertate commoda ac iura, quae Christianae Societatis maxime intersunt, indiscrimen vocari vident : difficultates et pericula, quae in rerum ordine etiam politico possunt exinde in Italiam devenire, quaeque ut a Patria nostra Deus avertat toto corde percupimus. — Cesset per eos, qui possunt et debent, iste conflictus, loco Pontifici, qui eidem convenit, restituto : atque omnes illae difficultates et incommoda extemplo cessabunt. Immo hoc facto Italia magnopere proficeret in iis omnibus, quae cuiuslibet populi veram gloriam felicitatemque constituunt : aut quae civilis humanique cultus merito sibi nomen adsciscunt, quemadmodum enim illi, ex Dei Providentia, sorte obtigit, ut sit maxime omnium Romano Pontificatui vicina Natio ; ita, si quidem hunc non oppugnet, neve ei contradicat, Eius beneficis influxibus copiosius excipiendis est destinata.

Oggeri solet : ad civilem Pontificis Principatum restituendum magnis commodis atque utilitatibus iam obtentis opus esse abdicare ; res civiles, eosque recentes progressus nihili facere ; et ad medium usque aevum denuo regredi. Sed istae rationes eiusmodi non sunt, ut quidquam valeant.

Cui enim bono, quod verum sit atque legitimum, sese Pontificis regius Principatus opponeret ? Certum et exploratum est, Civitates Regionesve civili Pontificum Principatui olim subditas ab exterarum gentium dominio subeundo saepius servatas ideirco fuisse ; atque indolem moresque pure Italicos semper continuisse. Nec vero hodieque alitèr contingere posset; nam Pontificatus, quamvis ob eam, quam divinitus accepit, Missionem universalem atque perpetuam ad omnes gentes pertineat : tamen S. Sedis causâ hic divina Providentia constitutae, is est speciali ratione decus Italicum. Et si vero hoc modo civilis Status unitas deficeret, quin in considerationes, quae intimam rei essentiam attingant, proferendas deveniamus, tantumque Nos ipsos in eodem solo, quod adversari obtinent, statuentes percontamur : an

ista civilis unitatis conditio bonum absolutum Nationibus constituere dicenda sit, ut sine illa nec prosperitas nec amplitudo ipsis esse possit; aut ita excellens ut cuivis alii bono sit praeferenda. Respondet pro nobis factum ipsum: Notiones videlicet florentissimae, potentes, gloriosae: quin tamen hanc civilis unitatis, quae hic adeo expetitur, formam vel unquam habuerint, vel in praesenti habeant. Itemque respondet ipsa ratio naturalis, quae plane perspicit, in conflictu iustitiae bonum, utpote praecipuum felicitatis et stabilitatis in quolibet Principatu fundamentum, praevaleat oportere: praesertim cum illud omnium praestantissimo Religionis atque universae Ecclesiae bono, ut hic evenit, colligatur. Quo coram haesitandum minime est. Nam si Dei providentia, praecipui erga Italiam divini amoris actu, contigit, ut in ejus sinu magnifica atque praeclara Pontificatus institutio consisteret, quo omnis certe Natio magno se dignatam honore sentiret iustum officiosumque est, ab Italis omnes difficultates parvi pendi, ut illum penes se in ea conditione, quae eidem convenit, studiose adservent.

Idque eo magis, quod, non exclusis in praxi aliis utilibus atque opportunis temperamentis, et praetermissis aliis utique pretiosis commodis, Italia, ex vitae concordia cum Pontificatu, religiosam unitatem, cuiusvis alius fundamentum, maximorumque bonorum etian socialium fontem, potenter conflatam cerneret.

Pontificii Dominatus hostes ad humanum civilemque cultum atque Progressum appellantes confugiunt. — Sed quo melius ab initio ipsi nos invicem intelligamus, id solum quod ad intellectum moresque perficiendos conducit, aut saltem huic se perfectioni non opponit, potest, verum hominis moralem progressum constituere: atqui id genus publicae (quam vocant) Civilitatis fons foecundior quam Ecclesia, non extat; cui hominem ad veritatem rectamque vitam semper promovendi demandata provincia fuit. Quodcumque aliud progressus genus extra hosce terminos positum, aliud quam regressus reapse non est, nec nonnisi hominis ipsius dignitatem detrahere potest, atque illum in barbariem propellere: nimirum huius Progressus neque Ecclesia neque Pontifices, sive ut Christi Vicarii, sive ut civiles Principes, possent aut vellent, quod in maximum Societatis humanae bonum cedit, se autores fautoresve exhibere.

Quidquid vero sive scientiae, sive artes, sive demum humana industria novum repererint aut deinceps reperire poterunt ad vitae utilitatem commoditatemque provehendam: quidquid honestum commercium, aut cum publicam Regnorum, tum etiam privatam civium opulentiam augendam iuvat: quidquid non morum licentia, sed vera atque homine digna libertas est; id totum Ecclesia pergratum habet, atque illud in civili Pontificum Principatu sese explicare largissime potest. Ipsi etiam Pontifices, si quando fuerint in sui Principatus possessionem restituti, omnibus illum amplioribus civilis perfectionis accessionibus, quarum capax est augere non omitterent: ac temporum ratione habitâ, quod illa et praesens Societatis conditio exigunt, id iisdem adiudicantes concederent.

Eadem paterna sollicitudo qua Romani Pontifices erga sibi servientes populos semper affecti fuerunt ipsis suggereret suaderetque, publica solvendorum vectigalium onera mitiora etiam in praesenti reddere; pia Charitatis opera et beneficentiae publica Instituta ampliori qua possint animi ge-

nerositate promovere; Coetuum indigentium atque operariorum, eorum sortibus in meliorem conditionem adductis, specialem curam suscipere; uno verbo, suum Principatum ita moderari, ut prae omnibus aliis civilibus institutis, ad subditorum prosperitatem procurandam foret aptissime comparatus.

Contra vero Romanorum Pontificum civilem Dominationem accusatio frustra produceretur eam medii Aevi foetum esse: haberet enim, ut iam dictum est, eas rerum mutationes opportunas atque utiles, quae novis hisce temporibus imponuntur. Quamvis autem, quod pertinet ad rei essentiam, idem nunc ea foret, quod medio aevo erat, Dominatio videlicet et ad libertatem atque αὐτόνομίαν Romanorum Pontificum in supremae eorum auctoritatis exercitio tuendam ordinata, quid inde inferri potest? Praestantissimus aeque ac gravissimus finis cui illa servit; multa quae ad Catholici Orbis tranquillitatem et Principatuum quietem confirmandam, emolumenta proveniunt; mitis ac suavis, qua Dominatio ipsa exerceri solet, ratio et modus validus, quem semper dedit, cujuslibet generis scientiis civilibusque institutionibus impulsus... ejusmodi elementa sunt quae omnibus aeque temporibus gentibusque, sive illa sint tranquilla, sive procellosa, et istae sive sint humanis civilibusque moribus excultae, sive barbarae, procul dubio conveniunt. Stultum igitur esset, velle ipsam civilem Pontificum Dominationem quod aevi medii saeculis floruerit, amandare.

Quae ceteroquin saecula, etsi ut reliquae ἐποχαί, vitia moresque haud quaquam laude dignos habuerint; plerisque tamen sive religiosis, sive civilibus ornamentis, iisque adeo praeclaris, ut ea nolle agnoscere summa iniuria esset, emicuere. Atque eadem prae ceteris nationibus aestimare deberet Italia, quae illo ipso aevo in scientiis, literis, artibus in re militari et maritima, in commerciis, civilibusque demum institutis, eam amplitudinem ac nominis celebritatem, assequuta fuit quae vel destrui vel obscurari nunquam poterit.

Percuperemus equidem, Eme Cardinalis, et hi mentis nostrae conceptus e tam gravibus cogitationibus exorti, quique earum rerum omnium rationem habent, quae et Ecclesiae et societatis humanae iure merito intersunt, in omnium mentes magis ac magis pervaderent: et quotquot non modo veri Catholici sunt, sed quotquot Italiam sincero amore prosequuntur, haec animi nostri consilia penitus mente perciperent, eaque obsecundarent.

Ceterum promovenda hac Italiae cum Romano Pontificatu conciliatione et conditionibus, quae fundamenti loco imponuntur, exhibitis, Officio Nostro coram Deo et hominibus, quaecunque demum eventa sequantur, Nos satisfecisse sentimus.

Quod quidem ad te pertinet, Eme Cardinalis, certi simus, in propositis Nostris, quae hac in Epistola pandidimus, exsequendis, quantum poteris et sapienter et efficaciter ad laboraturum.

Utque opus et labor tuus in Ecclesiae utilitatem et S. Sedis honorem cedat, tibi coeleste lumen atque auxilia opportuna a Deo precamur; quorum pignus et simul etiam praecipui amoris in te nostri testimonium sit Apostolica Benedictio, quam tibi ex corde impertimur.

Datae in Aedibus Vaticanis XVI Kal. Iulias a Christo nato MDCCCLXXVII.

LEO PAPA XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE LIBERTATE HUMANA

LEO PP. XIII.

VENERABILIS FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Libertas, praestantissimum naturae bonum, idemque intelligentia aut ratione utentium naturarum unice proprium, hanc tribuit homini dignitatem, ut sit *in manu consilii sui*, obtineatque actionum suarum potestatem. — Verumtamen ejusmodi dignitas plurimum interest qua ratione geratur, quia sicut summa bona, ita et summa mala ex libertatis usu gignuntur. Sane integrum est homini parere rationi, morale bonum sequi, ad summum finem suum recta contendere. Sed idem potest ad omnia alia deflectere, fallacesque bonorum imagines persecutus, ordinem debitum perturbare, et in interitum ruere voluntarium. — Liberator humani generis Jesus Christus, restituta atque aucta natura dignitate pristina, plurimum ipsam juvit hominis voluntatem; eamque hinc adiunctis gratiae suae praesidiis, illinc sempiterna in caelis felicitate proposita, ad meliora erexit. Similique ratione de hoc tam excellenti naturae bono et verita est et constanter merebitur Ecclesia catholica, propterea quod ejus est, parta nobis per Jesum Christum beneficia in omnem saeculorum aetatem propagare. — Nihilominus complures numerantur, qui obesse Ecclesiam humanae libertati putent. Cuius rei caussa in perverso quodam praeposteroque residet de ipsa libertate iudicio. Hanc enim vel in ipsa sui intelligentia adulterant, vel plus aequo opinione dilatant, ita ut pertinere ad res sane multas contendant, in quibus, si recte dijudicari velit, liber esse homo non potest.

Alias nos, nominatimque in litteris Encyclicis *Immortale Dei*, de *modernis*, uti loquuntur, *libertatibus* verba fecimus, id quod honestum est secernentes ab eo quod contra; simul demonstravimus, quidquid iis libertatibus continetur boni, id tam esse vetus, quam est veritas: illudque semper Ecclesiam libentissime probare et re usuque recipere solitam. Id quod accessit novi, si verum quaeritur, in partem quadam inquinatiore consistit, quam turbulenta tempora ac rerum novarum libido nimia peperere. — Sed quoniam sunt plures in hac opinione pertinaces, ut eas libertates, in eo etiam quod continent vitii, summum aetatis nostrae decus et constituendarum civitatum fundamentum necessarium putent, ita ut, sublatis iis, perfectam gubernationem reipublicae cogitari posse negent,

idcirco videtur, publica Nobismetipsis utilitate proposita, ejusmodi argumentum pertractari separatim oportere.

Libertatem *moralem* recta persequimur, sive in personis ea singulis, sive in civitate spectetur. — Principio tamen juvat aliquid de libertate *naturali* breviter dicere, quia quamquam a morali omnino distinguitur, fons tamen atque principium est, unde genus omne libertatis sua vi suaque sponte nascitur. Hanc quidem omnium judicium sensusque communis, quae certissima naturae vox est, in iis solum agnoscit, qui sint intelligentiae vel rationis compotes, in eaque ipsa causam inesse apparet, cur auctor eorum, quae ab eo aguntur, verissime habeatur homo. Et recte quidem: nam quando ceteri animantes solis ducuntur sensibus, soloque naturae impulsu acquirunt quae sibi prosint, fugiuntque contraria, homo quidem in singulis vitae factis rationem habet ducem. Ratio autem, quaecumque habentur in terris bona, omnia et singula posse judicat esse, et aeque posse non esse: et hoc ipso nullum eorum decernens esse necessario sumendum, potestatem optionemque voluntati facit ut eligat quod lubeat. — Sed *de contingentia*, ut appellant, eorum bonorum, quae diximus, ob hanc causam judicare homo potest, quod animum habet natura simplicem, spiritualem cogitationisque participem: quid idcirco quod est eiusmodi, non a rebus corporeis ducit originem, neque pendent ex eis in conservatione sui; sed, nulla re intercedente, ingeneratus a Deo, communemque corporum conditionem longo intervallo transgrediens, suum et proprium habet vivendi genus, suum agendi; quo fit ut, immutabilibus ac necessariis veri bonique rationibus judicio comprehensis, bona illa singularia nequaquam esse necessaria videat. Itaque cum animos hominum segregatos esse statuitur ab omni concretione mortali, eos lemque facultate cogitandi pollere, simul naturalis libertas in fundamento suo firmissime constituitur.

Jamvero sicut animi humani naturam simplicem, spiritualem atque immortalem, sic et libertatem nemo nec altius praedicat, nec constantius asserit Ecclesia catholica, quae scilicet utrumque omni tempore docuit, sicque tuetur ut dogma. Neque id solum: sed contra dicentibus haereticis novarumque opinionum fautoribus, patrocinium libertatis Ecclesia suscepit, bonisque tam grande bonum ab interitu vindicavit. In quo genere, litterarum monumenta testantur, insanos Manichaeorum aliorumque conatus quanta contentione repulerit; recentiori autem aetate nemo est nescius quanto studio quantaque vi tum in Concilio Tridentino, tum postea adversus Jansenii sectatores, pro libero hominis arbitrio dimicaverit, nullo tempore nulloque loco *fatalismum* passa consistere.

Libertas itaque, ut diximus, eorum est, qui rationis aut intelligentiae sant participes, propria: eademque, si natura ejus consideretur, nihil est aliud nisi facultas eligendi res ad id, quod propositum est, idoneas, quatenus qui facultatem habet unum aliquod eligendi e pluribus, is est factorum suorum dominus. — Jamvero quia omne, quod rei cujuspiam adipiscendae causa assumitur, rationem habet boni, quod utile dicitur: bonum autem hoc habet naturâ, ut proprie appetitionem moveat, idcirco liberum arbitrium est voluntatis proprium, seu potius ipsa voluntas est quatenus in

agendo habet delectus facultatem. Sed nequaquam voluntas movetur, nisi mentis cognitio velut fax quaedam praeluxerit: videlicet bonum, voluntati concupitum, est necessario bonum quatenus rationi cognitum. Eo vel magis quod in omnibus voluntatibus delectum semper judicatio praeit de veritate bonorum, et quodnam sit anteponendum ceteris. Atqui judicare, rationis esse, non voluntatis, nemo sapiens dubitat. Libertas igitur si in voluntate inest, quae natura sua appetitus est rationi obediens, consequitur ut et ipsa, sicut voluntas, in bono versetur rationi consentaneo. — Nihilominus quoniam utraque facultas a perfecto abest, fieri potest ac saepe fit, ut mens voluntati proponat quod nequaquam sit reapse bonum, sed habeat adumbratam speciem boni, atque in id sese voluntas applicet. Verum sicut errare posse reque ipsa errare vitium est, quod mentem non omni parte perfectam arguit, eodem modo arripere fallax fictumque bonum, est indicium liberi arbitrii, sicut aegritudo vitae, est tamen vitium quoddam libertatis. Ita pariter voluntas, hoc ipso quod a ratione pendet, quando quidquam appetat quod a recta ratione dissideat, vitio quodam funditus inquinat libertatem, eademque perverse utitur. Ob eamque causam Deus infinite perfectus, qui cum sit summe intelligens et per essentiam bonitas, est etiam summe liber, malum culpae velle nulla ratione potest: nec possunt, propter contemplationem summi boni, beati caelites. Scite Augustinus aliique adversus Pelagianos hoc animadvertebant, si posse deficere a bono secundum naturam esset perfectionemque libertatis, jam Deus Jesus Christus, Angeli, beati, in quibus omnibus ea potestas non est, aut non essent liberi, aut certe minus perfecte essent, quam homo viator atque imperfectus. De qua re Doctor Angelicus multa saepe disputat, ex quibus effici cogique potest, facultatem peccandi non libertatem esse, sed servitutem. Subtilissime illud in verba Christi Domini (1), « Qui facit peccatum, servus est peccati: » *Unumquodque est illud, quod convenit ei secundum naturam. Quando ergo movetur ab aliquo extraneo, non operatur secundum se, sed ab impressione alterius, quod est servile. Homo autem secundum suam naturam est rationalis. Quando ergo movetur secundum rationem, proprio motu movetur et secundum se operatur: quod est libertatis: quando vero peccat, operatur praeter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentus terminis alienis: et ideo* « qui facit peccatum, servus est peccati «. — Quod satis perspicue ipsa viderat philosophia veterum, atque ii praecipue quorum est doctrina, nisi sapientem, liberum esse neminem; sapientem vero, uti exploratum est, nominabant, qui constanter secundum naturam, hoc est honeste et cum virtute vivere didicisset.

Quoniam igitur talis est in homine conditio libertatis, aptis erat adjumentis praesidiisque munienda, quae cunctos ejus motus ad bonum dirigerent, a malo retraherent: secus multum homini libertas nocuisset arbitrii. — Ac primo quidem *lex*, hoc est agendorum atque omittendorum norma, fuit necessaria; quae quidem proprie nulla esse in animantibus potest, qui necessitate agunt, propterea quod quidquid agant, naturae agunt

(1) Joann. VIII. 34.

impulsu, nec alium ullum sequi ex se possunt in agendo modum. Verum eorum, qui libertate fruuntur, ideo in potestate est agere, non agere, ita vel secus agere, quia tum, quod volunt, eligunt, cum antecessit illud quod diximus rationis judicium. Quo quidem judicio non modo statuitur quid honestum natura sit, quid turpe sed etiam quid bonum sit reque ipsa faciendum, quid malum reque ipsa vitandum: ratio nimirum voluntati praescribit quid petere, et a quo debeat declinare, ut homo tenere summum finem suum aliquando possit cujus caussa sunt omnia facienda. Jamvero haec *ordinatio rationis* lex nominatur. — Quamobrem cur homini lex necessaria sit, in ipso ejus libero arbitrio, scilicet in hoc nostrae ut voluntates a recta ratione ne discrepent, prima est caussa tamquam in radice, quaerenda. Nihilque tam perversum praeposterumque dici cogitarive posset quam illud, hominem, quia natura liber est idcirco esse oportere legis expertem: quod si ita esset, hoc profecto consequeretur, necesse ad libertatem esse non cohaerere cum ratione: cum contra longe verissimum sit, idcirco legi oportere subesse, quia est natura liber. Isto modo dux homini in agendo lex est, eumdemque praemiis poenisque propositis ad recte faciendum allicit, a peccando deterret. — Talis est princeps omnium *lex naturalis*, quae scripta est et insculpta in hominum animis singulorum, quia ipsa est humana ratio recte facere jubens et peccare vetans. Ista vero humanae rationis praescriptio vim habere legis non potest, nisi quia altioris est vox atque interpres rationis, cui mentem libertatemque nostram subjectam esse oporteat. Vis enim legis cum ea sit, officia imponere et iura tribuere, tota in auctoritate nititur, hoc est in vera potestate statuendi officia describendique jura, item poenis praemiisque imperata sanciendi: quae quidem omnia in homine liquet esse non posse, si normam actionibus ipse suis summus sibi legislator daret. Ergo consequitur, ut naturae lex sit ipsa *lex aeterna*, insita in iis qui ratione utuntur, eosque inclinans *ad debitum actum et finem*, eaque est ipsa aeterna ratio creatoris universumque mundum gubernantis Dei. — Ad hanc agendi regulam peccandique frenos singularia quaedam praesidia, Dei beneficio, adjuncta sunt, ad confirmandam hominis regendamque voluntatem aptissima. In quibus princeps est atque excellit divinae virtus *gratiae*; quae cum mentem illustret, voluntatemque salutari constantia roboratam ad morale bonum semper impellat, expeditiorem efficit simulque tutiorem nativae libertatis usum. Ac longe est a veritate alienum, interveniente Deo, minus esse liberos motus voluntarios: nam intima in homine et cum naturali propensione congruens est divinae vis gratiae, quia ab ipso et animi et voluntatis, nostrae auctore manat, a quo res omnes convenienter naturae suae moventur. Immo gratia divina, ut monet Angelicus Doctor, ob hanc caussam quod a naturae opifice proficiscitur, mire nata atque apta est ad tuendas quasque naturas, conservandosque mores vim, efficientiam singularum.

Quae vero de libertate singulorum dicta sunt, ea ad homines civili inter se societate conjunctos facile transferuntur. Nam quod ratio lexque naturalis in hominibus singulis, idem efficit in consociatis *lex humana* ad bonum commune civium promulgata. — Ex hominum legibus aliae in eo versantur quod est bonum malumve natura, atque alterum sequi praeci-

piunt, alterum fugere, adjuncta sanctione debita. Sed istiusmodi decreta nequaquam ducunt ab hominum societate principium, quia societas sicut humanam naturam non ipsa genuit, ita pariter nec bonum procreat naturae conveniens, nec malum naturae dissentaneum: sed potius ipsi hominum societati antecedunt, omninoque sunt a lege naturali ac propterea a lege aeterna repetenda. Juris igitur naturalis praecepta, hominum comprehensa legibus, non vim solum habent legis humanae, sed praecipue illu multo altius multoque augustius complectuntur imperium, quod ab ipsa lege naturae et a lege aeterna proficiscitur. Et in isto genere legum hoc fere civilis legumlatoris munus est, obedientes facere cives, communi disciplina adhibita, pravos ei in vitia promptos coercendo, ut a malo deterriti, id quod rectum est consectentur, ut saltem offensioni noxaeque ne sint civitati. — Alia vero civilis potestatis praescripta non ex naturali jure statim et proxime, sed longius et oblique consequuntur, resque varias definiunt, de quibus non est nisi generatim atque universe natura cautum. Sic suam conferre operam cives ad tranquillitatem prosperitatemque publicam natura jubet: quantum operae, quo pacto, quibus in rebus, non naturâ sed hominum sapientiâ constituitur. Jamvero peculiaribus hisce vivendi regulis prudenti ratione inventis, legitimaque potestate propositis, lex humana proprii nominis continetur. Quae quidem lex ad finem communitati propositum cives universos conspirare jubet, deflectere prohibet: eademque quatenus pedissequa et consentiens est praescriptionibus naturae, ducit ad ea quae honesta sunt, a contrariis deterret. Ex quo intelligitur, omnino in aeterna Dei lege normam et regulam positam esse libertatis nec singulorum dumtaxat hominum, sed etiam communitatis et conjunctionis humanae. — Igitur in hominum societate libertas veri nominis non est in eo posita, ut agas quod lubet, ex quo vel maxima existeret turba et confusio in oppressionem civitatis evasura, sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis aeternae praescripta vivere. Eorum vero qui praesunt non in eo sita libertas est, ut imperare temere ed ad libidinem queant, quod pariter flagitiosum esset et cum summa etiam reipublicae pernicie conjunctum, sed humanarum vis legum haec debet esse, ut ab aeterna lege manare intelligantur, nec quidquam sancire quod non in ea, veluti in principio universi juris, contineatur. Sapientissime Augustinus (1); *Simul etiam te videre arbitror, in illa temporali (lege) nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hac aeterna (lege) sibi homines derivarint.* Si quid igitur ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectae rationis dissideat, sitque reipublicae perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula justitiae esset, et homines a bono cui nata societas est, abduceret.

Natura igitur libertatis humanae, quocumque in genere consideretur, tam in personis singulis, quam in consociatis, nec minus in iis qui imperant, quam in iis qui parent, necessitatem complectitur obtemperandi summae cuidam aeternaeque rationi, quae nihil est aliud nisi auctoritas jubentis, vetantis Dei. Atque hoc justissimum in homines imperium Dei

(1) *De lib. arb.* lib. I. cap. 6. n. 11.

tantum abest ut libertatem tollat aut ullo modo diminuat, ut potius tueatur ac perficiat. Suum quippe finem consectari et assequi, omnium naturarum est vera perfectio : supremus autem finis, quo libertas aspirare debet humana, Deus est.

Haec verissimae altissimaeque praecepta doctrinae, vel solo nobis lumine rationis cognita, Ecclesia quidem exemplis doctrinaque divini Auctoris sui erudita passim propagavit, asseruit : quibus ipsis et munus suum metiri, et christianas informare gentes numquam destitit. In genere morum leges evangelicae non solum omni ethnicorum sapientiae longissime praestant, sed plane vocant hominem atque instituunt ad inauditam veteribus sanctitatem effectumque propiorem Deo simul efficiunt, perfectioris compotem libertatis. — Ita semper permagna vis Ecclesiae apparuit in custodienda tuendaque civili et politica libertate populorum. Eius in hoc genere enumerare merita nihil attinet. Satis est commemorare, servitutem, vetus illud ethnicarum gentium dedecus, opera maxime beneficioque Ecclesiae deletam. Aequabilitatem juris, veramque inter homines germanitatem primus omniom Jesus Christus asseruit : cui Apostolorum suorum resonuit vox, non esse Judaeum, neque Graecum, neque barbarum, neque Scytham, sed omnes in Christo fratres. Tanta est in hac parte tamque cognita Ecclesiae virtus, ut quibuscumque in oris vestigium ponat, exploratum sit, agrestes mores permanere diu non posse : sed immanitati mansuetudinem, barbariae tenebris lumen veritatis breve successurum. Item populos civili urbanitate excultos magnis afficere beneficiis nullo tempore Ecclesia desiit, vel resistendo iniquorum arbitrio, vel propulsandis a capite innocentium et tenuiorum injuris, vel demum opera danda ut rerum publicarum ea constitutio valeret, quam cives propter aequitatem adamarent, externi propter potentiam meluerent.

Praeterea verissimum officium est vereri auctoritatem justisque legibus obedienter subesse : quo fit ut virtute vigilantiaque legum ab injuria improborum cives vindicentur. Potestas legitima a Deo est, et *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit :* quo modo multum obedientia adipiscitur nobilitatis, cum justissimae altissimaeque auctoritati adhibeatur. — Verum ubi imperandi jus abest, vel si quidquam praecipiatur rationi, legi aeternae, imperio Dei contrarium, rectum est non parere, scilicet hominibus, ut Deo pareatur. Sic praecluso ad tyrannidem aditu, non omnia pertrahet ad se principatus : sua sunt salva jura singulis civibus, sua societati domesticae, cunctisque reipublicae membris, data omnibus verae copia libertatis, quae in eo est, quemadmodum demonstravimus, ut quisque possit secundum leges rectamque rationem vivere.

Quod si, cum de libertate vulgo disputant, legitimam honestamque intelligerent, qualem modo ratio oratioque descripsit, exagitare Ecclesiam nemo auderet propter illud quod per summam injuriam ferunt, vel singulorum libertati, vel liberae reipublicae esse inimicam. — Sed jam permulti Luciferum imitati, cujus est illa nefaria vox *non serviam*, libertatis nomine absurdam quamdam consectantur et meracam licentiam. Cujusmodi sunt ex illa tam late fusa tamque pollenti disciplina homines, qui se, ducto a libertate nomine, *Liberales* appellari volunt.

Revera quo spectant in philosophia *Naturalistae*, seu *Rationalisae*, eodem in re morali ac civili spectant *Liberalismi* fautores, qui posita a *Naturalistis* principia in mores actionemque vitae deducunt. — Jamvero totius *rationalismi* humanae principatus rationis caput est: quae obedientiam divinae aeternaeque rationi debitam recusans, suique se juris esse decernens ipsa sibi sola efficitur summum principium et fons et judex veritatis. Ita illi, quos diximus, *Liberalismi* sectatores in actione vitae nullam contendunt esse, cui parendum sit, divinam potestatem, sed sibi quemque esse legem: unde ea philosophia morum gignitur, quam *independentem* vocant, quae sub specie libertatis ab observantia divinorum praeceptorum voluntatem removens, infinitam licentiam solet homini dare. — Quare omnia in hominum praesertim societate quo tandem evadant, facile est pervidère. Hoc enim fixo et persuaso, homini antistare neminem, consequitur caussam efficientem conciliationis civilis et societatis non in principio aliquo extra aut supra hominem posito, sed in libera voluntate singulorum esse quaerendam: potestatem publicam a multitudine velut a primo fonte repetendam, praetereaque, sicut ratio singulorum sola dux et norma agendi privatim est singulis, ita universorum esse oportere universis in rerum genere publicarum. Hinc plurimum posse plurimos: partemque populi majorem universis juris esse officiciique effectricem. — Sed haec cum ratione pugnare, ex eis quae dicta sunt apparet. Nullum siquidem velle homini aut societati civili cum Deo creatore, ac proinde supremo omnium legislatore, intercedere vinculum omnino naturae repugnat, nec naturae hominis tantum, sed rerum omnium procreatarum: quia res omnes effectas cum caussa, a qua effectae sunt, aliquo esse aptas nexu necesse est: omnibusque naturis hoc convenit, hoc ad perfectionem singularum pertinet, eo se continere loco et gradu, quem naturalis ordo postulat, scilicet ut ei quod superius est, id quod est inferius subjiciatur et pareat. — Sed praeterea est hujusmodi doctrina tum privatis hominibus tum civitatibus maxime perniciosa. Sane rejecto ad humanam rationem et solam et unam veri bonique arbitrio, proprium tollitur boni et mali discrimen; turpia ab honestis non re, sed opinione judicioque singulorum differunt: quod libeat, idem libebit; constitutàque morum disciplinà, cujus ad coercendos sedandosque motus animi turbidos nulla fere vis est, sponte fiet ad omnem vitae corruptalam aditus. In rebus autem publicis, potestas imperandi separatur a vero naturalique principio, unde omnem haurit virtutem efficientem boni communis: lex de iis quae facienda fugiendave sunt statuens, majoris multitudinis permittitur arbitrio, quod quidem est iter ad tyrannicam dominationem proclive. Imperio Dei in hominem hominumque societatem repudiato, consentaneum est nullam esse publice religionem rerumque omnium quae ad religionem referantur, incuria maxima consequetur. Similiter opinione principatus armata, facile ad seditionem turbasque habitur multitudo, frenisque officii et conscientiae sublatis, nihil praeter vim relinquitur; quae tamen vis tanti non est, ut populares cupiditates continere sola possit. Quod satis testatur, domicatio propemodum quotidiana contra *socialistas*, aliosque seditiosorum greges, qui funditus permovere civitates diu moliuntur. — Statuant igitur ac definiant rerum aequi aesti-

matores, tales doctrinae proficiantne ad veram dignamque hominis libertatem, an potius ipsam pervertant totamque corrumpant.

Certe quidem opinionibus iis vel ipsa immanitate sua formidolosis, quas a veritate aperte abhorrere, easdemque malorum maximorum caussas esse vidimus, non omnes *Liberalismi* fautores assentiuntur. Quin compulsi veritatis viribus, plures eorum haud verentur fateri, immo etiam ultro affirmant, in vitio esse et plane in licentiam cadere libertatem, si gerere se intemperantius ausit, veritate justitiaque posthabita: quocirca regendam gubernandamque recta ratione esse, et quod consequens est, juri naturali sempiternaeque legi divinae subjectam esse oportere. Sed hic consistendum rati, liberum hominem subesse negant debere legibus, quas imponere Deus velit, alia praeter rationem naturalem via. — Id cum dicunt, sibi minime cohaerent. Etenim si est, quod ipsi consentiunt, nec dissentire potest jure quisquam, si est Dei legislatoris obediendum voluntati, quia totus homo in potestate est Dei, et ad Deum tendit, consequitur posse neminem auctoritati ejus legiferae fines modumve praescribere, quin hoc ipso faciat contra obedientiam debitam. Immo vero si tantum sibi mens arrogari humana, ut, quae et quanta sint tum Deo jura, tum sibi officia, velit ipsa decernere, verecundiam legum divinarum plus retinebit specie quam re, et arbitrium ejus valebit prae auctoritate ac providentia Dei. — Necesse est igitur, vivendi normam constanter religioseque, ut a lege aeterna, ita ab omnibus singulisque petere legibus, quas infinite sapiens, infinite potens Deus, qua sibi ratione visum est, tradidit, quasque nosse tuto possumus perspicuis nec ullo modo addubitandis notis. Eo vel magis quod istius generis leges, quoniam idem habent, quod lex aeterna, principium, eumdemque auctorem, omnino et cum ratione concordant et perfectionem adjungunt ad naturale ejus: eaedemque magisterium Dei ipsius complectuntur, qui scilicet, nostra ne mens neu voluntas in errorem labatur, nutu ductuque suo utramque benigne regit. Sit igitur sancte inviolateque conjunctum, quod nec dijungi potest nec debet, omnibusque in rebus, quod ipsa naturalis ratio praecipit, obnoxie Deo obedienterque serviatur.

Mitiores aliquanto sunt, sed nihilo sibi magis constant, qui ajunt nutu legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non tamen civitatis: in rebus publicis fas esse a jussis Dei discedere, nec ad ea ullo modo in condendis legibus intueri. Ex quo perniciosum illud gignitur consectarium, civitatis Ecclesiaeque rationes dissociari oportere. — Sed haec quam absurde dicantur, haud difficulter intelligitur. Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis justitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. — Deinde qui populo praesunt, hoc omnino rei publicae debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientiâ, consulant. — Atqui ad istorum incrementa bonorum ne cogitari quidem potest quidquam iis legibus aptius, quae Deum habeant auctorem: ob eamque rem qui in regendis civitatibus nolunt divinarum legum haberi rationem, aberrantem faciunt ab instituto

suo et a praescriptione naturae politicam potestatem. Sed quod magis interest, quodque alias Nosmetipsi nec semel monuimus, quamvis principatus civilis non eodem, quo sacer, proxime spectet, nec iisdem eat itineribus, in potestate tamen gerenda obviam esse interdum alteri alter necessario debet. Est enim utriusque in eosdem imperium, nec raro fit, ut iisdem de rebus uterque, etsi non eadem ratione, decernat. Id quotiescumque usuvenerat, cum confligere absurdum sit, sapientissimaeque voluntati Dei aperite repugnet, quemdam esse modum atque ordinem necesse est, ex quo, caussis contentionum certationumque sublatis, ratio concors in agendis rebus existat. Et hujusmodi concordiam non inepte similem conjunctioni dixere, quae animum inter et corpus intercedit, idque commodo utriusque partis: quarum distractio nominatim est perniciosa corpori, quippe cujus vita extinguit.

Quae quo melius apparcant, varia libertatis incrementa, quae nostrae quaesita aetati feruntur, separatim considerari oportet. — Ac primo illud in singulis personis videamus, quod est tantopere virtuti religionis contrarium, scilicet de *libertate*, uti loquuntur, *cultus*. Quae hoc est veluti fundamento constituta, integrum cuique esse, aut quam libuerit, aut omnino nullam profiteri religionem. — Contra vero ex omnibus hominum officiis illud est sine dubitatione maximum ac sanctissimum, quo pie religioseque Deum colere homines jubemur. Idque necessario ex eo consequitur, quod in Dei potestate perpetuo sumus, Dei numine providentiaque gubernamur, ab eoque profecti, ad eum reverti debemus. — Huc accedit, virtutem veri nominis nullam esse sine religione posse: virtus enim moralis est, cujus officia versantur in iis, quae ducunt ad Deum, quatenus homini est summum atque ultimum bonorum; ideoque religio quae *operatur ea, quae directe et immediate ordinantur in honorem divinum* (1), cunctarum princeps est moderatrixque virtutum. Ac si quaeratur, cum plures et inter se dissidentes usurpentur religiones, quam sequi unam ex omnibus necesse sit, eam certe ratio et natura respondent, quam Deus jusserit, quam ipsam facile homines queant notis quibusdam exterioribus agnoscere, quibus eam distinxisse divina providentia voluit, quia in re tanti momenti summae errorem ruinae essent consecuturae. Quapropter oblata illa, de qua loquimur, libertate, haec homini potestas tribuitur, ut officium sanctissimum impune pervertat vel deserat, ideoque ut aversus ab incommutabili bono sese ad malum convertat: quod, sicut diximus, non libertas sed depravatio libertatis est, et abjecti in peccatum animi servitus.

Eadem libertas, si consideretur in civitatibus, hoc sane vult, nihil esse quod ullum Deo cultum civitatis adhibeat aut adhiberi publice velit: ullum anteferri alteri, sed aequo jure omnes haberi oportere, nec habita ratione populi, si populus catholicum profiteatur nomen. Quae ut recta essent, verum esse oporteret, civilis hominum communitatis officia adversus Deum aut nulla esse, aut impune solvi posse: quod est utrumque aperte falsum. Etenim dubitari non potest quin sit Dei voluntate inter homines conjuncta

(1) S. Thom., 2 2, q. 81, a 6.

societas, sive partes, sive forma ejus spectetur quae est auctoritas, sive caussa, sive earum, quas homini parit, magnarum utilitatum copia. Deus est, qui hominem ad congregationem genuit atque in coetu sui similium collocavit, ut quod natura ejus desideraret, nec ipse assequi solitarius potuisset, in consociatione reperiret. Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum cognoscat necesse est, atque ejus potestatem dominatumque vereatur et colat. Vetat igitur justitia, vetat ratio atheam esse, vel, quod in atheismum recideret, erga varias, ut loquuntur, religiones pari modo affectam civitatem, eademque singulis jura promiscue largiri. — Cum igitur sit unius religionis necessaria in civitate professio, profiteri eam oportet quae unice vera est, quaeque non difficulter, praesertim in civitatibus catholicis, agnoscitur, cum in ea tamquam insignitae notae veritatis appareant. Itaque hanc, qui rempublicam gerunt, conservent, hanc tueantur, si volunt prudenter atque utiliter, ut debent, civium communitati consulere. Publica enim potestas propter eorum qui reguntur utilitatem constituta est: et quamquam hoc proxime spectat, deducere cives ad hujus, quae in terris degitur, vitae prosperitatem, tamen non minuere, sed augere homini debet facultatem adipiscendi summum illud atque extremum bonorum, in quo felicitas hominum sempiterna consistit: quo perveniri non potest religione neglecta.

Sed haec alias uberius exposuimus: in praesentia id animadverti tantum volumus, istiusmodi libertatem vaide obesse verae cum eorum qui regunt, tum qui reguntur, libertati. Prodest autem mirifice religio, quippe quae primum ortum potestatis a Deo ipso repetit, gravissimeque principes jubet, officiorum suorum esse memores, nihil injuste acerbeve imperare, benigne ac fere cum caritate paterna populo praeesse. Eadem potestati legitimae cives vult esse subiectos, ut Dei ministris; eosque cum rectoribus reipublicae non obedientiâ solum, sed verecundiâ et amore coniungit, interdictis seditionibus, cunctisque inceptis quae ordinem tranquillitatemque publicam perturbare queant, quaeque tandem caussam afferunt cur majoribus frenis libertas civium constringatur. Praetermittimus quantum religio bonis moribus, conducat et quantum libertati mores boni. Nam ratio ostendit, et historia confirmat, quo sint melius moratae, eo plus libertate et opibus et imperio valere civitates.

Jam aliquid consideretur de *libertate loquendi*, formisque litterarum quodcumque libeat exprimendi. Hujus profecto non modice temperatae sed modum et finem transeuntis libertatis jus esse non posse vix attinet dicere. Est enim jus facultas moralis, quam, ut diximus saepiusque est dicendum, absurdum est existimare, veritati et mendacio, honestati et turpitudini promiscue et communiter a natura datam. Quae vera, quae honesta sunt, ea libere prudenterque in civitate propagari jus est, ut ad quamplures pertineant; opinionum mendacia, quibus nulla menti capitalior pestis, item vitia quae animum moresque corrumpunt, aequum est auctoritate publica diligenter coerceri, ne serpere ad perniciem reipublicae queant. Peccata licentis ingeniit, quae sane in oppressionem cadunt multitudinis imperitae, rectum est auctoritate legum non minus coerceri, quam illatas per vim imbecillioribus injurias. Eo magis quod civium pars longe maxima

praestigias cavere captionesque dialecticas, praesertim quae blandiantur cupiditatibus, aut non possunt omnino, aut sine summa difficultate non possunt. Permissa cuilibet loquendi scribendique infinita licentia, nihil est sanctum inviolatumque permansurum: ne illis quidem parcetur maximis verissimisque naturae judiciis, quae habenda sunt velut commune idemque nobilissimum humani generis patrimonium. Sic sensim obducta tenebris veritate, id quod saepe contingit, facile dominabitur opinionum error perniciosus et multiplex. Qua ex re tantum capiet licentia commodi, quantum detrimenti libertas: eo enim est major futura libertas ac tutior, quo frena licentiae majora. — At vero de rebus opinabilibus disputationi hominum a Deo permissis, utique quod placeat sentire, quodque sentiatur, libere eloqui concessum est, non repugnante natura: talis enim libertas numquam homines ad opprimendam veritatem, saepe ad indagandam ac patefaciendam deducit.

De ea, quam *docendi libertatem* nominant, oportet non dissimili ratione judicare. — Cum dubium esse non possit quin imbuere animos sola veritas debeat, quod in ipsa intelligentium naturarum bonum est et finis et perfectio sita, propterea non debet doctrina nisi vera praecipere, idque tum iis qui nesciant, tum qui sciant, scilicet ut cognitionem veri alteris afferat, in alteris tueatur. Ob eamque caussam eorum, qui praecipiunt, plane officium est eripere ex animis errorem, et ad opinionum fallacias obsepire certis praesidiis viam. Igitur apparet, magnopere cum ratione pugnare, ac natam esse pervertendis funditus mentibus illam, de qua institutus est sermo, libertatem, quatenus sibi vult quilibet pro arbitratu docendi licentiam; quam quidem licentiam civitati dare publica potestas, salvo officio, non potest. Eo vel magis quod magistrorum apud auditores multum valet auctoritas, et verane sint, quae a doctore traduntur, raro admodum dijudicare per se ipse discipulus potest.

Quamobrem hanc quoque libertatem, ut honesta sit, certis finibus circumscriptam teneri necesse est: nimirum ne fieri impune possit, ut ars docendi in istrumentum corruptelae vertatur. — Veri autem, in quo unice versari praecipientium doctrina debet, unum est naturale genus, superna turale alterum. Ex veritatibus naturalibus, cujusmodi sunt principia naturae, et ea quae ex illis proxime ratione ducuntur, existit humani generis velut commune patrimonium: in quod, tamquam fundamento firmissimo, cum mores et justitia et religio, atque ipsa conjunctio societatis humanae nitatur, nihil tam impium esset tamque stolide inhumanum, quam illud violari ac diripi impune sinere. — Nec minore conservandus religione maximus sanctissimusque thesaurus earum rerum, quas Deo auctore cognoscimus. Argumentis multis et illustribus, quo saepe Apologetae consueverunt, praecipua quaedam capita constituuntur, cujusmodi illa sunt: quaedam esse a Deo divinitus tradita: Unigenitum Dei Filium carnem factum, ut testimonium perhiberet veritati: perfectam quamdam ab eo conditam societatem, nempe Ecclesiam, cujus ipsemet caput est, et quacum usque ad consummationem saeculi se futurum esse promisit. Huic societati commendatas omnes, quas ille docuisset, veritates voluit, hac lege, ut eas ipsa custodiret, tueretur, legitima cum auctoritate explicaret: unâque simul jussit, om-

nes gentes Ecclesiae suae, perinde ac sibimetipsi, dicto audientes esse: qui secus facerent, interitu perditum iri sempiterno. Qua ratione plane constat, optimum homini esse certissimumque magistrum Deum, omnis fontem ac principium veritatis, item Unigenitum, qui est in sinu Patris, viam, veritatem, vitam, lucem veram, quae illuminat omnem hominem, et ad cujus disciplinam dociles esse omnes homines oportet: *Et erunt omnes docibiles Dei* (1). — Sed in fide atque in institutione morum, divini magisterii Ecclesiam fecit Deus ipse participem, eamdemque divino ejus beneficio falli nesciam: quare magistra mortalium est maxima ac tutissima, in eaque inest non violabile jus ad magisterii libertatem. Revera doctrinis divinitus acceptis se ipsa Ecclesia sustentans, nihil habuit antiquius, quam ut munus sibi demandatum a Deo sancte expleret: eademque circumfusis undique difficultatibus fortior, pro libertate magisterii sui propugnare nullo tempore destitit. Hac via orbis terrarum, miserrima superstitione depulsa, ad christianam sapientiam renovatus est. — Quoniam vero ratio ipsa perspicue docet, veritates divinitus traditas et veritates naturales inter se oppositas esse revera non posse, ita ut quodcumque cum illis dissentiat, hoc ipso falsum esse necesse sit, idcirco divinum Ecclesiae magisterium tantum abest ut studia discendi atque incrementa scientiarum intercipiat, aut cultioris humanitatis progressionem ullo modo retardet, ut potius plurimum afferat luminis securamque tutelam. Eademque caussa non parum proficit ad ipsam libertatis humanae perfectionem, cum Jesu Christi servatoris sit illa sententia, fieri hominem veritate liberum. *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (2). — Quare non est caussa, cur germana libertas indignetur, aut veri nominis scientia moleste ferat leges justas ac debitas, quibus hominum doctrinam contineri Ecclesia simul et ratio consentientes postulant. Quin imo Ecclesia, quod re ipsa passim testatum est, hoc agens praecipue et maxime ut fidem christianam tueatur, humanarum quoque doctrinarum omne genus fovere et in majus provehere studet. Bona enim per se est et laudabilis atque expetenda elegantia doctrinae: praetereaque omnis eruditio, quam sana ratio pepererit, quaeque rerum veritati respondeat, non mediocriter ad ea ipsa illustranda valet, quae Deo auctore credimus. Revera Ecclesiae haec beneficia debentur sane magna, quod praeclare monumenta sapientiae veteris conservarit; quod scientiarum domicilia passim aperuerit; quod ingeniorum cursum semper incitaverit, studiosissime has ipsas artes alendo; quibus maxime urbanitas aetatis nostrae coloratur. — Denique praetereundum non est, immensum patere campum, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant: res scilicet quae cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus Ecclesia, nulla adhibita sua auctoritate, judicium eruditorum relinquit integrum ac liberum. — His ex rebus intelligitur, quae et qualis illa sit in hoc genere libertas, quam pari studio volunt et praedicant *liberalismi* sectatores. Ex una parte sibi quidem ac reipublicae licentiam adserunt tantam, ut cuilibet opinionum perversitati

(1) Joann. VI, 45.
(2) Joann. VIII, 32.

non dubitent aditum januamque patefacere: ex altera Ecclesiam plurifariam impediunt, ejusque libertatem in fines quantum possunt maxime angustos compellunt, quamquam ex Ecclesiae doctrina non modo nullum incommodum pertimescendum sit, sed magnae omnino utilitates expectandae.

Illa quoque magnopere praedicatur, quam *conscientiae libertatem* nominant: quae si ita accipiatur, ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere, argumentis quae supra allata sunt, satis convincitur. — Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii, Dei voluntatem sequi et jussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi injuriaque major: eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara. Hujus generis libertatem sibi constanter vindicavere Apostoli, sanxere scriptis Apologetae, Martyres ingenti numero sanguine suo consecravere. Et merito quidem: propterea quod maximam justissimamque Dei in homines potestatem, vicissimque hominum adversus Deum princeps maximumque officium, libertas haec christiana testatur. Nihil habet ipsa cum animo seditioso nec obediente commune: neque ullo pacto putanda est, velle ab obsequio publicae potestatis desciscere, propterea quod imperare atque imperata exigere, eatenus potestati humanae jus est, quatenus cum potestate Dei nihil dissentiat, constitutoque divinitus modo se contineat. At vero cum quidquam praecipitur quod cum divina voluntate aperte discrepet, tum longe ab illo modo discediter, simulque cum auctoritate divina confligitur: ergo rectum est non parere.

Contra *Liberalismi* fautores, qui herilem atque infinite potentem faciunt principatum, vitamque nullo ad Deum respectu degendam praedicant, hanc de qua loquimur conjunctam cum honestate religioneque libertatem minime agnoscunt: cujus conservandae caussa si quid fiat, injuria et contra rempublicam factum criminantur. Quod si vere dicerent, nullus esset tam immanis dominatus, cui subesse et quem ferre non oporteret.

Vehementer quidem vellet Ecclesia, in omnes reipublicae ordines haec, quae summatim attigimus, christiana documenta re usuque penetrarent. In iis enim summa efficacitas inest ad sananda horum temporum mala, non sane pauca nec levia, eaque magnam partem iis ipsis nata libertatibus, quae tanta praedicatione efferentur, et in quibus salutis gloriaeque inclusa semina videbantur. Spem fefellit exitus. Pro jucundis et salubribus acerbi et inquinati provenere fructus. Si remedium quaeritur, sanarum doctrinarum revocatione quaeratur, a quibus solis conservatio ordinis, adeoque verae tutela libertatis fidenter expectari potest. — Nihilominus materno judicio Ecclesia aestimat grave pondus infirmitatis humanae; et qualis hic sit, quo nostra vehitur aetas, animorum rerumque cursus, non ignorat. His de caussis, nihil quidem impertiens juris nisi iis quae vera quaeque honesta sint, non recusat quominus quidpiam a veritate justitiaque alienum ferat tamen publica potestas, scilicet majus aliquod vel vitandi caussa malum, vel adipiscendi aut conservandi bonum. Ipse providentissimus Deus cum infinitae sit bonitatis, idemque omnia possit, sinit tamen esse in mundo mala, partim ne ampliora impediantur bona, partim ne majora mala

consequantur. In regendis civitatibus rectorem mundi par est imitari: quin etiam cum singula mala prohibere auctoritas hominum non possit, debet *multa concedere atque impunita relinquere, quae per divinam tamen providentiam vindicatur, et recte* (1). Verumtamen in ejusmodi rerum adjunctis, si communis boni caussà et hac tantum caussà, potest vel etiam debet lex hominum ferre toleranter malum, tamen nec potest nec debet id probare aut velle per se: quia malum per se cum sit boni privatio, repugnat bono communi, quod legislator quoad optime potest, velle ac tueri debet. Et hac quoque in re ad imitandum sibi lex humana proponat Deum necesse est, qui in eo quod mala esse in mundo sinit, *neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed vult permittere mala fieri, et hoc est bonum* (2). Quae Doctoris Angelici sententia brevissime totam continet de malorum tolerantia doctrinam. — Sed confitendum est, si vere judicari velit, quanto plus in civitate mali tolerari pernecesse est, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo: itemque tolerantiam rerum malarum, cum pertineat ad politicae praecepta prudentiae, omnino circumscribi iis finibus oportere, quos caussa, idest salus publica postulat. Quare si saluti publicae detrimentum afferat et mala civitati majora pariat, consequens est eam adhiberi non licere, quia in his rerum adjunctis abest ratio boni. Si vero ob singularia reipublicae tempora usuveniat, ut modernis quibusdam libertatibus Ecclesia acquiescat, non quod ipsas per se malit, sed quia permissas esse judicat expedire, versis in meliora temporibus, adhibitura sane esset libertatem suam, et suadendo, hortando, obsecrando studeret, uti debet, munus efficere sibi assignatum a Deo. videlicet sempiternae hominum saluti consulere. Illud tamen, perpetuo verum est, istam omnium et ad omnia libertatem non esse, quemadmodum pluries diximus, expetendam per se, quia falsum eodem jure esse ac verum, rationi repugnat. Et quod ad *tolerantiam* pertinet, mirum quantum ab aequitate prudentiaque Ecclesiae distant, qui *Liberalismum* protitentur. Etenim permittenda civibus omnium earum rerum, quas diximus, infinitâ licentiâ, omnino modum transiliunt, atque illuc evadunt, ut nihilo plus honestati veritatique tribuere, quam falsitati ac turpitudini videantur. Ecclesiam vero, columnam et firmamentum veritatis, eamdemque incorruptam morum magistram, quia tam dissolutum flagitiosumque *tolerantiae* genus constanter, ut debet, repudiat, idemque adhiberi fas esse negat, criminantur esse a patientia et lenitate alienam; quod cum faciunt, minime sentiunt, se quidem, quod laudis est, in vitio ponere. Sed in tanta ostentatione *tolerantiae*, re persaepe contingit, ut restricti ac tenaces in rem catholicam sint: et qui vulgo libertatem effuse largiuntur, iidem liberam sinere Ecclesiam passim recusant.

Et ut omnis oratio unà cum consectariis suis capitulatim breviterque, perspicuitatis gratia, colligatur, summa est, necessitate fieri, ut totus homo in verissima perpetuaque potestate Dei sit: proinde libertatem hominis, nisi obnoxiam Deo ejusque voluntati subjectam, intelligi minime posse.

---

(1) August. *de lib. arb.* lib. 1. cap. 6. n. 14.
(2) S. Th. p. 1. q. 19. a. 9. ad 3.

Quem quidem in Deo principatum aut esse negare, aut ferre nolle, non liberi hominis est, sed abutentis ad perduellionem libertate: proprieque ex animi tali affectione conflatur et efficitur *Liberalismi* capitale vitium. Cujus tamen distinguitur forma multiplex; potest enim voluntas non uno modo, neque uno gradu ex obtemperatione discendere, quae vel Deo, vel iis, qui potestatem divinam participant, debetur.

Profecto imperium summi Dei funditus recusare atque omnem obedientiam prorsus exuere in publicis, vel etiam in privatis domesticisque rebus, sicut maxima libertatis perversitas, ita pessimum *Liberalismi* est genus: omninoque de hoc intelligi debent quae hactenus contra diximus.

Proxima est eorum disciplina, qui utique consentiunt, subesse mundi opifici ac principi Deo oportere, quippe cujus ex numine tota est apta natura: sed iidem leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant, vel saltem nihil esse aiunt, cur earum habeatur, praesertim publice in civitate, ratio. Qui pariter quanto in errore versentur, et quam sibimetipsis parum cohaereant, supra vidimus. Et ab hac doctrina, tamquam a capite principioque suo, illa manat perniciosa sententia de rationibus Ecclesiae a republica disparandis: cum contra liqueat, geminas potestates, in munere dissimili et gradu dispari, oportere tamen esse inter se actionum concordia et mutatione officiorum consentientes.

Huic tamquam generi subjecta est opinio duplex. — Plures enim rempublicam volunt ab Ecclesia sejunctam et penitus et totam, ita ut in omni jure societatis humanae, in institutis, moribus, legibus, reipublicae muneribus, institutione juventutis, non magis ad Ecclesiam respiciendum censeant, quam si esset omnino nulla; permissa ad summum singulis civibus facultate, ut privatim, si libeat, dent religioni operam. Contra quos plane vis argumentorum omnium valet, quibus ipsam de distrahendis Ecclesiae reique civilis rationibus sententiam convincimus: hoc praeterea adjuncto, quod est per absurdum, ut Ecclesiam civis vereatur, civitas contemnat.

Alii, quominus Ecclesia sit, non repugnant, neque enim possent: ei tamen naturam juraque propria societatis perfectae eripiunt, nec ejus esse, contendunt, facere leges, judicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subiectos. Itaque divinae hujusce societatis naturam opinione adulterant, auctoritatem, magisterium, omnem ejus efficientiam extenuant et coangustant, vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerantes: ut sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicae subjungant. — Ad hos plane refellendos argumenta valent Apologetis usitata, nec praetermissa Nobis, nominatim in Epistola encyclica *Immortale Dei*, ex quibus efficitur, divinitus esse constitutum, ut omnia in Ecclesia insint, quae ad naturam ac jura pertineant legitimae, summae, et omnibus partibus perfectae societatis.

Multi denique rei sacrae a re civili distractionem non probant; sed tamen faciendum censent, ut Ecclesia obsequatur tempori, et flectat se atque accommodet ad ea, quae in administrandis imperiis hodierna pru-

dentia desiderat. Quorum est honesta sententia, si de quadam intelligatur aequa ratione, quae consistere cum veritate justitiaque possit: nimirum ut, explorata spe magni alicujus boni, indulgentem Ecclesia sese impertiat, idque temporibus largiatur, quod salva officii sanctitate potest. — Verum secus est de rebus ac doctrinis, quas demutatio morum ac fallax judicium contra fas invexerint. Nullum tempus vacare religione, veritate, justitia potest: quas res maximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse jusserit, nihil est tam alienum quam velle, ut ipsa quod vel falsum est vel injustum dissimulanter ferant, aut in iis quae sunt religioni noxia conniveat.

Itaque ex dictis consequitur, nequaquam licere petere, defendere, largiri, cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem, veluti jura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari ius esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. — Similiter consequitur, ista genera libertatis posse quidem, si justae caussae sint, tolerari, definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent. — Ubi vero harum libertatum viget consuetudo, eas ad facultatem recte faciendi cives transferant, quodque sentit de illis Ecclesia, idem ipsi sentiant. Omnis enim libertas legitima putanda, quatenus rerum honestarum majorem facultatem afferat, praeterea numquam.

Ubi dominatus premat aut impendeat ejusmodi, qui oppressam injusta vi teneat civitatem, vel carere Ecclesiam cogat libertate debita, fas est aliam quaerere temperationem reipublicae, in qua agere cum libertate concessum sit: tunc enim non illa expeditur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium caussâ, quaeritur, et hoc unice agitur ut, ubi rerum malarum licentia tribuitur, ibi potestas honeste faciendi ne impediatur.

Atque etiam malle reipublicae statum populari temperatum genere, non est per se contra officium, salva tamen doctrina catholica de ortu atque administratione publicae potestatis. Ex variis reipublicae generibus, modo sint ad consulendum utilitati civium per se idonea, ullum quidem Ecclesia respuit: singula tamen vult, quod plane idem natura jubet, sine injuria cujusquam, maximeque integris Ecclesiae juribus, esse constituta.

Ad res publicas gerendas accedere, nisi alicubi ob singularem rerum temporumque conditionem aliter caveatur, honestum est: immo vero probat Ecclesia, singulos operam suam in communem afferre fructum, et quantum quisque industria potest, tueri, conservare, augere rempublicam.

Neque illud Ecclesia damnat, velle gentem suam nemini servire nec externo, nec domino, si modo fieri, incolumi justitia, queat. Denique nec eos reprehendit qui efficere volunt, ut civitates suis legibus vivant, civesque quam maxima augendorum commodorum facultate donentur. Civicarum sine intemperantia libertatum semper esse Ecclesia fautrix fidelissima consuevit: quod testantur potissimum civitates Italicae, scilicet prosperitatem, opes, gloriam nominis municipali jure adeptae, quo tempore salutaris Ecclesiae virtus in omnes reipublicae partes, nemine repugnante, pervaserat.

Haec quidem, venerabiles Fratres, quae fide simul et ratione duce, pro officio Nostro apostolico tradidimus, fructuosa plurimis futura, vobis maxime Nobiscum adnitentibus, confidimus. — Nos quidem in humilitate cordis Nostri supplices ad Deum oculos tollimus, vehementerque petimus, ut sapientiae consiliique sui lumen largiri hominibus benigne velit, scilicet ut his aucti virtutibus possint in rebus tanti momenti vera cernere, et quod consequens est, convenienter veritati, privatim, publice, omnibus temporibus immotaque constantia vivere. — Horum caelestium munerum auspicem et Nostrae benevolentiae testem vobis, venerabiles Fratres, et Clero populoque, cui singuli praecestis, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX Junii an MDCCCLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE ENCYCLICAE
DE PRAECIPUIS CIVIUM CHRISTIANORUM OFFICIIS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sapientiae christianae revocari praecepta, eisque vitam, mores, instituta populorum penitus conformari, quotidie magis apparet oportere. Illis enim posthabitis, tanta vis est malorum consecuta, ut nemo sapiens nec ferre sine ancipiti cura praesentia queat, nec in posterum sine metu prospicere. — Facta quidem non mediocris est ad ea bona, quae sunt corporis et externa, progressio: sed omnis natura, quae hominis percellit sensus, opumque et virium et copiarum possessio, si commoditates gignere suavitatesque augere vivendi potest, natum ad majora ac magnificentiora animum explere non potest. Deum spectare, atque ad ipsum contendere, suprema lex est vitae hominum: qui ad imaginem conditi similitudinemque divinam, natura ipsa ad auctorem suum potiundum vehementer incitantur. Atqui non motu aliquo cursuque corporis tenditur ad Deum, sed iis quae sunt animi, cognitione atque affectu. Est enim Deus prima ac suprema veritas: nec nisi mens veritate alitur: est idem perfecta sanctitas summumque bonorum, quo sola voluntas aspirare et accedere, duce virtute, potest.

Quod autem de singulis hominibus, idem de societate tum domestica tum etiam civili intelligendum. Non enim ob hanc causam genuit natura societatem, ut ipsam homo sequeretur tamquam finem, sed ut in ea et per eam adjumenta ad perfectionem sui apta reperiret. Si qua igitur civitas nihil praeter commoditates externas vitaeque cultum cum elegantia et copia persequatur, si Deum in administranda republica negligere, nec leges curare morales consueverit, deterrime aberrat ab instituto suo et praescriptione naturae, neque tam est ea societas hominum et communitas putanda, quam fallax imitatio simulatioque societatis. — Jamvero ea, quae diximus, animi bona, quae in verae religionis cultu constantique praeceptorum christianorum custodia maxime reperiuntur, quotidie obscurari hominum oblivione aut fastidio cernimus, ita fere ut, quanto sunt earum rerum incrementa majora, quae corpus attingunt, tanto earum, quae animum, major videatur occasus. Imminutae plurimumque debilitatae fidei christia-

nae magna significatio est in iis ipsis injuriis, quae catholico nomini in lace atque in oculis hominum nimis saepe inferuntur: quas quidem cultrix religionis aetas nullo pacto tulisset. — His de caussis incredibile dictu est, quanta hominum multitudo in aeternae salutis discrimine versetur: sed civitates ipsae atque imperia diu incolumia esse non possunt, quia labentibus institutis moribusque christianis, maxima societatis humanae fundamenta ruere necesse est. Tranquillitati publicae atque ordini tuendo sola vis relinquitur: vis autem valde est infirma, praesidio religionis detracto: eademque servituti pariendae quam obedientiae aptior, gerit in se ipsa magnarum perturbationum inclusa semina. Graves memoratu casus saeculum tulit: nec satis liquet num non sint pertimescendi pares. — Itaque tempus ipsum monet remedia, unde oportet, quaerere: videlicet christianam sentiendi agendique rationem in vita privata, in omnibus reipublicae partibus, restituere: quod est unum ad pellenda mala, quae premunt, ad prohibenda pericula, quae impendent, aptissimum. In id nos, Venerabiles Fratres, incumbere opus est, id maxima qua possumus contentione industriaque conari: ejusque rei caussa, quamquam aliis locis, ut sese dedit opportunitas, similia tradidimus, utile tamen arbitramur esse in his Litteris magis enucleate officia describere catholicorum: quae officia, si accurate serventur, mirabiliter ad rerum communium salutem valent. Incidimus in vehementem eamque prope quotidianam de rebus maximis dimicationem: in qua difficillimum est non decipi aliquando, non errare, non animo multos succumbere. Nostrum est, Venerabiles Fratres, admonere quemque, docere, adhortari convenienter tempori, ut *viam veritatis nemo deserat.*

Esse in usu vitae plura ac majora catholicorum officia, quam eorum qui sint fidei catholicae aut perperam compotes, aut omnino expertes, dubitari non potest. Cum, parta jam hominum generi salute, Jesus Christus praedicare Evangelium Apostolos jussit omni creaturae, hoc pariter officium hominibus universis imposuit, ut perdiscerent et crederent, quae docerentur: cui quidem officio sempiternae salutis omnino est adeptio conjuncta: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur* (1). Sed christianam fidem homo, ut debet, complexus, hoc ipso Ecclesiae ut ex ea natus subjicitur, ejusque fit societatis maximae sanctissimaeque particeps, quam summa cum potestate regere, sub invisibili capite Christo Jesu, Romani Pontificis proprium est munus. — Nunc vero si civitatem, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique jubemur lege naturae usque eo, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet, officium est christianorum longe majus simili modo esse in Ecclesiam semper affectos. Est enim Ecclesia civitas sancta Dei viventis, Deo ipso nata, eodemque auctore constituta: quae peregrinatur quidem in terris, sed vocans homines et erudiens atque deducens ad sempiternam in caelis felicitatem. Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accepimus: sed necesse est caritate Ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram: quia bona animi corporis bonis rectum est anteponere, multoque,

(1) Marc. XVI, 16.

quam erga homines, sunt erga Deum officia sanctiora. — Ceterum, vere si judicare volumus, supernaturalis amor Ecclesiae patriaeque caritas naturalis, geminae sunt ab eodem sempiterno principio profectae caritates, cum ipse sit utriusque auctor et caussa Deus: ex quo consequitur, non posse alterum officium pugnare cum altero. Utique utrumque possumus et debemus, diligere nosmetipsos, benevolentes esse cum proximis, amare rempublicam potestatemque quae reipublicae praesit: eodemque tempore Ecclesiam colere uti parentem, et maxima, qua fieri potest, caritate complecti Deum. — Nihilominus horum officiorum ordo, vel calamitate temporum, vel iniquiore hominum voluntate, aliquando pervertitur. Nimirum incidunt caussae, cum aliud videtur a civibus respublica, aliud a christianis religio postulare: idque non alia sane de caussa, quam quod rectores reipublicae sacram Ecclesiae potestatem aut nihil pensi habent, aut sibi volunt esse subjectam. Hinc et certamen existit, et periclitandae virtuti in certamine locus. Urget enim potestas duplex: quibus contraria jubentibus obtemperari simul utrisque non potest: *Nemo potest duobus dominis servire* (1), ita ut omnino, si mos geritur alteri, alterum posthaberi necesse sit. Uter vero sit anteponendus, dubitare nemo debet. — Videlicet scelus est ab obsequio Dei, satisfaciendi hominibus caussa, discedere: nefas Jesu Christi leges, ut pareatur magistratibus, perrumpere, aut, per speciem civilis conservandi juris, jura Ecclesiae migrare. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (2). Quodque olim magistratibus non honesta imperantibus Petrus ceterique Apostoli respondere consueverunt, idem semper est in caussa simili sine haesitatione respondendum. Nemo civis pace bellove melior, quam christianus sui memor officii: sed perpeti omnia potius, et ipsam malle mortem debet, quam Dei Ecclesiaeve caussam deserere. — Quapropter non habent vim naturamque legum probe perspectam, qui istam in delectu officii constantiam reprehendunt, et ad seditionem ajunt pertinere. Vulgo cognita et a Nobis ipsis aliquoties explicata loquimur. Non est lex, nisi iussio rectae rationis a potestate legitima in bonum commune perlata. Sed vera ac legitima potestas nulla est, nisi a Deo summo principe dominoque omnium proficiscatur, qui mandare homini in homines imperium solus ipse potest; neque est recta ratio putanda, quae cum veritate dissentiat et ratione divina: neque verum bonum, quod summo atque incommutabili bono repugnet, vel a caritate Dei torqueat hominum atque abducat voluntates. — Sanctum igitur christianis est publicae potestatis nomen, in qua divinae majestatis speciem et imaginem quamdam tum etiam agnoscunt, cum geritur ab indigno: justa et debita legum verecundia, non propter vim et minas, sed proter conscientiam officii; *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris* (3). Verum si reipublicae leges aperte discrepent cum jure divino, si quam Ecclesiae imponant injuriam, aut iis, quae sunt de religione, officiis contradicant, vel auctoritatem Jesu Christi in Pontifice

(1) Matth. VI, 24.
(2) Act. V, 29.
(3) II Timoth. I, 7.

maximo violent, tum vero resistere officium est, parere scelus: idque cum ipsius reipublicae injuria conjunctum, quia peccatur in rempublicam quidquid in religione deliquitur. — Rursus autem apparet quam sit illa seditionis injusta criminatio: non enim abjicitur principi legumque latoribus obedientia debita: sed ab eorum voluntate in iis dumtaxat praeceptis disceditur, quorum ferendorum nulla potestas est, quia cum Dei injuria feruntur, ideoque vacant justitia, et quidvis potius sunt quam leges. — Nostis, Venerabiles Fratres, hanc esse ipsissimam beati Paulli Apostoli doctrinam; qui cum scripsisset ad Titum, monendos christianos *principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire*, illud statim adjungit, *ad omne opus bonum paratos esse* (1): quo palam fieret, si leges hominum contra sempiternam legem Dei quicquam statuant rectum esse non parere. Similique ratione princeps Apostolorum iis, qui libertatem praedicandi Evangelii sibi vellent eripere, forti atque excelso animo respondebat, *si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate: non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui* (2).

Ambas itaque patrias unumquemque diligere, alteram naturae, alteram civitatis caelestis, ita tamen ut hujus, quam illius habeatur caritas antiquior, nec unquam Dei juribus jura humana anteponantur, maximum est christianorum officium, itemque velut fons quidam, unde alia officia nascuntur. Sane liberator generis humani de se ipse, *Ego*, inquit, *in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* (3). Similiter: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* (4) In huius cognitione veritatis, quae mentis est summa perfectio, in caritate divina, quae perficit pari modo voluntatem, omnis christianorum est vita ac libertas posita. Quarum rerum, veritatis scilicet et caritatis, nobilissimum patrimonium, sibi a Jesu Christo commendatum, perpetuo studio vigilantiaque conservat ac tuetur Ecclesia.

Sed quam acre adversus Ecclesiam bellum deflagraverit quamque multiplex, vix attinet hoc loco dicere. Quod enim rationi contigit complures res occultas et a natura involutas scientiae pervestigatione reperire, easque in vitae usus apte convertere, tantos sibi spiritus sumpsere homines, ut jam se putent numen posse imperiumque divinum a communi vita depellere. — Quo errore decepti, transferunt in naturam humanam ereptum Deo principatum, a natura petendum omnis veri principium et normam praedicant: ab ea manare, ad eamque esse cuncta religionis officia referenda. Quocirca nihil esse divinitus traditum: non disciplinae morum christianae, non Ecclesiae parendum: nullam huic esse legum ferendarum potestatem, nulla jura: imo nec ullum Ecclesiae dari in reipublicae institutis locum oportere. Expetunt vero atque omni ope contendunt capessere res publicas, et ad gubernacula sedere civitatum, quo sibi facilius liceat ad has doctrinas dirigere leges moresque fingere populorum. Ita passim catholicum nomen vel aperte petitur, vel occulte oppugnatur: magnàque cuilibet

(1) Tit. III, 1.
(2) Act. IV, 19, 20.
(3) Io. XVIII, 37.
(4) Luc. XII, 49.

errorum perversitati permissà licentià, multis saepe vinculis publica veritatis christianae professio constringitur.

His igitur tam iniquis rebus, primum omnium respicere se quisque debet, vehementerque curare, ut alte comprehensam animo fidem intenta custodia tueatur, cavendo pericula, nominatimque contra varias sophismatum fallacias semper armatus. Ad cujus incolumitatem virtutis illud etiam perutile, et magnopere consentaneum temporibus judicamus, studium diligens, ut est facultas et captus singulorum, in christiana doctrina ponere, earumque rerum, quae religionem continent, quasque assequi ratione licet, majore qua potest notitia mentem imbuere. Cumque fidem non modo vigere in animis incorruptam, sed assiduis etiam incrementis oporteat augescere, iteranda persaepe ad Deum est supplex atque humilis Apostolorum flagitatio, *adauge nobis fidem* (1).

Verum in hoc eodem genere, quod fidem christianam attingit, alia sunt officia, quae observari accurate religioseque si salutis semper interfuit, hac tempestate nostra interest maxime. — Nimirum in hac, quam diximus, tanta ac tam late fusa opinionum insania, profecto patrocinium suscipere veritatis, erroresque ex animis evellere, Ecclesiae munus est, idque omni tempore sancteque servandum, quia honor Dei, ac salus hominum in ejus sunt tutela. At vero, cum necessitas cogit, incolumitatem fidei tueri non ii solum debent qui praesunt, sed *quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem* (2). Cedere hosti, vel vocem premere, cum tantus undique opprimendae veritati tollitur clamor, aut inertis hominis est, aut de iis, quae profitetur, utrum vera sint, dubitantis. Utrumque turpe, atque injuriosum Deo: usrumque cum singulorum tum communi saluti repugnans: solis fidei inimicis fructuosum, quia valde auget remissior proborum opera audaciam improborum. — Eoque magis christianorum vituperanda segnities, quia falsa crimina dilui, opinionesque pravae confutari levi negotio, ut plurimum, possunt: majore aliquo cum labore semper possunt. Ad extremum, nemo unus prohibetur eam adhibere ac prae se ferre fortitudinem, quae propria est christianorum: qua ipsa non raro animi adversariorum et consilia franguntur. Sunt praeterea christiani ad dimicationem nati: cujus quo major est vis, eo certior, Deo opitulante, victoria. *Confidite, ego vici mundum* (3). Neque est quod opponat quisquam, Ecclesiae conservatorem ac vindicem Jesum Christum nequaquam opera hominum indigere. Non enim inopia virium, sed magnitudine bonitatis vult ille ut aliquid a nobis conferatur operae ad salutis, quam ipse peperit, obtinendos adipiscendosque fructus.

Hujusce partes officii primae sunt: catholicam doctrinam profiteri aperte et constanter, eamque, quoad quisque potest propagare. Nam, quod saepius est verissimeque dictum, christianae quidem sapientiae nihil tam obest, quam non esse cognitam. Valet enim per se ipsa ad depellendos errores probe percepta: quam si mens arripuerit simplex praejudicatisque non ad-

(1) Luc. XVIII. 5.
(2) S. Tom. 2 2. qu. 3. art. 2. ad 2.
(3) Io. XVI. 33.

stricta opinionibus, assentiendum esse ratio pronuntiat. Nunc vero fidei virtus grande munus est gratiae bonitatisque divinae: res tamen ipsae, quibus adhibenda fides, non alio fere modo quam audiendo noscuntur. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?.... Ergo fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi* (1). Quoniam igitur fides est ad salutem necessaria omnino praedicari verbum Christi consequitur oportere. Profecto praedicandi, hoc est docendi, munus jure divino penes magistros est, quos *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (2), maximeque penes Pontificem romanum, Jesu Christi vicarium, Ecclesiae universae summa cum potestate praepositum, credendorum, agendorum magistrum. Nihilominus nemo putet, industriam nonnullam eadem in re ponere privatos prohiberi, eos nominatim, quibus ingenii facultatem Deus cum studio bene merendi dedit: qui, quoties res exigat, commode possunt non sane doctoris sibi partes assumere, sed ea, quae ipsi acceperint, impertire ceteris, magistrorum voci resonantes tamquam imago. Quin imo privatorum opera visa est Patribus Concilii Vaticani usque adeo opportuna ac frugifera, ut prorsus deposcendam judicarint. *Omnes christifideles, maxime vero eos, qui praesunt, vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, nec non ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant* (3). — Ceterum serere fidem catholicam auctoritate exempli, professionisque constantia praedicare, quisque se posse ac debere meminerit. — In officiis igitur quae nos jungunt Deo atque Ecclesiae, hoc est numerandum maxime, ut in veritate christiana propaganda propulsandique erroribus elaboret singulorum quoad potest, industria.

Quibus tamen officiis non ita, ut oportet, cumulate et utiliter satisfacturi sunt, si alii seorsum ab aliis in certamen descenderint. — Futurum sane Jesus Christus significavit, ut quam ipse offensionem hominum invidiamque prior excepit, in eamdem pari modo opus a se institutum incurreret; ita plane ut ad salutem pervenire, ipsius beneficio partam, multi reapse prohiberentur. Quare voluit non alumnos duntaxat instituere disciplinae suae, sed hos ipsos societate conjungere, et in unum corpus, *quod est Ecclesia* (4), cujus esset ipse caput, apte coagmentare. Permeat itaque vita Christi Jesu per totam compagem corporis, alit ac sustentat singula membra, eaque copulata tenet inter se et ad eumdem composita finem, quamvis non eadem sit actio singulorum (5). Hi de causis non modo perfecta societas Ecclesia est, et alia qualibet societate longe praestantior, sed hoc ei est inditum ab Auctore suo, ut debeat pro salute generis hu-

(1) Act. xx, 28.
(2) Rom. x, 14, 17.
(3) Const. *Dei Filius*, sub fin.
(4) Coloss. I, 24.
(5) *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* Rom. XII, 4, 5.

mani contendere *ut castrorum acies ordinata* (1). — Ista rei christianae compositio conformatioque mutari nullo modo potest: nec magis vivere arbitratu suo cuiquam licet, aut eam, quae sibi libeat, decertandi rationem consectari: propterea quod dissipat, non colligit, qui cum Ecclesia et Jesu Christo non colligit, verissimeque contra Deum contendunt, quicumque non cum ipso Ecclesiaque contendunt (2).

Ad hanc vero conjunctionem animorum similitudinemque agendi inimicis catholici nominis non sine caussa formidolosam, primum omnium concordia est necessaria sententiarum: ad quam ipsam videmus Paullum Apostolum Corinthios cohortantem vehementi studio et singulari gravitate verborum: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.* (3) — Cujus praecepti facile sapientia perspicitur. Est enim principium agendi mens: ideoque nec congruere voluntates, nec similes esse actiones queunt, si mentes diversa opinentur. Qui solam rationem sequuntur ducem, vix in eis aut ne vix quidem una esse doctrina potest: est enim ars rerum cognoscendarum perdifficilis: mens vero et infirma est natura, et varietate distrahitur opinionum, et impulsione rerum oblata extrinsecus non raro fallitur: accedunt cupiditates, quae veri videndi nimium saepe tollunt aut certe minuunt facultatem. Hac de caussa in moderandis civitatibus saepe datur opera, ut conjuncti teneantur vi, quorum animi discordant. — Longe aliter christiani: quid credere oporteat, ab Ecclesia accipiunt, cujus auctoritate ductuque se certo sciunt verum attingere. Propterea sicut una est Ecclesia, quia unus Jesus Christus, ita cunctorum toto orbe christianorum una est atque esse debet doctrina. *Unus Dominus, una fides* (4). *Habentes autem eumdem spiritum fidei* (5), salutare principium obtinent, unde eadem in omnibus voluntas eademque in agendo ratio sponte gignuntur.

Sed, quod Paullus Apostolus jubet, unanimitatem oportet esse perfectam. — Cum christiana fides non humanae, sed divinae rationis auctoritate nitatur, quae enim a Deo accepimus, *vera esse credimus non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec fallí nec fallere potest* (6), consequens est ut, quascumque res constet esse a Deo traditas, omnino excipere singulas pari similique assensu necesse sit: quarum rerum abnuere fidem uni huc ferme recidit, repudiare universas. Evertunt enim ipsum fundamentum fidei, qui aut eloquium hominibus Deum negent, aut de infinita ejus veritate sapientiave dubitent. — Statuere vero quae sint doctrinae divinitus traditae, Ecclesiae decentis est, cui custodiam interpretationemque Deus eloquiorum suorum commisit. Summus autem est ma-

(1) Cantic. VI, 9.
(2) *Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit.* Luc. XI, 23.
(3) I Corinth. I, 10.
(4) Ephes. IV, 5.
(5) II, Corinth: IV, 13.
(6) Conc. Vat. Const. *Dei Filius*, cap 3.

gister in Ecclesia Pontifex romanus. Concordia igitur animorum sicut perlectum in una fide consensum requirit, ita voluntates postulat Ecclesiae Romanoque Pontifici perfecte subjectas atque obtemperantes, ut Deo. — Perfecta autem esse obedientia debet, quia ab ipsa fide praecipitur, et habet hoc commune cum fide, ut dividua esse non possit: imo vero si absoluta non fuerit et numeros omnes habens, obedientiae quidem simulacrum relinquitur, natura tollitur. Cujusmodi perfectioni tantumchristiana consuetudo tribut, ut illa tamquam nota internoscendi catholicos et habita semper sit et habeatur. Mire explicatur hic locus a Thoma Aquinate iis verbis: *Formale... objectum fidei est veritas prima secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, et doctrina Ecclesiae, quae procedit e veritate prima. Unde quicumque non inhaeret, sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ille non habet habitum fidei: sed ea, quae sunt fidei, alio modo tenet quam per fidem... Manifestum est autem quod ille, qui inhaeret doctrinis Ecclesiae tamquam infallibili regulae, omnibus assentit, quae Ecclesia docet: alioquin si de his quae Ecclesia docet, quae vult, tenet, et quae non vult, non tenet, non jam inhaeret Ecclesiae doctrinae sicut infallibili regulae, sed propriae voluntati* (1). *Una fides debet esse totius Ecclesiae, secundum illud* (I. Corinth. 1): *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: quod servari non posset, nisi quaestio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiae praeèst, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur. Et ideo ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova editio Symboli, sicut et omnia alia, quae pertinent ad totam Ecclesiam* (2).

In constituendis obedientiae finibus, nemo arbitretur, sacrorum Pastorum maximeque romani Pontificis auctoritati parendum in eo dumtaxat esse, quod ad dogmata pertinet, quorum repudiatio pertinax disjungi ab haereseos flagitio non potest. Quin etiam neque satis est sincere et firmiter assentiri doctrnon quae ab Ecclesia, et solemni non definitae judicio, ordinario tamen et universali magisterio tamquam divinitus revelatae credendae proponuntur: quas *fide catholica et divina* credendas Concilium Vaticanum decrevit. Sed hoc est praeterea in officiis christianorum ponendum, ut potestate ductuque Episcoporum imprimisque Sedis Apostolicae regi se gubernarique patiantur. Quod quidem quam sit consentaneum, perfacile apparet. Nam quae divinis oraculis continentur, ea Deum partim attingunt, partim ipsum hominem itemque res ad sempiternam hominis salutem necessarias. Jamvero de utroque genere, nimirum et quid credere oporteat et quid agere, ab Ecclesia jure divino praecipitur, uti diximus, atque in Ecclesia a Pontifice maximo. Quamobrem judicare posse Pontifex pro auctoritate debet quid eloquia divina contineant, quae cum eis doctrinae concordent, quae discrepent: eademque ratione ostendere qua honesta sint, quae turpia: quid agere, quid fugere, salutis adipiscendae caussa, necesse

(1) 2 2, quaest. 5, art. 7.
(2) Ib. quaest. 1, art. 10.

sit: aliter enim nec eloquiorum Dei certus interpres, nec dux ad vivendum tutus ille esse homini posset.

Altius praeterea intrandum in Ecclesiae naturam: quippe quae non est christianorum, ut fors tulit, nexa communio, sed excellenti temperatione divinitus constituta societas, quae illuc recta proximeque spectat, ut pacem animis ac sanctitatem afferat: cumque res ad id necessarias divino munere sola possideat, certas habet leges, certa officia, atque in populis christianis moderandis rationem viamque sequitur naturae suae consentaneam. — Sed istiusmodi regiminis difficilis est et cum frequenti offensione cursus. Gentes enim Ecclesia regit per cunctos terrarum tractus disseminatas, genere differentes moribusque, quas, cum in sua quaeque republica suis legibus vivant, civili simul ac sacrae potestati officium est subesse. Quae officia in eisdem personis conjuncta reperiunt, non vero pugnantia, uti diximus, neque confusa, quia alterum genus ad prosperitatem pertinet civitatis, alterum ad commune Ecclesiae bonum, utrumque pariendae hominum perfectioni natum.

Quia posita jurium et officiorum terminatione, omnino liquet esse liberos ad res suas gerendas rectores civitatum: idque non modo non invitâ, sed plane adjuvante Ecclesia: quae quoniam maxime praecipit ut colatur pietas, quae est justitia adversus Deum, hoc ipso ad justitiam vocat erga principes. Verum longe nobiliore instituto potestas sacra eo spectat, ut regat hominum animos tuendo *regnum Dei et justitiam ejus* (1), atque in hoc tota versatur. Dubitari vero salva fide non potest, istiusmodi regimen animorum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in eo sit politicae potestati loci: non enim Caesari, sed Petro claves regni caelorum Jesus Christus commendavit. — Cum hac de rebus politicis deque religiosis doctrinâ quaedam alia conjunguntur non exigui momenti, de quibus silere hoc loco nolumus.

Ab omni politico genere imperii distat christiana respublica plurimum. Quod si similitudinem habet conformationemque regni, profecto originem, caussam, naturam mortalibus regnis habet longe disparem. — Jus est igitur, vivere Ecclesiam tuerique se consentaneis naturae suae institutis ac legibus. Eademque cum non modo societas perfecta sit, sed etiam humana quavis societate superior, sectari partium studia et mutabilibus rerum civilium flexibus servire jure officioque suo valde recusat. Similique ratione custos juris sui, observantissima alieni, non ad se putat Ecclesia pertinere, quae maxime forma civitatis placeat, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur: ex variisque reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit. — Ad hoc exemplum cogitationes actionesque dirigi singulorum christianorum oportet. Non dubium est, quin quaedam sit in genere politico honesta contentio, cum scilicet incolumi veritate justitiaque certatur, ut opiniones re usuque valeant, quae ad commune bonum prae ceteris conducibiles videantur. Sed Ecclesiam trahere ad partes, aut omnino adjutricem velle ad eos, quibuscum contenditur, superandos, hominum est religione intemperanter abutentium. Ex

(1) Matt. VI, 33.

adverso sancta atque inviolata apud omnes debet esse religio: imo in ipsa disciplina civitatum, quae a legibus morum officiisque religionis separari non potest, hoc est potissimum perpetuoque spectandum, quid maxime expediat christiano nomini: quod ipsum siquibi in periculo esse adversariorum operà videatur, cessandum ab omni dissidio, et concordibus animis et consiliis propugnatio ac defensio suscipienda religionis, quod est commune bonum maximum, quo sunt omnia referenda. — Idque opus esse dicimus aliquanto exponere accuratius.

Profecto et Ecclesia et civitas suum habet utraque principatum: propterea que in gerendis rebus suis neutra paret alteri, utique intra terminos a proxima cujusque caussa constitutos. Ex quo tamen nulla ratione disjunctas esse sequitur, multoque minus pugnantes. — Sane non tantum nobis ut essemus natura dedit, sed ut morati essemus. Quare a tranquillitate ordinis publici, quam proxime habet civilis conjunctio propositam, hoc petit homo, ut bene sibi esse liceat, ac multo magis ut satis praesidii ad perficiendos mores suppeditet; quae perfectio nusquam nisi in cognitione consistit atque exercitatione virtutis. Simul vero vult, id quod debet, adjumenta in Ecclesia reperire, quorum ope pietatis perfectae perfecto fungatur munere: quod in cognitione usuque positum est verae religionis, quae princeps est virtutum, propterea quod, revocando ad Deum, explet et cumulat universas. — In institutis igitur legibusque sanciendis spectanda hominis indoles est moralis eadem ac religiosa, ejusdemque curanda perfectio, sed recte atque ordine: nec imperandum vetandumve quidquam nisi ratione habita quid civili hominum societati sit, quid religiosae propositum. Hac ipsa de caussa non potest Ecclesiae non interesse quales in civitatibus valeant leges, non quatenus ad rempublicam pertinent, sed quia fines debitos aliquando praetergressae in jus Ecclesiae invadunt. Quin imo resistere, si quando officiat religioni disciplina reipublicae, studioseque conari, ut in leges et instituta populorum virtus pervadat Evangelii, munus est Ecclesiae assignatum a Deo. Quoniamque fortuna reipublicae potissimum ex eorum pendet ingenio qui populo praesunt, idcirco Ecclesia patrocinium iis hominibus gratiamve praebere non potest, a quibus oppugnari sese intelligat, qui jura ipsius vereri aperte recusent, qui rem sacram remque civilem natura consociatas divellere contendant. Contra fautrix, uti debet, eorum est qui, cum de civili deque christiana republica quod sentire rectum est, ipsi sentiant, ambas in communi bono concordes elaborare volunt. — His praeceptis norma continetur, quam in publica actione vitae catholicum quemque necesse est sequi. Nimirum, ubicumque in negotiis publicis versari per Ecclesiam licet, tavendum viris est spectatae probitatis, eisdemque de christiano nomine merituris: neque caussa esse ulla potest cur male erga religionem animatos liceat anteponere.

Ex quo apparet quam sit magnum officium tueri consensum animorum, praesertim cum per hoc tempus tanta consiliorum calliditate christianum oppugnetur nomen. Quotquot diligenter studuerint Ecclesiae adhaerescere, quae est *columna et firmamentum veritatis* (1), facile cavebunt magistros

(1) I Timoth. III, 15.

mendaces . . . libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis (1): quin imo ipsius Ecclesiae virtutis participes futuri, insidias sapientia vincent, vim fortitudine. — Non est hujus loci exquirere, numquid, et quantum ad novas res contulerit opera segnior atque intestina discordia catholicorum: sed certe erant homines nequam minus habituri audaciae, nec tantas edituri ruinas, si robustior in plurimorum animis virguisset fides, quae *per caritatem operatur* (2), neque tam late morum christianorum tradita nobis divinitus disciplina concidisset. Utinam praeteritae res hoc pariant, recordando, commodi, rectius sapere in posterum!

Verum ad negotia publica accessuris duo sunt magnopere vitia fugienda, quorum alterum prudentiae nomen usurpat, alterum in temeritate versatur. — Quidam enim potenti pollentique improbitati aperte resistere negant oportere, ne forte hostiles animos certamen exasperet. Isti quidem pro Ecclesia stent, an contra, incertum: quandoquidem profiteri se doctrinam catholicam affirmant, sed tamen vellent, certas ab ea discrepantes opiniones impune propagari posse Ecclesia sineret. Ferunt dolenter interitum fidei demutationemque morum: nihil tamen de remedio laborant, vel etiam nimia indulgentia aut perniciosa quadam simulatione non raro malum augent. Iidem de sua in Apostolicam Sedem voluntate nemini volunt esse dubium; sed habent semper aliquid, quod pontifici succenseant. Istiusmodi hominum prudentia ex eo est genere, quod a Paullo Apostolo *sapientia carnis* et *mors* animi appellatur, quia nec subest legi divinae, nec potest subesse (3). Nihil autem minus est ad mala minuenda providum. Inimicis enim, quod praedicare et in quo gloriari multi eorum non dubitant, hoc est omnino propositum, religionem catholicam, quae vera sola est, funditus, si fieri posset, extinguere. Tali autem consilio nihil non audent: sentiunt enim, quo magis fuerit aliorum tremefacta virtus, eo sibi expeditiorem fore malarum rerum facultatem. Itaque qui adamant *prudentiam carnis*, ac nescire se simulant, christianum quemque debere bonum militem Christi esse: *qui debita* victoribus praemia consequi mollissimâ viâ atque intacti a certamine volunt, ii tantum abest ut iter malorum intercipiant, ut potius expediant.

Contra non pauci fallaci studio permoti, aut, quod magis esset vitio, aliud agentes, aliud simulantes, non suas sibi partes assumunt. Res in Ecclesia geri suo ipsorum judicio atque arbitratu vellent usque eo, ut omne quod secus agitur, moleste ferant, aut repugnanter accipiant. Hi quidem inani contentione laborant, nihilo minus, quam alteri, reprehendendi. Hoc enim est non sequi potestatem legitimam, sed praevertere, simulque magistratuum munia ad privatos rapere, magna cum perturbatione ordinis, quem Deus in Ecclesia sua perpetuo servandum constituit, nec sinit a quoquam impune violari. — Illi optime, qui descendere in certamen, quotiescumque est opus, non recusant, hoc rato persuasoque, interituram vim injustam, sanctitatique juris et religionis aliquando cessuram.

---

(1) II Petr. II, 1, 19.
(2) Galat. V, 6.
(3) *Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta: nec enim potest.* Rom. VIII, 6, 7.

Qui videntur sine dignum aliquid antiqua virtute suscipere, cum tueri religionem conituntur maxime adversus factionem audacissimam, christiano nomini exagitando natam, quae Pontificem maximum in suam redactum potestatem consectari hostiliter non desistit: sed obedientiae studium diligenter retinent, nihil aggredi injussu soliti. Jamvero quoniam similis obtemperandi voluntas, robusto animo constantiaeque conjuncta, christianis universis est necessaria, ut, quoscumque casus tempus invexerit, *in nullo* sin *deficientes* (1), magnopere velimus in singulorum animis alte insidere eam, quae Paullus (2) *prudentiam spiritus* nominat Haec enim in moderandis actionibus humanis sequitur optimam mediocritatis regulam, illud in homine efficiens, ne aut timide desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter temeritatem. — Est autem quod differat inter prudentiam politicam, quae ad bonum commune, et eam quae ad bonum cujusque privatim pertinet. Haec enim cernitur in hominibus privatis, qui consilio rectaeque rationi obediunt in gubernatione sui: illa vero in praepositis, maximeque in principibus, quorum muneris est cum potestate praeesse: ita quidem ut politica privatorum prudentia in hoc videatur tota consistere, legitimae potestatis jussa fideliter exequi (3). Haec dispositio atque hic ordo tanto magis valere in christiana republica debet, quanto Pontificis politica prudentia plura complectitur: ejus enim est non solum regere Ecclesiam, sed generatim civium christianorum actiones ita ordinare, ut cum spe adipiscendae salutis aeternae apte congruant. Ex quo apparet, praeter summam sententiarum concordiam et factorum, necesse esse politicam potestatis ecclesiasticae observare in agendo sapientiam. Jamvero christianae rei administratio proxime et secundum Pontificem romanum ad Episcopos pertinet: qui scilicet, quamquam pontificalis fastigium potestatis non attingunt, sunt tamen in ecclesiastica hierarchia veri principes, cumque singulas Ecclesias singuli administrent, sunt *quasi principales artifices... in aedificio spirituali* (4) atque habent munerum adjutores, ac ministros consiliorum Clericos. Ad hanc Ecclesiae constitutionem, quam nemo mortalium mutare potest, actio est accommodanda vitae. Propterea quemadmodum Episcopis necessaria est cum Apostolica Sede in gerendo episcopatu conjunctio, ita clericos laicosque oportet cum Episcopis suis conjunctissime vivere, agere. — Ipsorum quidem Antistitum utique potest esse aliquid aut minus laudabile in moribus, aut in sententiis non probabile: sed nemo privatus arroget sibi personam judicis, quam Christus Dominus illi imposuit uni, quem agnis atque ovibus praefecit. Memoria quisque teneat sapientissimam Gregorii Magni sententiam: *Admonendi sunt sub-*

(1) Jac. I, 4.
(2) Rom. VIII, 6.
(3) « Prudentia in ratione est: regere autem et gubernare proprie rationis est; et ideo unusquisque inquantum participat de regimine et gubernatione, intantum convenit sibi habere rationem et prudentiam. Manifestum est autem quod subditi, inquantum est subditus, et servi, inquantum est servus, non est regere et gubernare, sed magis regi et gubernari. Et ideo prudentia non est virtus servi, inquantum est servus, nec subditi, inquantum est subditus. Sed quia quilibet homo inquantum est rationalis, participat aliquid de regimine secundum arbitrium rationis, intantum convenit ei prudentiam habere. Unde manifestum est quod prudentia quidem in principe est ad modum artis architectonicae, ut dicitur in *VI Ethicorum;* in subditis autem ad modum artis manu operantibus. » S. Thom. 2, 2, quaest. 47, art. 12.
(4) S. Thom. *Quodlib.* 1, art. 14.

diti ne praepositorum suorum vitam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde mala recte redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne cum culpas praepositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic, si qui valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti ferre sub eis jugum reverentiae non recusent.... Facta quippe praepositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur (1).

Verumtamen parum sunt conata profutura, nisi ad virtutum christianarum disciplinam vita instituatur. — Illa est sacrarum Litterarum de Judaeorum genere sententia : *Usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona : Deus enim illorum odit iniquitatem... Cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt praeliis a multis nationibus* (2). Atqui inchoatam formam populi christiani gerebat Judaeorum natio : atque in veteribus eorum casibus saepe imago inerat veritatis futurae ; nisi quod longe majoribus beneficiis auxit nos atque ornavit divina benignitas, ob eamque rem ingrati animi crimen multo efficit christianorum graviora delicta.

Ecclesia quidem nullo tempore nulloque modo deseritur a Deo : quare nihil est, quod sibi ab hominum scelere metuat : at vero degenerantibus a christiana virtute nationibus non eadem potest esse securitas. *Miseros* enim *facit populos peccatum* (3). — Cujus vim veritatemque sententiae si omnis retro experta est aetas, quid est caussae quamobrem nostra non experiatur ? Imo debitas jam instare poenas, permulta declarant, idemque status ipse confirmat civitatum ; quarum plures videlicet intestinis malis attritas, nullam ab omni parte tutam videmus. Quod si improborum factiones institutum iter audacter perrexerint : si evenerit iis ut, quemadmodum grassantur malis artibus et pejore proposito, sic opibus potentiaque invalescant, metuendum sane ne totas civitates a fundamentis, quae posuit natura, convellant. — Neque vero prohiberi tantae formidines sola hominum ope possunt, praesertim quia multitudo ingens, fide christiana rejecta, justas superbiae poenas in hoc luit, quod veritatem obcaecata cupiditatibus frustra conquirit, falsa pro veris amplexatur, sibique videtur sapere cum vocat *malum bonum, et bonum malum*, ponens *tenebras lucem, et lucem tenebras* (4) Igitur Deus intersit, ac benignitatis suae memor civilem hominum societatem respiciat necesse est. Quamobrem, quod vehementer alias hortati sumus, singulari studio constantiaque enitendum, ut clementia divina obsecratione humili exoretur, virtutesque, quibus efficitur vita christiana, revocentur. — Imprimis autem excitanda ac tuenda caritas est, quae praecipuum vitae christianae firmamentum continet, et sine qua aut nullae omnino sunt, aut fructu vacuae virtutes. Idcirco beatus Paulus Colossenses adhortatus, ut vitium omne defugerent, variamque virtutum laudem consectarentur, illud subjicit : *Super omnia autem haec caritatem habete,*

(1) Reg. Pastor. P. III, c. 4.
(2) Judith v. 21, 22.
(3) Proverb. XIV, . 34
(4) Is. V, 20.

quod est vinculum perfectionis (1). Vere vinculum est perfectionis caritas, quia quos complexa est, cum Deo ipso intime conjungit, perficitque ut vitam animae hauriant a Deo, cum Deo agant, ad Deum referant. Debet vero caritas Dei cum caritate proximorum consociari, quia infinitam Dei bonitatem homines participant, ejusque gerunt in se expressam imaginem atque formam. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* (2). *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est* (3). Atque hoc de caritate mandatum divinus ejus lator *novum* nominavit, non quod diligere homines inter se non aliqua jam lex, aut ipsa natura jussisset, sed quia christianum hoc diligendi plane novum erat atque in omni memoria inauditum genus. Qua enim caritate Jesus Christus et diligitur a Patre suo et homines ipse diligit, eamdem impetravit alumnis ac sectatoribus suis, ut cor unum et anima una esse in ipso possent, sicut ipse et Pater unum natura sunt. Hujus vis praecepti nemo ignorat quam alte in christianorum pectus a principio descenderit, et quales quantosque concordiae, benevolentiae mutuae, pietatis, patientiae, fortitudinis fructus attulerit. Quidni opera detur exemplis majorum imitandis? Tempora ipsa non exiguos admovent ad caritatem stimulos. Renovantibus impiis adversus Jesum Christum odia, instauranda christianis pietas est, magnarumque rerum effectrix removanda caritas. Quiescant igitur, si qua sunt, dissidia: sileant certationes illae quidem, quae vires dimicantium dissipant, nec ullo modo religioni prosunt: colligatisque fide mentibus, caritate voluntatibus, in Dei atque hominum amore, ut aequum est, vita degatur.

Locus admonet hortari nominatim patresfamilias, ut his praeceptis et domos gubernare studeant, et liberos mature instituere. Initia reipublicae familia complectitur, magnamque partem aliter intra domesticos parietes fortuna civitatum. Idcirco qui has divellere ab institutis christianis volunt, consilia a stirpe exorsi, corrumpere societatem domesticam maturant. A quo eos scelere nec cogitatio deterret, id quidem nequaquam fieri sine summa parentum injuria posse: naturâ enim parentes habent jus suum instituendi, quos procrearint, hoc adjuncto officio, ut cum fine cujus gratia sobolem Dei beneficio susceperunt, ipsa educatio conveniat et doctrina puerilis. Igitur parentibus est necessarium eniti et contendere, ut omnem in hoc genere propulsent injuriam, omninoque pervincant ut sua in potestate sit educare liberos, uti par est, more christiano, maximeque prohibere scholis iis, a quibus periculum est ne malum venenum imbibant impietatis. Cum de fingenda probe adolescentia agitur, nulla opera potest nec labor suscipi tantus, quin etiam sint suscipienda majora. In quo sane digni omnium admiratione sunt catholici ex variis gentibus complures, qui suas erudiendis pueris scholas magno sumptu, majore constantia paravere. Aemulari salutare exemplum, ubicumque postulare videantur tempora, decet; sed positum sit imprimis, omnino in puerorum animis plurimum institutio-

(1) Coloss. III. 14.
(2) I Jo. IV, 21.
(3) Ib. 20.

nem domesticam posse. Si adolescens aetas disciplinam vitae probam, virtutumque christianarum tamquam palaestram domi repererit, magnum praesidium habitura salus est civitatum.

Attigisse jam videmur, quas maxime res hoc tempore sequi, quas fugere catholici homines debeant. — Reliquum est, idque vestrarum est partium, Venerabiles Fratres, curare ut vox Nostra quacumque pervadat, omnesque intelligant quanti referat ea, quae his litteris persecuti sumus, reipsa efficere. Horum officiorum non potest molesta et gravis esse custodia, quia jugum Jesu Christi suave est, et onus ejus leve. — Si quid tamen difficilius factu videatur, dabitis auctoritate exemploque operam, ut acrius quisque intendat invictumque praestet a difficultatibus animum. Ostendite, quod saepius ipsi monuimus, in periculo esse praestantisssima, ac summe expetenda bona: pro quorum conservatione omnes esse patibiles labores putandos: ipsisque laboribus tantam remunerationem fore, quantam christiane acta vita maximam parit. Alioqui propugnare pro Christo nolle, oppugnare est; ipse autem testatur (1), negaturum se coram Patre suo in caelis, quotquot ipsum coram hominibus profiteri in terris recusarint. — Ad nos quod attinet, vosque universos, numquam profecto, dum vita suppetat, commissuri sumus, ut auctoritas, consilium, opera Nostra quoquo modo in certamine desideretur. Neque est dubium, cum gregi, tum pastoribus singularem Dei opem, quoad debellatum erit, adfuturam.

Qua erecti fiducia, caelestium munerum auspicem, benevolentiaeque Nostrae tamquam pignus Vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo, quibus singuli praeestis, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die x Januarii an. MCCCXC. Pontificatus Nostri duodecimo.

LEO PP. XIII.

---

(1) Luc. IX, 26.

Franciscus M. Carini Praepositus Provinciae Romanae S. I.

Cum opus, cui titulus *Institutiones iuris Ecclesiastici publici quas..... habebat* P. Marianus De Luca S. I. nunc Textus Decretalium Professor in Universitate Gregoriana, aliqui eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint, facultatem damus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra suscriptas et sygillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Romae die sacro SS. Apost. Petri et Pauli sub anno Iubilaei 1900.

Franciscus M. Carini
Praep. Prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR
Dat. Senis ex Archiep. Curia
Die 31 Iulii 1901.

Can.cus Julius Alberti
Vicarius Generalis

Can.cus Eugenius Pezzuoli
Censor Eccles.

INDEX GENERALIS

RERUM PRAECIPUARUM UTRIUSQUE VOLUMINIS

Nota. **Primus numerus volumen, alter paginam designat.**

A — Acatholicorum societas se habet ad Ecclesiam Christi ut societas rebellium — quid, si concordata ineantur inter principem acatholicae societatis et Romanum Pontificem I 333? quid discriminis a concordatis cum catholico principe: ibid.

Appellatio ab abusu i. e. appellatio ad principes saeculares adversus Ecclesiae praesertim ipsius Rom. Pontificis sententias, intollerabilis abusus est et maximus error II, 174.

Apostolorum potestas extraordinaria atque personalis in initio Ecclesiae II, 200 — In apostolorum magisterio duplex munus distinguitur testium et Doctorum obeundum sive voce, sive scripto 204: — huic magisterio in Ecclesia normam Christus D. praestituit sive iam scriptum sive iam revelatum a se vel a Spiritu Sancto. 205. Vide *Magisterium*.

Arbitralis potestatis notio — illa insufficiens est perfectae societati I, 51.

Atheum esse non debet regimen societatis civilis, sed servire debet tum negative tum positive catholicae Ecclesiae, unde suscipere debet tutelam religionis pro eadem Ecclesia, tamen dependenter ab ipsa 224 — unde falsus liberalismus.

Auctores nonnulli qui scripserunt de iure publico ecclesiastico praesertim Tarquini, Sc; quorundam e. g. Phillipps Aichner. Schulte methodus improbatur I, 1.

B — Baldi Petrus S. I. laudatur de suo praeclaro opere lithographice impresso, cui titulus *de nativa et peculiari indole Concordatorum* apud scholasticos interpretes I, 328.

Bellavia laudatur prae suo praeclaro opusculo circa abolitionem Monarchiae siculae contra Cirinum Rinaldi I, 315 cum nota.

Bianchi in opere Dell' esterior polizia della Chiesa t. 1. l. 1. §. 5 censet primaevos Christianos non propter conscientiam obedivisse, sed propter iram. Quid censet Taparelli de hac doctrina, quid tenendum 266, 267.

Bona ecclesiastica sunt immunia ab oneribus, quae pro reipublicae necessitatibus imponentur I. 157-158 — Bonorum ecclesiasticorum sive mobilium sive immobilium *quodnam sit subiectum* in Ecclesia 162-166.

Bouix singularis sententia quoad promulgationem de facto legis pontificiae I, 40.

C — Cagiano de Azevedo v. *de Azevedo.*

Catechesis. II, 220.

Cavagnis Card. cit. in dissert. 2. de potestate coactiva Eccl. et de Concordatis I, 310.

Censura librorum competit societati perfectae, et a fortiore Ecclesiae I, 58.

Christus D. est institutor seu fundator Ecclesiae ad cuius constitutionem pertinet utraque Hierarchia ordinis, et iurisdictionis: cuius personae quaedam ex immediata, quaedam vero ex mediata Christi D. voluntate gaudent potestate in utraque hierarchia II, 196.

Collegii nomine quid veniat, quae eius relatio cum societate perfecta I. 84 segg. hinc Ecclesia non est Collegium 85 contra Schenkl 86 seqq.

Collegii iura praeter citata ll. cf. Append. ad v. I, 108.

Communicatio R. Pontificis cum quovis fideli nulla humana auctoritate impediri potest II, 169 seqq.

Concilium oecumenicum quid, unde orbum habuit — quibus causis legitima constent concilia II, 240.

Conventionibus seu concordatis quomodo possit Ecclesia suam potestatem suaque iura augere vel imminuere I, 273. *Conventionis* nomine quid veniat 275-276 — quâ pactum et foedus vocatur conventio — divitio conventionum seu pactorum in bilateralia et unilateralia 276-277.

Concordatorum nomine quid veniat 280-288 — eorum origo historica 280 finis 282 — necessitas 283 — materia 284 subiectum sive paciscentes 288 genuina notio ibid. — forma 289 natura et character ibid. Diversimode AA. quidam moderni de natura sentiunt 290 seqq. — qui modus tenendus in hac disputatione 291. Concordata ordinario et regulariter privilegiis sunt accensenda 291 et multis probatur rationibus 293-296 et quidem privilegiis gratuitis aut ad summum remuneratoriis non autem onerosis concordata sunt accensenda. 296-298. Ergo perperam synallagmatica appellantur 298. Obiectiones ex De Angelis nobis contradicente 302 seqq. ex aliis AA. 304 quod concordatum sit synallagma repugnat doctrinae catholicae 305. quid opponat D. Labis et D. de Hemptinne 305, 306, seqq. — De concordatorum vi et effectu. quid hac de re Audisio, Palmieri 307, 308. Reliquae obiectiones ex De Angelis aliisque AA. 309 seqq. quae tenenda ut ceteris difficultatibus satisfiat 318.

De *Concordatis rite valideque inèundis* 320 — Theoria generalis scil. non modo inter privatos sed etiam inter societates pacta invalida sunt si desit materia licita, sive liber consensus — *Consensus* porro extortus dolo aut errore versante circa substantiam *contractus*, sive ex metu gravi iniuste incusso non est liber adeoque vel nullus consensus vel rescindibilis I, 321. — Materia pacti illicita est si adversetur alicui vero proprieque dicto officio, quo contrahentes actu teneantur.

Ex theoria generali de concordatis valide ineundis sequitur I.° minime firmas esse concessiones quas terror et arma extorserunt ab Apostolica Sede 322. II.° Romanos Pontifices non posse concedere quod repugnat iuri primatus atque eius officio pascendi oves. III.° Etsi principis saecularis sit curare felicitatem temporalem, tamen ille non facit contra hoc officium si concedat aliquid temporale Ecclesiae involvens aliquod detrimentum dictae felicitati 323 seqq.

De Concordatis *rite interpretandis et rescindendis* mutuo scilicet consensu vel legitimo iudicio si res sit inter duas societates in genere, quae inter se independentes sunt : quod si una dependeat ab altera, iudicio societatis principis standum est: quomodo in hoc iudicio procedendum 325.

Quae de concordatis interpretandis et rescindendis generatim dicta sunt l. c., applicantur concordatis initis ab Ecclesia scilicet societas civilis si quid Ecclesiae concessit, id non potest arbitrio suo vel interpretando moderari, vel quod gravius est revocare... 328. Ecclesiae est de vera concordatorum interpretatione iudicium ferri, et concessiones a se factas, si ratio finis sui exigat, revocare nisi... 328. Regulariter loquendo fieri non potest ut Ecclesia in rescindendis concordatis ad aliquam compensationem societati civili praestandam stricto iure teneatur 322.

Constitutio Ecclesiae, quid dicat II, 1.

Coactiva potestas quid sit et quae eius necessitas societati perfectae 53 — Potestate regia praesertim coactiva compelli homines ad obediendum Ecclesiae non turbat tranquillitatem societatis I, 254, neque alienos facit ab Ecclesia hominum animos 255, neque ita Ecclesia duplici mensura utitur 255 seqq.

Crimen quid sit 55, 56 seqq. discrimen inter peccatum et crimen in Ecclesia 56 seqq. Conatus externus ad delictum est verum crimen 57. Est verum crimen propagatio doctrinae quae tendit ad turbandum ordinem socialem: unde reprobanda libertas quaelibet sensa sua aperiendi libertas opinionis quaelibet scripta in vulgus edendi 68 seq.

Criminalis iuris systema quoad notionem criminis et poenae quoad fundamentum, finem, qualitatem et proportionem poenarum 53-59.

D. — De Angelis citatur contra nostram et Tarq. sententiam. Tarquin. respondet illi optima epist. I, 305.

De Azevedo Card. pluries laudatur de opusculo I, 282, 285 seqq.

De Bonald cit. a Tarquin. in ep. contra De Angelis ibid.

Della Motta cit. II, 179. Saggio sul socialismo.

De Luca Card. laudatur in materia de Concordatis I, 295-299.

De Maistre cit. op. Du Pape II, 179 not.

Depositum veritatum revelatarum credendarum integrum fuit a Deo Apostolis traditum ita ut nulla nova revelatio expectanda sit II, 208.

Diaconi pertinent ad constitutionem Ecclesiae ita ut eos Christus D. hierarchicos effecerit ut vi sui ordinis habiles sint ad praedicationem verbi Dei exercendam nonnisi auctoritate Episcopi II, 195.

Dominium eminens principis quid sit circa bona civium, ad potestatem iurisdictionis proprie refertur I, 68.

Doctoratus et gradus academici. II. 238.
Definitiones et formulae fidei. II, 216.

E. — Ecclesiae Christi notio societas scil. a Christo D. fundata coetus divinitus evocatorum I, 116 quam societatem religiosam non tantum numero, sed et forma novam instituit 116 — quae uti societas exhibetur magis determinata in sua forma cum addatur eius finis adaequatus et exclusive proprius 117 scil. adeptio vitae aeternae qui extra Ecclesiam nullatenus obtineri valeat 117-118. Unde Ecclesia Christi est societas iuridica supernaturalis ordinatione et potentia, active seu efficienter et formaliter 118. Est societas distincta a synagoga, a societate civili 118. Hinc Ecclesiae definitio tradita a Bellarm. 119. Quod talis sit Ecclesia est fide certissimum 120. — Ecclesia Christi est societas perfecta *natura sua* scil. ex quod est suprema et ad aliam non ordinatur 123; ex voluntate divini sui Institutoris 123)n. 44; 45) — ex SS. Literis et PP. traditione nec non definitionibus eccles. 127, Ergo competit Ecclesiae Ch. potestas legifera, 130-133; — est prorsus independens a societate civili 175. Competit Ecclesia Ch. non modo internum sed et externum forum scil. potestas iudiciaria et ius constituendi suos magistratus 134. — Ecclesiae Christi competit potestas coactiva 139 scil. ius infligendi poenas generatim, tum poenas corporales etiam mortem, 141, 142 seu Ecclesia pollet iure gladii. — Obiectiones adversariorum resolvuntur 144-148. Competit Ecclesia Ch. ius infligendi poenas spirituales 149 nominatim excommunicationem suspensionem et interdictum 150-151. Competit Ecclesiae Christi iusta et sancta facultas bona temporalia possidendi et collectas in suos imperandi 152. Solvuntur obiectiones 153.

Contra Ecclesiam quod sit *societas perfecta obiicitur* frequens conflictus et perturbatio — axioma status in statu repugnat 167-168. — Obiic. quod Ecclesia non habeat territorium 173, quod non habeat iura maiestatica 174. — *Ob.* ex 2 ad Timot. 2.. Obiic. ex auctorit. PP. 178, praesertim auctoritate canonum reprobantium gladium.

Ecclesia Ch. *finis* unde duplex potestas... iurisdictionis fundamentum 13. Tertium potestatis genus quod magisterium quidam vocant est pars potestatis iurisdictionis, neque ceu tertia potestas adaequate distincta admittenda inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis contra Franzelin, Philips, Billot 14, 15, 16. Quae iusta fundamenta potestatis Ecclesiae dicantur 16.

Ecclesiae corpus duas in classes Christus D. distingui voluit, quorum altera populum contineat, quo in numero qui censentur *laici* sunt, altera coalescat ex illis quibus cura finis propria Ecclesiae i. e. sanctificationis animarum adeoque potestas ecclesiastica est demandata, iique Clerici appellantur II, 152. Cum sanctificatio animarum habeatur per gratiam sanctificantem, quam Christus per sacramento haberi voluit accedente corporatione hominis sive per idoneas dispositiones adhuc adquirendam, sive per bona opera ad eam conservandam augendam ad duo capita curam finis Ecclesiae Clericis commissam direxit a) et ad efficienda sacramenta et b) ad fideles recte et quantum fieri potest efficaciter dirigendos ut divinae gratiae coeperentur 152. Unde duas instituit in Ecclesia potestates quae *Hierarch.* appellantur alteram ordinis, alteram iurisdictionis scil. 1, potestas ad efficienda Sacramenta

et 2. potestas pascendi seu regendi gregem Christi 153. Discrimina inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis 155.

Ecclesia nil potest in societatem civilem quoad res temporales respectiu finis temporalis I, 98. Quibus autem in rebus sive per se sive per accidens concurrit necessitas finis spiritualis i. e. Ecclesiae, Ecclesia praevalet societati civili 200. Diluuntur obiectiones petitae *ex S. Optato* Ecclesia est in republica et non respublica in Ecclesia 207 seqq. prout prolata est a S. Optato et prout habetur ut principium quoddam 216 *ex praxi* apud Hebraeos, apud Reges ethnicos, et etiam in Eccl. Ch. 219 seqq. — ex factis Eccl. 217 seq.

Quatenus Ecclesia dicatur una 218.

Educatrice de'popoli è la Chiesa di G. Cristo, II, 222, 223 nota ex Taparelli 229.

Electio Episcopi perperam ab aliquibus affirmatur ad ius divinum atque ad ipsam Ecclesiae constitutionem pertinere ut electio Episcopi proprî a plebe fiat D. 87 quod probatur ex ratione theol. 88. ex traditione et praxi Ecclesiae 89 seq. *Obiectiones* solvuntur 91 seq. ex praxi praesentis aetatis 94-95.

Episcopos constituit Christus D. *proprie dictos ac perfectos pastores* R. *Pontifici subiectas:* I. 180 quorum munus et institutio eo tendit ut praeter R. Pficem praesto sint qui in partem eius sollicitudinis vocentur, sint habiles ad fideles sibi creditos perfecte regendos, et ideo ad supremum hierarchiae Ordinis gradum sint evecti 183, ut sint iudices fidei ita infallibilitatis donum congregati et coniuncti simul cum Rom. Pontifice docente consentientes habeant, ad quem scil. R. Pontificem in rebus dubiis causam remittere debeant 186. Totam potestatem iurisdictionis qua gaudent, exercent 188 dependenter a R. Pontifice imo ab ipso immediate accipiunt 189 seqq.

Episcopi sunt presbyteris superiores quoad utramque potestatem ordinis et iurisdictionis — et auctoritate Romani Pontificis assumpti sunt legitimi et veri episcopi II. 160 seqq.

Executiva potestas V. Potestas applicandi leges.

Exequatur regium error est minime tolerandus I 170.

Extraneus alicui societati quis, quotuplex dicatur I 169 — de qua materia agatur, quâ methodo procedatur in quaestione quaenam iura competunt societati in extranaeos 70. Principia revocantur iurium internationalium 70. Uni societati extranei per abstractionem, extranei ex toto vel ex parte 73, 74, 75. Extraneae duae societates natura distinctae quae absolute supremae sint, neque fingi animo possunt 98. Societates vel ex toto vel ex parte in statu concordiae vel in statu conflictus quaenam iura habeant inter se 199 seqq.

Ecclesiae proprium est in conflictu iudicium inter bonum spirituale et temporale 206.

F — Febroni falsum systema exponitur II 15. quoad partem doctrinalem 15 — quoad historicam 16 — quoad praticam 16 scopus apparens et proximus et scopus latens dicti systematis 17 sqq. Vices qua illud subierit 20. Perperam Febronius vim omnem a R. Pontificis primatu sustulit 66 — perperam ipsum et gallicanos fecerunt R. Pontificem inferiorem concilio oecumenico — fallibilem in rebus fidei et morum 67 sqq. Vana et commentitia est Frebronii divisio iurium primatus in essentialia et in accidentalia 79.

Fontes varii iuris canonici 250 seqq.

Formulae fidei. II, 216.

Friburgensis Archiepiscopus quoad schola II, 233; ad hunc laudatoria epistola Pii IX — II, inter allegata.

G — Galilaei mentio v. 1. nota a pag. 27.

Libertatum Gallicanarum status quaestionis II. 21. origo et veluti centrum 22 sc. apex illarum sub Ludovico XIV adversus Innoc. XI cum clerici gallicani declaratio ab Epis regis iussu congregatis edita est 1682 cuius declarationis scopus media indicantur et effectus qui sunt praesertim regium placitum — appellatio ab abusu et regius patronatus 24. Nullius auctoritatis dicta declaratio 25 — reprobata et damnata ab Inn. XI. Urb. VIII, retractata a Ludov. XIV. et ab ipsis epis — Gallicani perperam ad suam tuendam doctrinae circa potestatem R. Pontificis ad decreta constantientia provocarunt 75 — A Gallicanis perperam affirmatur auctoritatem primatus R. Pontificis restringi et coarctari auctoritate SS. canonum 79. Facta distinctione tum duplicis sensus verbi posse tum inter canones iuris divini et ecclesiastici 1) docemus canones divina auctoritate innixos non posse 2) posse autem canones qui merae ecclesiasticae auctoritati innituntur mutari valida semper, 3) licite autem tunc tantum cum regulae serventur honestatis. Unde III patet Gallicanos errare valde cum Romani Pontificis potestatem asserunt mere ecclesiasticis canonibus quos antiquitas consecravit aut Ecclesiae particularis consuetudinibus restringi aut coarctari II 80 seqq. Plura affirmatur a Gallicanis falsa et proponitur regula quae sit putida contradictio et quae tantum valet ad ecclesiasticam subordinationem evertendam 84.

V. in append. contra libertates gallicanas allegata ex Concil. Vaticano epist. Innoc. XI contra Declarat. Cleri gallicani....

H — 1. Habere actu aut virtute media ad finem quid 68 contra Nuyts oblatrantem in Ecclesiae iura ceu perfectae societatis unde adhuc perfecta societas illa est quae media *habet* quaedam realiter quaedam *virtualiter* 121.

2. Haeretici qui proprie tales, qui et cur extorres ab Ecclesia 259 — ecclesiasticis legibus per se obstringuntur 259 iudicari et puniri possunt ab Ecclesia — 261 quae de facto poenas plures statuit in haereticos 261 — adiuncta quaedam esse possunt quibus Ecclesia censeatur nolle haereticos obligare, de facto lege dirimente claudestinitatis noluit 262 — Tenentur legibus Ecclesiae sicut rebelles legitimo principi, huius legibus tenentur ita tamen ut lapsu temporis rebelles Ecclesiae quales sunt haeretici nequeant praescribere contra ius divinum iubens omnibus adhaerere et parere Ecclesiae 264.

3. S. Hierarchia divina ordinatione instituta constat Episcopis presbyteris et ministris 150, 151 seqq. 160 seq.

Hierarchiam iurisdictionis Christus D. non immobiliter inhaerentem sed amovibilem fecit eamque constituit plene et perfecte in Rom. Pontifice 163 seqq.

I — Immunitas ecclesiastica circa bona temporalia a quonam iure descendat, praeferenda sententia illam repetens ex iure divino suo modo I 158 quammaxime errant Regalistae eam repetentes ex iure civili 160. Obiectiones ex auctoritate 171 seqq. Immunitas Clericorum a legibus civilibus quatenus detur 214.

Imperium civile quo sensu dicatur prius Ecclesia — quod non exturbetur

a sua possessione neque iuribus mulctetur accedendo ad Ecclesiam 216, quae et quanta consequatur bona imperium per ingressum in Ecclesiam 217. An et quatenus dicatur quod sacerdotes apud Paganos, Hebraeos et Ecclesiae ipsius ministros Regum imperio paruerint 219 223.

Infallibilitas quid sit, quotuplex in Ecclesia: est praerogativa personalis Romani Pontificis II. 79 seqq.

De Infidelibus Ecclesia non iudicat, neque eos punit. Infidelium societas est penitus extranea ab Ecclesia, imo sub respectu religionis est hostis ita ut perpetuum bellum existat inter infidelium societatem et Ecclesiam Christi I 265 seqq. — Quid de societate infidelium qui sunt in bona fide 266 An liceat catholicis militare sub principe infideli vel acatholica 269 seqq. qua ratione infideles communi iure compellendi sunt ad fidem 269.

Qua ratione catholici cum Iudaeis se gerere debent 268. An Iudaei vel infideles subiiciantur iurisdictioni iudicis laici? 270. Utrum baptizari possint filii infidelium aut Iudaeorum 271. seqq, quid de puero Etgardo Mortara baptizato ab ancilla catholica 102 seqq.

Ab Isidoriana canonum collectione catholicam primatus notionem natam esse affirmatur per summam iniuriam a Febronio II 85 seqq.

Iudiciaria potestas quid sit — non est sufficiens societati perfectae potestas arbitralis sed ei omnino competit potestas iudiciaria 48-51,

Iudex nemo esse potestas in causa propria 51-52.

Ius in genere quid sit I 5 — quid ius ecclesiasticum 6. *Ius ecclesiasticum publicum*: quanti hoc intersit 3 — Circa divisionem iuris ecclesiastici in publicum et privatum. AA. discordia orta ex Ulpiani definitione Iuris publici l. 1. ff. §. 1 de Iustit. et Iure. Non eo sensu accipi debet ius publicum Ulpiani quatenus tendit ad utilitatem publicam, sed ut explicat etiam Vinnius *ratione obiecti* quatenus idoneam Ecclesiae Christi constitutionem exhibet. Quomodo auctore Donello explicanda dicta Ulpiani verba SC. Ius publicum, quod ad statum rei romanae spectat « et applicanda iuri ecclesiastico publico 8 — quomodo differat a privato 9. nempe sicut constituens a constituto 10 seq. Notio iuris publici data a Georgio Phillips praeposvera est prorsus reiicienda 12. Methodus qua utimur in iure publico, 3, 4 seqq.

Iurisdictionis potestas quid sit II. 152 seqq. De Iurisdictionis Hierarchia 163. — Hanc non immobiliter inhaerentem sed amovibilem fecit Christus, perfecte quidem in Rom. Pontifice, et dein in Episcopis, qui proprio nomine pastores appellantur — quatenus ea sit in presbyteris et diaconis. ibid.

Iurium iuternationalium principia I 79.

Ius concedendi veniam quousque sese extendat I 64-65. Ius carceris, ius armatae vis 66-67. Ius praeventionis — Ius infligendi poenam mortis seu ius gladii 66-67.

Ius interdicendi quidquid fini reipublicae existimatur perniciosum, competit societati perfectae 65.

Innocentius XI. contra declarationem Cleri gallicani ad Epos Galliae. II inter Allegata.

L — Leonis XIII. auctoritas et verba ex variis literis encyclicis passim in opere citantur, atque egregii Pontificis literas et constitutiones inter allegata

ad calcem referuntur ceu fons et confirmatio quoad maximam partem tractactionis nostrae: Nominatim allegantur encyc. *Diuturnum* de politico principatu 29 Iun. 1881 — *Etsi nos* pro *auctoritate* 15 Febr. 1882 remedia adhibenda malis ingravescentibus in Italia — *Humanum* genus 20 April. 1884 de secta Massonum. — *Immortale Dei* 1 Nov. 1885 de civitatum constitutione christiana — Epist. ad Card. Rampolla Secretar. status Iul. 1887 — Lit. encycl. *Libertas praestantissimum* 20 Iunii 1888 de libertate humana — *Sapientiae christianae* 10 Ian. 1890 de praecipius civium christianorum officiis.

Lex quid sit; eius elementa p. 33 — Eius forma 34-35. Utrum leges pontificiae pro universa Ecclesia latae et Romae tantum promulgatae totam obligent Ecclesiam 35-38. Repugnat rationi legis ut acceptatio populi necessario habeatur qua possit vim suam exserere 38-40 Obiectiones 41 Materia legis in genere 43. Materia in specie scil. tributa exigere, constituere minores magistratus: interdicere quidquid societati perniciosum est 44, 45 v. appendix de legis materia 104.

Legifera potestas societati perfectae necessario in suos competit 32.

Legislator ut recte gubernet uti debet secundum quod adiuncta postulant iis modiis quibus homines iuxta humanae naturae modum moveri honeste possunt 47.

Legislator civilis nequit se porrigere ad actus internos — neque ingerere se in domestica atque in adolescentium aeducationem.

Libertas quaelibet sensa sua aperiendi — quaelibet scripta typis vulgandi adhibita ad pravas doctrinas disseminandos est *verum crimen* 57.

Liberalismi absoluti systema falsissimum est 134 item liberalismi alia systemata; item solum liberalismus quoad omnes suas formas inspectus, absolutus, moderatus et qui dicitur catholicimus liberalis 235 praesertim eorum qui dicuntur separatistae 237. Genesis qua ex catholicismo liberali huius sectatores labuntur in alia priore sistemata 242 et seqq. quid tenendum inter catholicos qui puristae audiunt et putant sibi abstinendum a qualibet participatione in guberniis quorum constitutiones et ieges contraria continent juribus Ecclesiae, et eos catholicos qui putant se posse immiscere in rebus publicis ac politicis gerundis 246 et seqq.

Catholici liberales per quatuor velut stadium gradientes labuntur tandem in separatistarum systema 243 seqq.

Falsa est politica libertas cultuum, libertas conscientiae 248 Libertates gallicanae v. Gallican.

Lipsii protestantis systema II. 28.

M — Magisterium vivum personale auctoritate instructum docendi Christi nomine II 203 In Apostolorum Magisterio duplex munus testium et doctorum obeundum sive voce sive scripto 204. Huic magisterio in Ecclesia normam Christus D. praestituit ipsum verbum Dei sive iam scriptum vel a se aut a spiritu S. revelatum 205. Christus D. constituit magisterium Apostolorum ut supremum et irrefragabilem iudicem, authenticum et necessarium interpretem scripturarum SS. — quod magisterium debet esse perpetuum 206-207. — In hoc perenni magisterio successores apostolorum sunt qui in monumentis ecclesiasticis veniunt nomine Episcoporum 208.

Purum magisterium per se potestas dici nequit I, 15.

Magistratus saeculares non solum ut privatae sed et ut publicae personae nomine societatum quas regunt ad omnes canonicas leges tenentur 203.

Magistratus minores ius constituendi competit societati perfectae I 45.

Maioritas triplex concipi potest I 185 Maioritas unius societatis prae altera unde deducatur scil. ex natura sua 84 seqq. non ex territorio 89, neque ex necessariis relate ad utilia 93.

De manibus mortuis lex iniustissima est I 154,

Marsilii Patavini falsum systema quibus contineatur: notae historicae exhibentur II 6-7 nexus logicus systematis 7, — merito damnatur a Ioanne XXII-7 Perperam adstruitur Christum D. supremam potestatem plebi detulisse 67.

Materia pacti illicita est si adversetur alicui vere proprieque dicto officio, qua contrahentes actu tenentur 322.

Missiones seu sacrae expeditiones.

Monarchia sicula quid sit, et quomodo abrogata scil. nullatenus citata et audita parte prout exigebat Rinaldi 357.

Monarchica est forma regiminis in Ecclesia et quidem iure divino II 36 seqq. qua in re D. Langen e secta veterum catholicorum maxima errat 38. Error Duffendorfii in monarchiam Ecclesiae 40-41.

Mortara Etgardus baptizatur a famula christiana I, not. pag. 102. Mortis poenam infligere potest societas perfecta I 66 etiam Christi Ecclesia.

Methodus exponendi ius publicum ecclesiast. vera sit et apta ex duplici causa scil. respectu eorum qui aggrediuntur hoc studium , respectu actorum qui ad iuvenum manus devenient I 1 et 3 Erit ergo vera et apta si... 4.

Metu actus extorti quanam de iure nulli, quinam rescindibiles I 322 .

Modi praecipui explicandi doctrinam revelatam II, 216 seqq.

N — Necessitas iuris publici ecclesiastici I, 3.

Nationum iura congenita scil. ius sui conservandi, perficiendi et libere agendi 106 seqq. iura acquisita ex dominii adquisitione, ex pactis ac foederibus 107.

Nuytsii systema contra Ecclesiae constitutionem II, 29.

O — Oecumenica Concilia quae... sunt legitima et valida si, a Rom. Pontif. convocentur, eis ipse praesideat aut per se aut per alios. et si ab ipso illa confirmentur II 70. — Sua praxi ostendunt se inferiora esse Rom. Pontifice nominatim Concilium Ephesinum Chalcedonense 71. Florentinum Lateranense V. Tridentinum et Vaticanum 72. quibus causis constent Concil. oec. II 241 seqq. de eorum confirmatione 245 — De auctoritate Concilior. gen. 246. De Styla conciliari in Ecclesiam quoad regimen ordinarium 248.

Ordinatio sacra est verum N. L. Sacramentum quod catholica fide certissime de sacerdotio creditur I 159 per eam dari Spiritum S., et imprime characterem — S. ordinationem contemnendam et perniciosam non esse ibid.

De ordinis potestate principia generalia traduntur II 156.

Potestas ordinis distincta quidem est a potestate iurisdictionis, sed una non est ab altera independens II 157 seqq. recensentur *subiecta* in quibus residet potestas ordinis 58.

Praeter Sacerdotium alios esse in Ecclesia ordines maiores et minores clare simul affirmat et probat Tridentin. Concil. *Sess XXIII*, 159.

P — Pactum quid-quodnam bilaterale aut unilaterale v. *Synallagma*.

Palmieri iure merito laudatur pluries in hoc opere etiam quoad concordata tract. de R. Pontifice ed. 1.ª

Parochi sunt ecclesiasticae institutionis et quadantenus pastores appellari possunt II 199 seq.

Peccata simpliciter et crimina quid differant inter se I, 36.

Petro in Ecclesia potestas ab ipso Christo ita instituta est, omnino plena ac perfecta sit, nullaque humana auctoritate circumscripta II 30. ex Mth. XVI, 16, et ex Ioann. XXI. Seorsim 31, 32, in D. Langen. — Qua Petrus iurisdictionem suam exercebat etiam in ipsos Apostolos.

Pio IX Encycl. Quanta *cura* et syllab. proposit. et errorum proscriptor. Encycl. *Cum* Catholica an. 1859. Literae apostol. *Suprema* quaque abrogatur monarchia sicula; epist. ad Archiep. Friburg. de Scholis ep. ad Archiepiscop. Parisiens D. I. De Arboy qua hic reprehenditur de pluribus erroribus praesertim gallicanis. V. Allegata v. II.

De Perpetuitate primatus Petri in Romano Pontifice quotuples quaestio distinguenda II 41. Praedictorum verborum Mth. et Ioan. interpretatio, quae ex nativo verborum sensu elicitur nulla alia longius petita interpretatione et auctoritate turbari potest 64. — Ex propositione dicta qua *Primatus* iurisdictionis Petri eiusque successorum Romanorum Pontificum corollaria plura dimanant generalia et specialia 65 seqq. Ex eo quod Petrus et successor eius R. Pontifex gaudeat potestate iurisdictionis plena, incircumscripta, independens, ab omni humana potestate sequitur quod gaudeat etiam immunitate a laica iurisdictione II 96. Quae immunitas quoad ius est essentialis Eccles. ibib. ita ut nulli regi debeat R. Pontifex esse subiectus, imo ipse debet esse Rex.

Principatus civilis seu dominium temporale Romanae Sedis est perfecta actuatio immunitatis R. Pontificis a laica iurisdictione. Principatus civilis R. Pontificis providente Deo institutus est necessarius — contra necessitatem obiectiones plures solvuntur II 105 seqq. Breviter exposita origine historica principatus civilis R. P. asserimus varios ob titulos legitimam fuisse illius acquisitionem et possessionem 107. Unde sequitur civilem principatum fuisse singulari divinae providentiae consilio datum 114 ut medium necessarium ad tuendam independentiam et omnimodam libertatem eorumdem pro universa Ecclesia. Hinc principatus civilis R. Pontificis rationem habet rei Sacrae 115. Ergo sacrilega usurpatio et immanis iniquitatis actus fuit ille quo Romanus Pontifex suo principatu civili spoliatus est 116. Neque ulla causa legitima ex parte usurpatoris gubernii excusat ipsum a tanti facinoris immanitate 118. — Neque dicendum ob aliquod bonum publicum Romanos Pontifices principatus civilis factae spoliationi iam ab initio acquievisse, ac tandem in illum iuribus renuntiasse 119. — Ergo restitutioni sunt obnoxii quotquot usurparunt ac detinent principatum civilem Rom. Pontificis et quicumque cooperati sunt et cooperantur huiusmodi usurpationi ac detentioni sacrilegae 121. — Neque restitutioni obstat impossibilitas quam effutiunt, aut ulla praescriptio 123. Verba Pii IX 18 Iun 1859 necessarium esse S. Sedi principatum civilem ut in bonum

religionis S. potestatem sine ullo impedimento exercere possit: item Verba Leonis 23 Febr. 1870 ad hanc autem potestatem in toto orbe exercendam necessarium civilem Pontificis principatum, nullam temporis limitationem admittunt sed omne aevum in futurum respiciunt 126 seqq. — Doctrina qua Apostolicae Sedi asseritur a Romani Pontificibus pro convenienti et perfecta existentia nec non pro libertate Ecclesiae non modo liceitas et compatibilitas sed etiam necessitas omnino principatus civilis pertinet aa doctrinam catholicam 138 seqq. Responsio ad obiecta 142 seqq.

Poenae et poenitentiae quid sint I. 37 seqq. Poenarum finis, materia, qualitas et proportio 62 — Ceterae poenarum conditiones 64.

Ius inferendi poenas etiam temporales competit Ecclesiae sicut competit cuilibet societati perfectae. Poenam mortis ius infligendi competit omni societati perfectae atque a fortiori etiam Ecclessiae I, 66, 67.

Potestas societatis perfectae in genere quaenam I, 19 seqq.

Potestatis legiferae notio 31, partitio 33, elementa essentialia... Potestas applicandi leges seu *executiva* in qualibet societate necessaria est 46. *Potestas iudiciaria* quid sit competit societati perfectae: unde duplex corollarium 48-49. — *Potestatis coactivae* notio competit societati perfectae ejus fundamentum 54. — Theoria potestatis coactivae: in quas personas, ob quas rationes, quibus poenis animadvertatur 55-56.

Potestas Ecclesiae non distinguenda iuxta Phillipps in magisterium ministerium et imperium ceu correspondens triplici muneri in Christo quod esset propheticum sacerdotale et regium I, 2.

Potestatis ecclesiasticae finis et fundamentum, 13 duplex finis, duplex personarum classis in Ecclesia unde duplex potestas 14. Potestas ordinis et potestas iurisdictionis *adaequate* distincta, neque ullatenus invehendum tertium divisionis membrum scil. potestas magisteri utpote quod prout imponitur ab Ecclesia praecepti ritu iam continetur potestate iurisdictionis I, 15 17.

Potestas in Ecclesia *quanta* sit, triplex fundamentum ad dignoscendum Praedia publica ius constituendi competit societati perfectae I, 43.

Praedicatio et S. expeditiones II, 218.

Presbyteros Christus D. ea conditione esse voluit ut eos instituerit tamquam adiutores Episcoporum non omni tamen in munere, sed in administratione Sacramentorum, exceptis confirmatione et ordine et in verbi Dei praedicatione II, 193; quod officium ita exercere debent ut nonnisi dependenter ab Episcopo multoque magis a R. Pontifice, exercere possint ita ut regulariter ipsius Episcopi sit eamdem suspendere et restringere et si opus sit etiam inhibere II, 194 ut facultas exercendi presbyteralia munera derivetur in singulos ab Episcopo vel R. P. non autem ipsa ordinatione qua tantum confertur potentia 196.

Principes laicos iniuria aliquando interdixere ne qui mitterentur ab Apostolica Sede in suum regnum ad ecclesiastica negotia curando auctoritatem suam sine principis consensu exercerent 137 cum notis ibid. subiectis 137. Iniuria contenderunt Principes laici ut mutata suarum provinciarum divisione termini quoque et Sedes dioceseon mutarentur 138.

Principes civiles Catholici qua dicantur advocati Ecclesiae, protectores et custodes canonum I 212.

Privilegium gratuitum, remuneratorium, onerosum quid sit I 278. — Con-

cordata ordinario et regulariter privilegiis accensenda sunt 293 seq. — Commun. DD. veterum et recentiorum 328-331. — Privilegium mere gratuitum cum traslatione iuris non potest valide revocari sine causa sive subdito sive non subdito datum sit 326: inde Corollar. v. *Concordata.*

Protestantium systema plenum errorum circa Ecclesiae constitutionem: qua in re etiam in varias scindentur sententias II 8-9.

R — Regalistae qui toti sunt in extollendis iuribus societatis perfectae civilis, ceteros inter nobis propugnantibus Ecclesiam esse societatem perfectam adversantur 113-114 cum iis legitime iam ab initio tractationis pugnamus. Religionis cura positiva quatenus necessarie sit humanae felicitati iuxta etiam Leon XIII. Constit. *Immortale Dei.*

Richeri falsum systema in Ecclesiae constitutionem: cuius traduntur notae historicae II. 11-11. a quibus confutatum 12, brevis expositio omnium errorum in eo contentorum - nexus logicus circa errores huius systematis 13.

R. Pontifex iure divino succedit B. Petro in primatu sive absolute sive comparative spectetur II, 60 sqq. — Quod prae ceteris R. Pontifex is sit qui b. Petro in primatu succedit uti veritas revelata censeri potest 63. Rom. Pontifex superior est conciliis etiam oecumenicis 67, est infallibilis cum ex cathedra loquitur 76, eius primatus non est merae consociationis sed verae ac proprie dictae iurisdictionis 77 est potestas iurisdictionis immediata in omnes pastores et fideles 78 sqq.

Romanum Pontificem Christus D. voluit esse suum Vicarium, totius Ecclesiae fundamentum et centrum unitatis, Principem totius Ecclesiae qui plenam et universam in eadem habet potestatem quam primatum dicunt 161 seqq. eumdem infallibilitatis dono instruxit ad fidelium intellectum in doctrina fidei ac morum dirigendum 167. Romano Pontifici Christus D. denegavit successoris sibi constituendi facultatem nisi forte extraordinaria quaedam et proprie dicta necessitas id imperat 168, unde communicatio R. Pontificis cum quovis fideli nulla humana auctoritate impediri potest 169.

Rom. Pontificis auctoritas in nullo territorio est *extranea.*

R. Pontifici competit potestas instituendi alios praefectas quoad oves i. e. Episcopos e. g. Patriarcatus Primatus archiepiscopatus vel quoad agnos e. g. praelatos inferiores II, 197 quid in hierarchia ordinis 196.

S — *Schulte, schhnkel* caute legendi I, 2.

Saeculares Principes in curanda religione iudicia Ecclesiae non antervertant sed sequantur I 233: quanam advocatia et protectione gaudeant in Ecclesiam 212 qualiter urgere debent canones ab Ecclesia latos 213 seq

Saecularizationes, quas vocant, iniustissimae sunt I 167 seq.

Satolli Card. saepe laudatur de praeclaro op. circa concordata praesertim, I.

Sanguineti laudatur in materia de Concordatis, 308 improbatur quoad subiectum proprietatis.

In Scolas, in Seminaria potestas Ecclesiae.

Segna Card. amplissimis verbis laudatus de praeclariss, op. cui tit. De Ecclesiae constitutione et de regimine Episcoporum . . . passim a nobis cit.

Servitus activa et passiva quid sit; — recte dici nequit Ecclesiam habere activam servitutem in territorio principum, cum ipsi dictum *sit euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* I 91 seqq.

Societatis in genere et societatis perfectae definitio-utriusque elementa substantialia, multitudo seu subiectum, media, conspiratio, finis I 19 seqq. praecipuam elementum est finis eius adaequatus, ex quo omnia iura prodeunt quae illi competunt natura sua 21 seqq. natura seu essentia societatis ex fine eius adaequato determinatur 23. — Theorema generale quo determinatur amplitudo potestatis societatis profectae in suos 24 25. Corollaria ex eo manantia 25 30 ex quo evolvi totum potestatis systema, quam societas perfecta habet in suos 30: — unde gaudet potestate legifera 31, indiciaria 48, coactiva 53. Societatis perfectae potestas applicandi leges 46. — Societas quae dicatur par vel impar 96. — et pares quibus relationibus ligentur inter se 96 seqq. — Societatis perfectae potestas in eos qui vel ex toto 98, vel ex parte extranei sunt 104, v. *extranei*. Quid si iura sint dubia inter illas 100. Societatis perfectae potestas in extraneos in statu concordiae 75; vel in statu conflictus 82 seq.

Omnes societates legitime continentur Ecclesia ipsa et societate civili quae maximae sunt Societates omogeneae et eterogeneae 124-125.

Societatis civilis natuba in quo sita sit 187. — debet curare felicitatem temporalem directe et indirecte etiam officium obire probitatis ac religionis defendendae dependenter tamen ab Ecclesia — Unde lex debet esse athea 188. Triplex species respectu Ecclesiae Societas civilis catholicorum eo distinguitur a ceteris quod constet eadem multitudine unde Ecclesia Catholica coalescit 191 — nullum ius in spiritualibus exercere potest 202: quoad temporalia saltem indirecte subordinatur Ecclesiae 202 seq Et generatim subest Ecclesiae sicut corpus animae 204. Unde intuitu cuiuslibet societatis civilis damni impediri nequit Ecclesiae finis 204. In conflictu inter bonum temporale et spirituale iudicium pertinet ad Ecclesiam 206; Societatis civ. regimen non potest est indifferens in iis, quae pertinent ad religionem 224 salvo tamen in rebus dubiis Ecclesiae iure definiendi ad religionem spectantia. — Quid valet illud quod temporalem felicitatem curare debet non absolute sed qua est hominis propria 229. — Solaro della Margarita II 176 not. subiectum potestatis in Eccl. quatenus a Christi D. voluntate repetendum est I, 1-3.

Successio perpetua in Primatu a quibus negetur II, 41. — ius exlusivum in eo succedendi est uni R. Pontifici in perpetuum 43 seqq.

Synallagma quid sit an si concordatum esset Synallagma, simonia committeretur I 279 seqq. Systemata falsa contra Ecclesiae constitutionem II tota diss. 4.ª p. 5 seqq. praeter exposita systemata falsa Marsilii, Richeri, protestantium, Febroni, breviter indicantur quaedam recentiora e. g. Lipsii, Nuyts, Eubel, Iansenistarum, Ricci Scipionis Pistoriensis epi.

T — Tanner laudatur de recta doctrina quoad tolerantiam I, 250, 265. 269.

Ex Territorio dominio falso deducitur regula maioritatis unius societatis prae altera I, 89. praesertim si applicatur Ecclesiae cuius territorium indicatur 90. Difficultates solvuntur e. g. ius dicere in alieno non licet — hospitem in alieno territorio dominari contra ius est ibid.

Tolerandum non est ut alieni a Catholicismo evadant supremi magistratus reipublicae I, 253.

Tolerantia politica seu civilis in statu catholico ubi nexus Ecclesiam inter et statum iuri divino conformis viget, per se non est admittendus, per accidens autem ad maiora mala vitanda, debitis servatis conditionibus quandoque permitti potest 249 seqq. non autem dogmatica 250.

Taparelli laudatur in nota II pag. 176-178; in I 48-49 not. 50-53, 266.

Tutela et custodia canonum quatenus spectat ad principes saeculares I 234 II 176 nota.

Tributa exigendi ius competit societati perfectae.

Tranquillitatem pubblicam non turbat regia potestate compelli homines ad obediendum Ecclesiae, neque alienos facit ab Ecclesia hominum animos I 254 seqq.

V W — Wardii obiectio solvitur contra naturam Ecclesiae I 189 seq.

Vaticani Concil. oecumen, praesertim Constitutio dogmatica V. inter allegata.

U — Universitates quid sint et de Ecclesiae potestate in illis erigendis atque moderandis. II, 238.

Z — Zaccaria laudatur de pluribus op. praesertim « *Comandi chi può obbedisca chi deve* » et « *Lasciamo star le cose come stanno* ».

Zalvein reiicitur sententia quod pontificiae leges debeant promulgari in singulis provinciis I 40 seqq.

INDEX DISSERTATIONIS IV.ae

Praenotanda . . . . . Pag. 1
De Praecipuis systematis quae a vera Eccl. Constitutione aberrarunt-exponuntur praedicta systemata . . . . . « 5
N. 5. Systema Marsilii Patavini . . . . . « ibid.
N. 6. Systema Protestantium . . . . . « 8
N. 7. Systema Richerii . . . . . « 10
N. 8. Systema Febronii . . . . . « 15
N. 9. De libertatibus Gallicanis . . . . . « 21
N. 11. De aliis systematis . . . . . « 28
N. 12. Haec systemata illidunt in unam Petram huius aedificii i. e. Ecclesiae . . . . . « 30
N. 13. Petri in Eccl. potestas ab ipso Christo instituta plena, perfecta nullaque hum. auctoritatis circumscripta . . . « ibid.
Coroll. Ergo forma regiminis Eccl. iure divino est monarchica. « 36
§. 1. De successionis perpetuitate.
Prop. 1. Petrus in primatu iurisdictionis perpetuos habet successores « 41-42
§. 2. De exclusivo iure R. Pficis succedendi Petro in primatu « 43
Prop. 2. R. Pfices SOLI succedunt Petro in Primatu . . . « ibid.
Prop. 3. Quod prae ceteris Epis R Pfex is sit qui succedit Petro in Primatu, est veritas immutabilis . . . . . « 47
Prop. 4. Ergo R. Pfex IURE DIVINO succedit Petro in Primatu sive absolute sive comparative . . . . . « 60 seq.
Prop. 5. Quod R. Pfex prae ceteris is sit qui Petro in Primatu succedat VERITAS REVELATA censeri potest. . . . « 63
N. 14. Corollaria generalia . . . . . « 65
Propr. I. R. Pfex superior Conciliis Oecum . . . . « 67
Prop. II. R. Pfex est infallibilis . . . . . « 76
N. 15. Corollaria in specie i. e. I. quod potestas primatus nullis

ecclis canonibus coarctari possit . . . . . Pag. 79
N. 16. II. Falsum est catholicam Primatus notionem ab Isidoriana canonum collectione natam esse . . . . . « 85
N. 17. III. Perperam ab aliquibus affirmatur ad Ius divinum atque ad ipsam Ecclesiae constitutionem pertinere ut electo proprii Epi a plebe fiat . . . . . « 87
Coroll. De Immunitate R. Pontificis, deque Romanae Sedis Principatu civili . . . . . « 95

INDEX DISSERTATIONIS V.ae

De subiecto potestatis Eccl.
Praenotanda . . . . . Pag. 149
Regula generalis unde tota exeritur doctr. . . . « ibid. nota
Divisio totius tract. . . . . « 151
Quaest. 1.a *Statuitur magna et adaequata Corporis Eccl. divisio in Clericos et laicos* . . . . . « 152
Quaest. 2.a *Ex Ecclesiae fine duplex potestas* . . . « ibid.
Quaest. 3.a *Generalia principalia potestate Ordinis* . . « 156
Quaest. 4.a *Recensentur subiecta potest. Ordinis* . . . « 158
Epi sunt presbyteris superiores-qui assumuntur a Rom. Pfice sunt legitimi et veri Epi . . . . . « 159-162
Quaest. 5.a *Generalia principalia de subiecto potest iurisdictionis.*
§. 1. Generatim . . . . . « 163
§. 2. De Rom. Pfice qui est Vicarius Christi, totius Eccl. fundamentum, eiusque Princeps-ordinarie eligere sibi successorem nequit . . . . . « 164-169
Coroll. I. Ergo nulla auctorit. hum. impediri potest eius communicatio cum quovis fideli . . . . . « 169
Coroll. II. Error intollerab. est *regium Placitum seu exequatur* « 170
Coroll. III. Neque toleranda *appellatio ab abusu* . . . « 174
§. 3. De Episcopis, qui perfecti pastores in Eccl. sunt ac veri Principes - eorum munus et institutio, natura, relatio ad Rom. Pficem quoad exercitium et originem potestatis iurisd. ita ut ab Rom. Pficem eam immediate derivent . . « 180-193
§. 4. De Presbyteris, qui adiutores sunt Eporum, ab iis dependentes ita ut facultas exercendi presbyteralia munia in eos derivetur. Epi aut Rom. Pficis auctoritate . . . « 193-195
§. 5. De diaconis . . . . . « 195
Quaest. 6.a *Quae personae ex mediata Xi voluntate gaudent pot.e in utraque hierarch.* . . . . . « 196-200
Quaest. 7.a *Innuitur tandem extraordinaria atque personalis*

apost. potestas . . . . . Pag. 200-202
Quaest. 8.ª *De magisterio infallibili Eccl. deque eius in scholis auctoritate* . . . . . « 202
Caput I. De ipso magisterio et iure authentice doctrinam circa fidem vel mores proponendi . . . . . « 202-215
Caput II. De modis praecipuis explicandi dictam doctrinam.
§. 1. Definitiones et symbola fidei . . . . . « 216-217
§. 2. De praedicatione . . . . . « 218-219
§. 3. De catechesi . . . . . « 220-222
§. 4. De scholis . . . . . « 222
De scholis clericalibus seu de Seminariis . . . . . « ibid.
De iure eccl. in scholas pro laicis in genere - De elementaribus et mediis pro laicis - De scholis superiorib. seu Vniversitatibus . . . . . « 229-240
Quaest. 9.ª De Potestate quam Praelati Ecclesiastici exercent in Conciliis vel in expediendis negotiis stylo conciliari . . « 127
I. De Conciliis praesertim oecumenicis . . . . . « ibid.
1.º Quid nomine Conciliorum, eorum origo, divisio - Quibus causis constent legitima Concilia - an necessaria . . « 241
2.º De auctoritate Conciliorum - Episcopi sunt veri iudices et legislatores in Concilio et Concilia oecumenica a R. Pfice approbata in materia fidei et morum sunt infallibilia . « 246
II. De stylo conciliari in Ecclesia quoad ordinarium regimen « 248
Appendix I. De Regio Placet . . . . . « 256
« II. Dell'autorità paterna quanto all'educazione ed istruzione . . . . . « 278
« III. Ex Tarapelli. (Saggio teoretico di diritto naturale « 290
Allegata . . . . . « 295

Pro erratis					lege
Vol. I.	pag.	1	linea	5	Notitiam aliquam *tradere*
»	»	3	»	34	qua *exponendum* est
»	»	6	»	42	de quibus *legibus* agatur
»	»	141	»	2	*hac* caret
»	»	»	»	21	concedenda *iudicare*
»	»	»	»	35	Regum et *militum*
»	»	295	»	42	Emus Wiseman
»	»	308	»	17	26 marzo 1872.

5992